



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini  
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitatarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

**Brucker, Johann Jakob**

**Lipsiae, 1743**

Capvt Tertivm. De Philosophis Genvinam Aristotelis Philosophiam  
Sectantibvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29129**

na <sup>f</sup> de ea re statuerint, hoc loco enarrari non potest, quamvis digna ea esset scena nostra fabula, cum breuitas nobis, et limites positi obstant. Vnde consulendi annales ecclesiastici, eorumque virorum doctorum historia, qui ex instituto has controuersias enarrarunt <sup>ε</sup>, et imprimis scripta in hoc argumento edita palmaria BLASII PASCALIS *Epistolae prouinciales*, contra Iesuitas, et PIROTI atque DANIELIS *Apologiae pro Iesuitis* <sup>b</sup> scriptae. Hac vero occasione clarissime apparuit, quos fructus foedos et immaturos ferat philosophia Scholastica, et quam necessarium sit meliora illi surrogare. Cumque iuris naturalis doctrinam vel plane neglexerint, vel incertissima methodo exiliter explicauerint Scholastici, restituta disciplina nobilissima Hugonis Grotii, Samuelis Pufendorffii aliorumque summorum virorum iudicio, ostensaque praestantissima, quam in controuersis publicis et illustribus habet, vtilitate, inuitati sunt in his academijs elegantiora ingenia vt neglectis tricis Scholasticis, et inutilibus disputationibus, quae vsum in republica habent plane nullum, meliora deligerent, et nouas huius disciplinae institutiones <sup>i</sup> conderent. Quibus praefidiis, spes laeta est, philosophiam Scholasticam indes magis eiectum, faniolem et pulchriorem stabilitum iri.

\*\*\*\*\*

CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIS GENVINAM ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM SECTANTIBVS.

§. I.

*Philosophia  
Aristotelica  
natio vultui  
restituta.*

**M**iseram et exsanguem philosophiae Aristotelico-Scholasticae faciem esse, et marcidos vultus referre, licet a magnis ingenijs comatur, pingatur, ornetur, ex haecenus dictis notissimum est. Quid igitur mirum, eam viris doctis displicuisse, indignamque vitam esse, cuius in amoribus delicias quaerat philosophantium chorus? Hinc de meliori philosophandi genere exorto seculo XVI displicere coeperunt fortioris pectoris et acutioris sensus eruditi, qui contentis nugis Scholasticis, quas cum nucibus relinquendas esse pueris statuebant, solidiori ratione ingenio

f) Vid. Corpus morale Sorbonnicum, quod doctissimis obseruationibus illustrauit et simul historiam literariam notissimae controuersiae enarrauit Cel. CHR. MATTH. PFAFFIVS, Tubing. 1718. 4.

g) Vid. nominati a Io. FABRICIO Hist. Bibl.

suae T. VI. p. 197. BVDDEO Sel. I. N. et G. praef. §. 5. et Isagog. in Hist. theol. L. II. c. 4. §. 10. p. 712. Vie de Mr. Arnaud p. 145. BAYLE, in Arnaud, Nicolle, etc. PFAFFIVS l. c.

h) Entretiens de Cleandre et d' Eudoxe.

i) Tales nuper plaudentibus Musis edidit Cel. Io. ADAM. ICKSTATTIVS.

ingenio satisfaciendum esse pulchre videbant. Horum vero pars fere maxima relicto tramite Scholastico, Aristotelem tamen sequi eiusque placita a Scholasticis vel non satis intellecta, vel corrupta misere et truncata restituere et ad genuinos magistri sensus reuocare coepit. Quod vix aliter fieri potuisse, magnam, quam in orbe literato obtinuerat Aristoteles, auctoritatem expendentibus erit clarissimum, causasque intuentes facili negotio intelligent, non difficile fuisse Aristoteli, seruare, quod inter philosophos obtinuerat imperium, nec ausos fuisse viros doctos in dubium vocare doctrinam tot seculorum consensu et applausu receptam, tot ingeniorum maximorum studio exeultam. Neque vna modo ratio fuit, cur insanum praeiudicium, optimum philosophiae genus exhibere disciplinam Peripateticam, plerorumque animos fascinauerit, sed plurimae conspirauerunt causae, effeceruntque, vt qui omnium accuratissime secundum Aristotelem philosophabantur, optime quoque, reliquisque melius in stadio philosophico currere crederentur. Quae res digna est, vt paulo attentius consideretur, discantque rei ignari, qui fieri potuerit, vt tale philosophiae genus magnis ingenis se probauerit, quod tot modis deficere, coruosque, quod aiunt, hiantes deludere maximorum philosophorum industria sole meridiano clarius demonstrauit.

§. II. In his vero causis insignis quae seculo XVI obtinuit, venerationis Aristotelis detegendis imprimis ad antecedentia tempora respiciendum est. Reformandae enim philosophiae initia iam ante hoc seculum incidisse, extulisseque caput viros doctos, a quibus contemta est Scholastica philosophia, ex supra dictis constat. Ast hi alium tamen, praeter Aristotelem ducem non elegerant, huncque explicandum suaeque integritati restituendum esse statuerant. Qui cum ob insignia, quae vindicandis literis et humaniori literatura restituenda sibi comparauerant, merita summam nominis famam atque auctoritatem consecuti fuissent, opinionem iusto maiorem apud seculi XVI eruditos obtinuerunt, recte et prudenter eos, vt in eruditionis honestioris omnis, ita in philosophiae quoque restitutione fuisse versatos. Quod praeiudicio adeo firmatum est Aristotelis imperium, vt tentare nouum quid, vel eius philosophiam mediocri conatu refellere, ineptum impiumque crederetur, et sufficere putaretur, si verae eius opiniones et genuina Lycei decreta explicarentur. Nec obici potest, quod ipsi in *primo libro* luculenter demonstrauimus, Platonicam quoque philosophiam tempore renaescentium literarum, maxime vero seculo XV, progressus habuisse quam exoptatissimos, et cum Aristotelica de principatu haud infeliciter decertauisse: tantam quoque ob summam quam apud veteris ecclesiae doctores consecuta est, famam et vtilitatis opinionem, nactam esse auctoritatem, vt vix verisimile videatur, Aristotelem tanti esse factum, vt noua seculi XVII philosophis vincula iniiceret, et captiuam duceret philosophandi libertatem. Secus enim se rem habuisse, paucosque seculo XVI fuisse,

*Causae reuocatae et restituae philosophiae Aristotelicae.*

*Aristotelica philosophia cur prae Platonica surrexerit?*

qui restitutum Platonismum sectati fuerint, ex iis, quae infra ea de re dicturi sumus, luculenter patebit, constabitque vix numerum habere eos, qui Platonem sibi ducem elegerunt, si cum ingenti illa cohorte comparentur, quae in Aristotelis verba iuravit, eiusque iugo collum submisit. Causae vero eius rei in promptu sunt, et euenire aliter non potuit, quam ut Platonismus recens incrustatus cito decresceret, duraret vero et immensum augetur Aristotelicae philosophiae amor atque existimatio. Vt enim Platonica philosophia surgere posset, effecit potissimum gentis Mediceae patrocinium: ea enim fugientes ex Graecia et ad Italos dilapsas Musas recepit, asylumque Graecis philosophis patefecit exoptatissimum. Qui cum more monachorum Graecorum recentiorem Platonismum secum adportauissent, ille sub tutela Hetruscorum principum caput efferre et laetis furculis germinare coepit, et haud infelicibus successibus vsa est fortuna academiae Florentinae. Ast conculcatis turbatisque vehementer rebus Mediceae domus, ut ex Florentina historia notum est, res simul clientum, qui Platoniam philosophiam excolere coeperant, euerfae sunt, deiectisque proceris arboribus, humilia quoque fruticeta calamitatem fenserunt expectatione maiorem. Ita vero euerfa Platoniorum fortuna, Aristotelicorum partes illis valde aemulas succrescere viresque fumere necesse erat, quae cum diu de principatu cum Platonis decertauissent, tandem victoria potitae sunt. Neque haec sola causa fuit, sed ipsa quoque recentior secundum Platonem philosophandi ratio egregie Aristotelicae philosophiae incrementa promouit. Illa enim ad theologiam potissimum respiciens, in qua Platonem regnare, et proxime ad reuelatam doctrinam accedere, vetus fuit in ecclesia opinio, in hac modo philosophandi parte versata est, contempto Aristotele, cuius metaphysica sterilem quandam campum aperire in doctrina de Deo videbatur. Ast naturalem philosophiam, quam exigua felicitate tradiderat Plato, vix curabat, paucisque nec adeo pulchre tangebatur. Aliter vero rem instituendam esse rati sunt, qui naturalem disciplinam seculo XVI in Italia maxime, restituere fategerunt, quorum magna pars salutarem artem professi est, et summae eruditionis fama inclaruit. Hi enim relicta metaphysica et theologia naturali sacri ordinis hominibus, cum naturalem philosophiam, fugatis eiectisque gerris Scholasticis, reuocare coepissent, neque in scriptis Platoniorum inuenissent, vnde eam iuuari posse crederent, occupati tamen spiritu sectario, magno studio ad Aristotelem digressi sunt. Quem philosophum cum accuratius in naturalis philosophiae campo versatum, subtiliusque philosophatum esse crederent, in eius decretis atque placitis restituendis magno cum honore et philosophiae emolumento versari se posse iudicauerunt. Cumque obscuritas Stagiritae haud leues difficultates obiecisset, tantum tamen abest, ut intactam Aristotelis philosophiam reliquerint, ut potius eam ipsam ob causam vehementer inflammati sint accensique studio et labore improbo Aristotelica dogmata perquirendi sicque eruditionem, qua

qua gaudebant, criticam, demonstrandi extollendique. Quam illis laudem nemo invidere poterat Platonicus, cum in confesso esset, naturalem philosophiae partem longe maiori felicitate tetigisse Aristotelem, quam Platonem, spectris suis Pythagoricis hanc disciplinam turbantem magis quam dilucidantem. Ipsi vero Platonici hanc surgentem Aristotelis fortunam syncretismo isto, quem inter Platonem atque Aristotelem struxerant, viriliter promouerunt. Fatebantur enim, non differre in ipso systematis fundamento Aristotelem a Platone, quamuis hic plenius multo atque elegantius de Deo rebusque diuinis praecepisset, quod auide arripientes, qui ex dictis causis Platonem contemnebant, eo acrius Aristotelis vestigia presserunt, quo certius sibi persuaserunt, hac ratione, fatentibus Platonibus, errare se non posse, tutoque praeteriri Platonem, quem soliditate, accuratatione et profunditate philosophiae facile vicerit Aristoteles. Et ita quidem Platonis philosophia quae vix emerferat, iterum depressa est, et vix vnus alterque Platonem cum Aristotele in societatem admisit, vt infra exemplis Iacobi Mazonii, Francisci Piccolomini, Scipionis Agnelli aliorumque constabit. Nec tam fortis fuit medicina, quam pro restituendis Platonismi viribus adhibuit Francisci Patricii diligentia, et eruditio, vt causae Platonis suppetias ferre posset. Quamuis enim et doctrinae et acuminis copia haud vnum Aristotelis philosophiae vulnus inflixisset, vt infra docebimus, vbi huius philosophi conatus exponemus; victoria tamen potitus haud est, altioresque fixit radices Aristotelis amor, quam vt isto turbine euelli potuisset. Immo miro quidem fato magis confirmatus, Platonismus suppressus est. Hunc enim cum vtcunque hactenus syncretismus inter Platonem et Aristotelem stabilitus conseruasset, tanta postea Platoniam philosophiam inuidia secuta est, vt non modo Patricius non obtante elegantissima eius eruditione magnisque de historia Lycei meritis contemptui esset, sed nemo quoque eius partes amplecteretur. Donec seculo XVII Petrus Gassendus eius telis vteretur, ad debellandum Aristotelem, qui tamen nec Platoni fauit, sed Epicurum suo modo restituere constituit, vt suo loco dicetur. Hac itaque ratione facile fuit, Aristotelem vincere, imperioque potiri.

§. III. Praeter hanc alia quoque causa, si fatendum, quod res est, et scapha scapha nominanda, alleganda est, quae validissimis fulcris imperium Aristotelis confirmavit, nempe influxus quem philosophia Peripatetica habet in certa dogmata mordicus retenta a coetibus Romanae ecclesiae symbolis addictis, ex quibus haud vnum illis emolumentum enasci solet, qui doctrinae custodiendae tradendaeque praefecti sunt. Postulat quidem nobilissimum argumentum prolixiorem campum, dignumque esset integra tractatione, quam limites nobis positi excludunt, quaeque in historia theologiae dogmaticae et polemicae dari debet. Nos parca manu ea tantum feligimus, quae ad rem praesentem in luce ponendam dictu necessaria

*Athae tanquam  
conseruatae  
retentaeque  
philosophiae  
Aristotelicae,  
in ecclesia  
Romana.*

cessaria sunt, et omitti plane non possunt. Nempe rerum in ecclesia gestarum et imprimis historiae doctrinae Christianae non ignaros minime latet, ex quo Scholastica philosophia in ecclesia regnare coepit, humanis viribus in rerum spiritualium negotio nimis tributum esse, et contemptis Augustini vel in speciem saltem laudatis decretis de gratiae diuinae operatione et effectu frigidam suffudisse plerosque doctores, si non ipsis Pelagii erroribus, certe Semipelagianismo, ab eo tempore regnum, inuitis et suspirantibus piis, affectanti <sup>a</sup>. Quam labem cum forti manu tetigissent, et hoc vlcus sanare tentauissent, qui medendis ecclesiae morbis reformandaeque ecclesiae medicam manum adhibuerant, tantum abest, vt, quod intimos artus obfederat, venenum eiiceretur, vt potius pro eo retinendo, tanquam pro aris focusque dimicaretur, quique contrariam partem tuebantur, Vatiniano deprimerentur odio. Testes omni exceptione maiores volumus annales ecclesiasticos, pontificum decreta, acta publica, colloquiorum et conciliorum monumenta aliaque, ex quibus rem in se notam confecerunt demonstraruntque viri nonnulli doctissimi. Nos huc quidem, limitum nostrorum memores non excurrimus, idque modo moneamus, corruptam morales doctrinae faciem laxamque illam actionum moralium regulam, qua ex voto et pro mensura emolumenti certorum hominum conscientiae regi possunt, quamque tot scriptis acerrimis confodere antesignano ANTONIO ARNALDO aggressi sunt, viri acuti doctique, rem tandem omnem in apricum posuisse, et prodidisse luculenter, qua insignis vtilitatis spe illecti viri etiam graues et eruditi, repugnante scriptura sacra, et refragante ipsorum conscientia humanis viribus in rebus ad animae salutem pertinentibus tantum detulerint. Huic vero rei praesidium cum ex sacrorum oraculorum doctrina accersi non posset, philosophia in subsidium vocata est. Cum autem nec Platonica, nec Stoica humanarum virium patrocinium recipere satis valeret, vt nuper a viro quodam doctissimo non sine magna partis aduersae indignatione flammis vtriusque prodita demonstratum <sup>b</sup>, Peripatetica philosophia egregie in auxilium adhibita est. Eius enim moralem imprimis partem totam pessimam esse, gratiae inimicam dudum monuit B. LUTHERVS <sup>c</sup>, et iam suo tempore eleganter pieque ostendit S. AVGVSTINVS <sup>d</sup>, qui obseruat quoque, Dialecticam Aristotelis corruptioni humanae mentis detegendae valde refragari. Qui vero metaphysicam et ethicam Aristotelicam accurate considerat, claris, nisi fallimur, rationibus conuictus deprehendet, vtramque gratiae operationi admodum aduersari, et tribuere homini, quod denegat oraculorum sacrorum fides. Nam dum rebus humanis Deum eximit Aristoteles supremaeque sphaerae alligat, humanam vero mentem extrinsecus illabi, nec ad ipsum hominem proprie pertinere statuit, in illo, quod diuini fontis vestigium habeat, relinquit nihil. Ex qua hypothesi metaphy-

a) Conf. BVDDEVS pec. Dissert. de hoc argumento.  
b) Parallele de la doctrine des payens avec

celle des Iesuites et de la constitution du Pape Clement XI. c) Loco supra laudato.  
d) Contra Iul. L. II. c. 10. L. V. c. 14.

metaphyfica ineptum ethicae Peripateticae systema surrexit, tradens, virtutis vim in ipso homine quaerendam, mediocritatem affectandam, ex qua splendida humanarum virium vitia progengerantur, felicitatemque ciuilem et honestatem humanam sectandam esse; quae omnia huic principio inaedificauit Stagirita: *Virtutem consilio et voluntate fieri, indeque spontaneam actionem esse*, cuius principium in nobis sit, vt suo supra loco iam obseruatum. Talis cum esset Aristotelis philosophia, ambabus manibus eam arripuerunt, quorum intererat, in ecclesia triumphare humanarum virium patrocinium, sine quo constare tot dogmata nequeunt, quae vt conscientis praeter diuinarum paginarum praecepta obtrusa sunt, ita fautores suos ditare apta sunt. Et haec vera quoque causa est, cur potissimum in Italia, inque conspectu curiae Romanae philosophia Aristotelica tantum philosophantium applausum naeta sit, curque ad hunc vsque diem Stagiritam exterminare noluerint illi, qui pro sedis Romanae auctoritate et commodis religionis sacramento deuincti pugnant.

§. IV. Sufficere haec ad commendationem Aristotelis apud illos poterant, qui munerum, dignitatum, commodorumque illecebris persuasi a receptis opinionibus deflectere nolebant, et tamen Scholasticas quisquillas perosi meliorem philosophandi viam ingredi tentabant. Verum nouam iis rationem suggessit, animumque valde addit seculi XVI in orbe literario genius. Ille enim totus criticus erat, et linguarum eruditum, maxime Graecae et Latinae historiae veteris, antiquitatum et similibus notitia superbiebat, adeoque plus ad artem criticam, quam ad philosophiam aspirabat. Qua animorum inter eruditos inclinatione, antiquitatis, literaturaeque veteris, praecipue Graecae, studium ita seculo XVI promotum est, vt vix aliud tempus maiora in hoc eruditionis genere specimina ostenderet, quae in republica literaria famam consequi cupiebant, aliis disciplinis, quas munera publica iniungebant, hoc quoque studium adicerent, et eo maxime inclarescere satagerent. Ita vero factum, vt, qui hanc artem criticam sibi excolendam sumserant, cum philosophiae explicandae munus ipsis esset iniunctum, potissimum ad Aristotelem deducerentur. Is enim cum et ipse in se obscurus valde sit, et breuitate sententiarum difficilis, multa quoque veterem eruditionem respicientia admiscuerit, textus vero eius temporis iniuria valde mutilatus truncatusque et ineptis grammaticorum curis interpolatus sit, iucundissimum et patentissimum campum artis criticae studiosi naeti sunt, ingenii in hoc philosopho explanando et illustrando ostentandi, et variae eruditionis laudis sibi acquirendae. Nam ita genuina a spuriis discernere, obscuris lucem accendere, veterum opiniones, ad quas respexit Aristoteles, exponere, breuitati paraphrasi consulere, et veterum Peripateticorum eruditionem in partes pertrahere

Seculi XVI  
studio critico  
adiuta  
fortuna Aristotelis.

e) Maga. Mor. L. III. c. 5.

f) Tom. I. p. 837.

suamque facere, atque hoc pacto nomen magnum mereri licebat: eo quod ab his praefidiis aetas Scholastica fuisset imparatissima, qui vero immortalis sibi restitutione humanae disciplinae et politioris literaturae nomen fecerant, eodem doctrinae genere inclaruissent. Cuius exempla in sequentibus plurima occurrent, nos hoc loco modo ad Petrum Victorium, Marcum Antonium Muretum, M. A. Maioragium, Iulium Pacium et Franciscum Robortellum prouocamus, qui cum Peripateticae philosophiae notitia eminent, artis potissimum criticae praestantia summam sibi in ea parauerunt nominis gloriam. Haec vero studia dum seculi XVI diligentia vrget, valde quidem Aristoteles iuuatur, genuina eius sententia eruitur, breuitas luculenter illustratur, et sic vera Aristotelis mens exponitur, parum vero ipsi philosophiae affertur auxilii, ipsaque illa ars critica quae Peripatetica scripta tantopere commendauit, grammatica magis fuit, quam philosophica, et ad textum potius restituendum explanandumque, quam ad philosophicam Aristotelis illustrationem pertinuit. Certe ubi quoque non ad verba tantum, verum ad mentem et dogmata Stagiritae respexerunt viri docti, interpretes magis egerunt Aristotelis, quam philosophos Aristotelicos. Id quod oculos aliis aperuit, vt cum ista critica eruditione parum adiuuari philosophiam cernerent, tandem ipsi quoque philosophari secundum Aristotelem inciperent, qua ratione Aristotele Petrus Pomponatius cum discipulis inter primos vsus est. Et ita quidem factum, vt seculo decimo sexto et decimo septimo dimidio vbique Aristotelis philosophia regnaret, et magnopere sibi pariter atque aliis placerent, qui Aristotelem eiusque philosophiam integritati restituerent.

*Causae cur  
inter Prote-  
stantes recen-  
tum genui-  
num Aristo-  
telis studium.*

§. V. Ex hoc ipso vero fonte ratio haurienda est, cur Aristotelis philosophia inter Protestantes quoque caput extulerit, curque non obstante graui detrimento, quod ex hac philosophia in doctrinam Christianam defluerat, Aristoteles tamen illis se ita commendauerit, vt diu in his quoque coetibus vnus ille regnare potuerit, vt ex dicendis constabit. Quamuis enim infensum in Aristotelem seruauisset animum Lutherus, qui probe perspexerat, quanta ex hac philosophia corruptelae in Christianam doctrinam inuectae sint, Philippus Melanchthon tamen, cum ipse totus quoque honestioris disciplinae cultu occuparetur, et virorum summorum, qui in Italia Aristotelem ad natiuos sensus reuocauerant, exemplo excitaretur, ita admitti posse Aristotelem statuit, vt in ordinem redactus, solique philosophiae relictus, nihil negotii cum sacris disciplinis haberet, sua tamen philosophandi accuratatione, differendique acumine et artificio praeclare iuuentutis studia iuaret; vt infra ex instituto probabimus. Quae ratione non modo Lutherum faciliorem et fauentiorem Aristoteli reddidit, sed cum totam fere Germaniam partes septentrionales discipulis suis repleuisset, Peripateticam quoque philosophiam vbique locorum in coetibus Protestantium confirmauit, eo tamen discrimine, vt a sacra disciplina arce-



arceretur, ad quam metaphysicam Aristotelicam seculum XVII demum introduxit, ut infra dicendum. Quod exigua philosophantium utilitate factum esse, merito dolendum, indignandumque est Philippo, viro cetera optimo, et de literatura elegantiori inter Germanos immortaliter merito, quod abiecto licet auctoritatis et antiquitatis studio, cum proprio Marte philosophandum fuisset, maluerit sectariam philosophiam eligere, et ex duce interpretem magis Aristotelis, more seculi sui, agere, quam suo ingenio, quod nactus erat optimum, philosophari. Ita nempe cum inter coecos luscus imperaret, mallentque philosophi claudum habere antesignanum, quam nullum, Aristoteles, non obstante primo ecclesiam emendantium feruore, ex ecclesia eiectus per posticam iterum admissus est, et inter Protestantes quoque egregie res promotae esse iudicata est, si extirpatis spinetis, quae Scholasticorum diligentia et subtilitas plantauerat, reuocarentur flores Peripatetici, quamuis fructu, nucleoque carentes. Haec vero vna et sola ratio est, cur inter Protestantium coetus, quibus parum intererat, imperare Aristotelem, decorum vero erat, in philosophia quoque iudicii libertatem cum veritate coniungere, sectaria tamen Aristotelis philosophia, vsque ad Baconis, Grotii, et Cartesii tempora, et vltra, obtinuerit, et cur haud minor inter eos numerus sit, qui magna eruditio- nis opinione secundum Aristotelem fuisse philosophati. Ex dictis autem nobis non monentibus intelligitur, cum tota fere respublica literaria Peri- pateticismo infecta fuerit, sectam hanc reliquas philosophantium numero et celebritate admodum superasse, ceterosque, qui ab Aristotele diuor- tium fecerunt, iunctos simul omnes hanc tamen Aristotelicorum genui- norum turbam numero non vincere. Hos vero hac in tractatione enu- merare omnes, et impossibilis labor est et inutilis, et ad specialem magis Peripateticae philosophiae historiam pertinet. Sufficiet autem pro insti- tuti ratione praecipuos ex hoc numero seligere, cum qui inter Romanae ecclesiae asseclas Aristotelem ducem sequuti sunt, tum qui Protestantium coetibus nomen dantes sub eius auspiciis militarunt. Hi vero et eruditio- nis celebritate, et meritorum fama nobile sibi plerique nomen compara- uerunt, dignique sunt, quorum historiam paulo accuratius explanemus. Reliquorum, ne nimii simus, strictim, et per lancem quasi saturam recen- sionem dabimus. Eminuerunt autem doctrinae Peripateticae laude inter Romanae fidei asseclas, Nicolaus Leonicus, Petrus Pomponatius, Mar- cus Antonius Maioragius, Daniel Barbarus, Ioannes Genesius de Sepul- ueda, Petrus Victorius, Iacobus Zabarella, Alexander et Franciscus Pi- colominaei, Cyriacus Strozzi, Iacobus Mazonius, Hubertus Gifanius, Iulius Pacius, Andreas Caesalpinus, Caesar Cremoninus. Quorum he- roum inter Peripateticos historiam succincte delineabimus, ea tradituri, quae ad rem praesentem spectant, reliqua enim notissimis libris suppeditabunt scriptores historiae literariae &.

V 2

§. VI.

g) Maxime egiogorum vitarumque scriptores, v. g. Iouius, Tomassinus, Adamus, similesque. Recen-

Nicolaus Leonicus Thomaeus.

§. VI. NICOLAVM LEONICVM THOMAEVM, iure meritoque primum facimus, qui reiecto Pseudo-Peripateticismo Scholasticorum, genuinam Aristotelis philosophiam restituere orbi literario conatus est. Ante eum enim nemo id tentare ausus erat, adeo omnes Scholasticae philosophiae auctoritas et subtilitatis opinio occupauerat. Fuit is Epirota patre Venetiis genitus, anno MCCCCLVII, vt refert IOVIVS<sup>b</sup>, quem eius parentem, dubium non est, in educandis filiis ad exorientem tum politioem literaturam respexisse. Nam et frater nostri Bartholomaeus Leonicus cognomento Fuscus, iis humanitatis et philosophiae elegantioris praefidiis instructus fuit, vt fratrem Nicolaum adaequasset, nisi praematura eum vitae huic fata eripuissent, id quod ex PIERII VALERIANI<sup>i</sup>, relatione nouimus. Docebat eo tempore, vt supra dictum, Florentiae Demetrius Chalcondylas, a quo cum Graecas literas, reliquumque eruditionis apparatus didicisset, dici non potest, quantum cum in eloquentiae studio, tum in philosophia profecerit. Et illius quidem luculentum specimen reliquit, in *variae historiae* libris<sup>k</sup>, quos *iuuentis admodum multiplici tum Graecorum tum Latinorum lectione confecerat seposueratque<sup>l</sup>, inque *Dialogis decem*, quos more Academico vulgavit<sup>m</sup>. In quibus eam eloquentiae rationem adhibuit, quae philosophum decebat, recte id probante ERASMO<sup>n</sup>, qui hunc virum non minus integris moribus, quam eruditione recondita (qui illo viuo adhuc supererat) laudat. In philosophia autem animum quidem ad Platonicam philosophiam, quae illo tempore valde efferre caput coeperat; vnde idem Erasmus eum extollit, *quod in adytis philosophiae, praesertim Platonicae, semper religiose versatus ad Platonis ac Ciceronis dialogos effingendos se composuerit*: cum autem Aristotelicam philosophiam rectius et maiori virtute Scholasticae opponi posse cerneret, illam potissimum amplexus est, eo quod purius ex ipso fonte sapientiam Graecam hauriri posse crederet. De quo eius consilio, digna sunt, quae legantur verba IOVII<sup>o</sup>, eo quod primi huius restauratoris Aristotelicae philosophiae mentem, quae et reliquorum virorum doctorum in eo stadio currentium sententia fuit, satis luculenter edisserant: *Philosophiam, ait, ex purissimis fontibus, non ex lutulentis riuulis salubriter hauriendam esse perdocebat, explosa penitus sophistarum disciplina, quae tum inter imperitos et barbaros principatum in Scholis obtinebat, quum doctores excogitatis barbara subtilitate dialecticorum figmentis, phisicas quaestiones non ad veritatis lucem, sed ad inanem disputandi garrulitatem reuocarent, et iuuentus in gymna-**

Recentiori aetate multorum in hoc historiae literariae genere industria emittit, quorum nomina alibi enumerantur. Nostro tempore laudem inde haud exiguam nactus est eruditissimus NICERONIVS, in memoriis virorum doctrina illustrium, quem tamen merito dolemus, narrationis suae fontes non nisi parce indicauisse, et interdum narrantium fide deceptum fuisse.

Vnde malumus paulo vetustiores sequi, nominareque. h) cap. 91.

i) De literat. infelic. L. II. p. 84.

k) Vid. VOSSIVS de Hist. Latin. L. III. p. 677.

l) Editos vero anno demum 1531.

m) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. IV. p. 788 seq.

n) In Ciceroniano. o) Loc. cit.

*gymnasio: Arabum et barbarorum commentationes secuta, a recto munitoque itinere in confragosas ignorantiae crepidines duceretur.* Ipsum itaque Aristotelem presso pede sequendum, et hac quoque methodo, ut obseruatum FRANC. PATRICIO \*, interpretandum esse statuit, ad quod opus eo felicius aptiusque accingere se poterat, quo maior illi inerat sermonis Graeci peritia et antiquitatis atque philosophiae veteris cognitio. Talis cum esset, Patauinae cathedrae praefectus est, in qua diu magno applausu Peripateticam philosophiam docuit †, et genuinum Aristotelem in hanc Musarum sedem primus introduxit. Neque vero soli iuuentuti studium commodauit suum, sed interpretando quoque Aristoteli scribendisque commentariis philosophicis infudauit; aitque IOVIVS: *Erudite et luculenter commentarios in parua naturalia Aristotelis eum scripsisse;* GESNERVS ‡ autem, ex Michaële Ephesio haec argumenta in libros Aristotelis *paruorum naturalium* eum transtulisse refert, et alia quoque eius scripta philosophica enarrat, qui videndus. Ceterum et hoc nomine praeclaram laudem meretur, quod teste iterum IOVIO §, *vita eius procul a contentione ambitioneque remota fuerit*, et quod PETRVS BEMBEVS in eius epitaphio ¶ habet, *praeter virtutem bonasque artes tota in vita nullius rei appetens fuerit. Vnde et mediocri substantia, ciuilique frugalitate contentus, ita coelebs et felix vixit, ut nemo vel innocentiae, et doctrinae conscientia, vel munditia corporis, vel animi nitore beatior illa aetate haberetur* †. Peruenit autem istius frugalitatis beneficio ad LXXIII aetatis annum, obiitque canitie venerandus, quod plerique tradunt, anno MDXXXIII, pro quo tamen annum MDXXXI ponit Cel. MONETA †. Cum hoc philosopho Patauino non confundendus est, quod multis, ipsique P. BAYLE accidit \*\*, Nicolaus Leonicensis Vicentinus, natus anno MCCCCXXXVIII, qui per LX amplius annos Ferrariae philosophiam et medicinam docuit †; idemque in arte salutari praeficit, quod Thomaeus in philosophia. Primus enim a barbarie in arte medica reuixit et nugari desiit †, et quod ille in Aristotele suscepit, in Galeno effecit, nempe ut ad Graecos fontes medicinae studiosi reuocarentur. Vnde factum, ut hunc Galeni interpretem, ab HVETIO † laudatum nostrum philosophum esse perperam nonnulli crediderint, illiusque scripta huic adscriperint. Obiit nonagenario maior anno MDXXIV, rogatusque qua ratione nullo ciborum habito delectu senectutis vitia eluderet? respondit: *Ingenium perpetua vitae innocentia, salubre vero corpus hilari frugalitatis praesidio facile tuemur.* De scriptis eius praeter

## V 3

historiae

\*) Disquis. Peripat. L. III. p. 149.  
 p) Vid. NIC. COMNEN. PAPADOPOLI Hist. Gymnas. Patau. T. I. p. 302 seq.  
 q) In Biblioth. p. 521.  
 r) Loc. cit.  
 s) Apud N. CHYTRAEVM Delic. itin. loc. cit. p. 152.  
 t) IOVIVS loc. cit.

u) Vid. Obseruationes ad P. BAYLE Dict. T. IV. art. Thomaeus p. 352.  
 x) Loc. cit.  
 y) COMNEN. I. c. p. 297. IOVIVS I. c. SCALIGER. Epist. 19.  
 z) Vid. REINES. Var. lect. p. 623.  
 a) De claris interpret. p. 270.

historiae literariae medicorum auctores<sup>b</sup> videndi GESNERVS<sup>c</sup> et NIC. COMNENVS PAPADOPOLI<sup>d</sup>.

*Petrus Pomponatius.*

§. VII. Ineunte seculo XVI, magna Peripateticae philosophiae laude inclaruit PETRVS POMPONATIVS, haud incelebre inter scriptores historiae literariae nomen<sup>e</sup>, quod tamen Peripatetica eruditio impietatis opinione commaculavit. Genuit eum Mantua, virorum doctorum feracissima<sup>f</sup>, vbi patre Ioanne Nicolao Pomponatio Mantuano fatus est, vt ipse narrat<sup>g</sup>. Annun diemque natiuitatis ponit L V C A S GA VRICVS, MCCCCLXII, d. XVI. Sept. <sup>h</sup> quo auctore scimus, adeo pusillum corpore homuncionem fuisse, vt quodammodo nanus esset. Verum corpori exiguo magnum ingenium natura indiderat, quod praecoci maturitate elegantiam prae se ferebat, dotesque demonstrabat solito maiores. Studiis itaque dicatus in gymnasio Patauino disciplinarum praecepta a publicis professoribus hausit, inter quos imprimis Petrum Trapolinum<sup>\*</sup> praeceptorem habuit. Ita vero philosophiae mysteriis initiatus acerrimo ingenio in eius adyta penetravit, vt quid Aristoteli placeret, mature intelligeret. Ad docendam itaque iuuentutem animum adiiciens in Patauina schola ludum aperuit, et veram Aristotelis philosophiam, cum Auerroistica, quae tum temporis in Italia regnauit, comparare coepit. Quod cum magnum iuuenum literarum studia aemulantium applausum meruisset, Alexandrum Achillinum<sup>i</sup> in eum armavit, qui tum temporis Patauii, posteaque Bononiae philosophiam Arabico-Aristotelicam magna eruditionis fama docuit, quique cum mores valde paedagogicos nutrirer, a Pomponatio, ingenii amoenitatem prae se ferente ita superatus est, vt discipuli eius Petrum, relicto praeceptore audirent. Id quod more Scholastico, magnam in eum Achillini iram et inuidiam concitauit. Qui cum acerrime disputaret, et haud raro Pomponatium pedem referre, manusque dare compelleret, ab eo tamen

miro

b) MANGETVS et MERCELINVS in *Bibl. medicis*, FABRIC. l. c. p. 787.

c) *Loc. cit.*

d) *Loc. cit. conf. BAYLE Dict. T. III. art. Leonicensis* p. 90.

e) Videndi praeter multos, P. IOVIVS c. 71. p. 164. BAYLE *Dict. Tom. III. p. 777* seqq. COMNENVS l. c. NICERONIVS l. c. T. XXV. et historiae atheisimi scriptores: Maxime vero, qui peculiari dissertatione de eo egit Io. GOTTL. OLEARIVS *lenae* 1709. quem, cum magna cura in hoc argumento versatus sit, consultis tamen fontibus, legendum esse putamus.

f) Celebrata ideo *SILIO ITALICO Sylu. L. VIII. Mantua Musarum domus* etc.

g) In fine libri de *Incantatione*, et de fato, vbi se filium Ioannis Nicolai Pomponatii Mantuani nominat.

h) In *schemat. tr. IV. f. 57. BAYLE l. c.*

i) *Vid. de Incantat. p. 3.*

i) Alexander Achillinus Bononiensis fuit, et

primo quidem philosophiam Patauii docuit, postea eandem vna cum arte salutari in patria Schola professus est. Is porissimum Saracenicam Peripateticorum philosophiam secutus est, et inter celeberrimos Auerrois sectatores numerari meruit. Subtilitate vero ingenii parem vix habuit, indeque disputandi acuminis Pomponario iuueni longe fuit superior. Qui cum interdum in publicis disputationibus Achillini syllogismis irretiretur, ingenii festiuitate aduersarium repulit, valde enim superciliosum et Scholasticos mores prae se ferentem Achillinum ingenii amoenitas, quae in Pomponatio fuit, superare facile potuit. Scripsit multa Achillinus et philosophica, enarrata a COMNENO *Hist. Gymnas. Pat. T. I. p. 298* et FABRICIO *Bibl. Lat. med. T. I. p. 159.* et medica, enumerata ab ABR. MERCELINO in *Lindeno renouato* P. I. p. 23. *Conf. BOECLER. Bibliograph. crit. p. 134.* et scriptores historiae liter. Bononiensis; BVMALDVVS, ALIDOSI, aliique.

miro saepius artificio victus est. Rem ita narrat IOVIUS <sup>k</sup>: *In coronis confessuque doctorum cum exercitatione perutili ad praetoriam porticum disputaretur, ita mirus Pomponatius euadebat, ut saepe ancipiti et cornuto Achillini enthymemate circumuentus, superfuso facietiarum sale aduersarii impetum ex illis gyris et maeandris explicatus eluderet.* Fatemur tamen, in scriptis Pomponatii hanc eius ingenii amoenitatem exulare, quae barbariem seculi XV sapiunt. Ex Patauina vero academia ad Bononiensem se conuertere Pomponatium coegit bellum, quod inter Venetos et Cameracensis foederis socios magna tum Italiae calamitate ardebat <sup>l</sup>. Ibi similiter philosophiam docuit, eique more illius temporis artem salutarem iunxit <sup>m</sup>, cumque Achillinus fatis interea temporis functus esset, eius locum famamque, vti verisimile, occupauit; quamuis nihil ea de re accurate scriptores eius temporis definiant. Ibi hanc eum methodum adhibuisse ait IOVIUS <sup>n</sup>, vt Aristotelem simul atque Auerroem explicaret, ita enim postulabant mores istius temporis, suauisque ac praecleara voce, et elocutione emendata atque leni in instituendo, volubili et concitata, in infringendo, graui sedataque, cum decerneret, vteretur. Quae res eum iuuentuti scholasticae vehementer commendauit. Cum autem ipsum sibi Aristotelem sequendum statuisset, hancque philosophiam exprimendo a nonnullis ecclesiae dogmatibus dissentiret <sup>o</sup>, aculeis autem nonnumquam homines sacros exciperet, cucullatos fratres, velut crabrones, in se concitauit, qui eius contraire conatibus omnibus viribus aggressi sunt, parum tamen promouerunt, cum summa eruditionis eius esset existimatio, isque in doctrina ecclesiae iudicio se submittere, et problematicè tantum de Aristotelis mente disputare profiteretur <sup>p</sup>. Eruditionis itaque praestantia, et discipulos nactus est celeberrimos, quorum infra faciemus mentionem, et facultates acquisiuit amplissimas, sic vt filiae, quam vnicam habebat, mille ducatorum dotem porrigeret <sup>q</sup>. Suspiciamur tamen, non ex sola philosophiae professione, sed ex salutaris quoque artis praxi, et forte ex trino, quod nonnullis iniisse dicitur, matrimonio tantas ad eum diuitias confluxisse. Alii tamen coelibem faciunt <sup>r</sup>: alii tres reliquisse filios contendunt. Obiit ex stranguria, teste IOVIO <sup>s</sup>, sexaginta tres annos natus, ex quo patet, mortalitatis exuuias eum anno MDXXXV

k) Loc. cit.

l) De foedere hoc inter Maximilianum I. Imperat. Iulium H. P. R. Ludouicum XI, Galliae, et Ferdinandum catholicum Hispaniae regem anno 1507. Cameraci inito, quo dura et acerba quaelibet passi sunt Veneti, annales reipublicae ad h. a. consulendi sunt. Dux tum ei praefuit Leonardus Loredanus.

m) Eam se a Petro Roccabonella didicisse ait de fato L. V. c. 6. p. 973.

n) Loc. cit.

o) Inuidiam Pomponatio conuulisse negatam ex Aristotelis mente animorum immortalitatem,

monet IOVIUS: at incautius eum clerum interdum pupugisse, exemplo satis luculento ex libro de fato, L. V. p. 923. discimus. Ita vero crabrones irritati necesse erat. Quo effectu quibusque litium clamoribus, enarrat P. BAYLIS l. c. not. C. et nos infra tangemus.

p) Vid. Peroratio libri de incantatione p. 325. Opp.

q) BAYLIS l. c. ex Gaurico.

r) Naudaeana p. 31.

s) loc. cit. hunc itaque BAYLIS non constituit, cum diceret, ignorare se eius emortualem; nam ex Gaurico natalem notauerat.

MDXXV deposuisse. Errant itaque <sup>f</sup> qui annum emortualem MDXII, vel MDXXX <sup>g</sup> ponunt. Quamuis autem impie prorsus obiisse, scripta illi a diuersis epitaphia innuant <sup>h</sup>, eo quod de animae immortalitate secundum Peripateticos statuendo futuram vitam post funera negasset, HIERONYMVS GRATALORVS tamen, qui opera eius philosophica recudi fecit, testibus allegatis iis, qui eum nouerunt superstitem, affirmat, pie pro eo tempore vitam cum morte commutauisse. Sepultus autem est in patria, in sepulchro cardinalis Herculis Gonzagae <sup>i</sup>. Non deneganda est philosopho Mantuano ingenii praestantia, iudicii acumen, doctrinae varietas. Imprimis laudanda eius diligentia, quae cum difficultates quaedam essent soluendae, eum in angustias redegit, et infanumque reddidit. Quam ubi reprehendit P. BAYLE <sup>k</sup>, prodit luculenter, se verba philosophi ipsa non inspexisse. Ita pariter modestia eius laudanda est, et in perferendis inimicorum persecutionibus patientia. Vnde vero collegerit OLEARIVS fuisse avarum, numerumque corradendorum causa tertias nuptias ambiuisse, non videmus, et misera ea ratiocinatio est, praesertim cum incerta sint, quae de eius matrimonio traduntur. Rectius, nisi fallimur, in eo culpatur, quod cum ingenii acie non destitueretur, eam tamen sectariae philosophiae et auctoritatis praeiudicio suppressere, quam abiectis his impedimentis sobrie et accurate philosophari maluerit, et imaginationis feruore se in deuia abripi passus sit. Vnde iudicium de eo fieri potest, vtrum eum inter philosophos locum obtinuerit quem ei tribuunt, non sui tantum temporis homines <sup>l</sup>, sed et nostrae aetatis viri docti, qui ingens ei philosophiae acumen <sup>m</sup>, argumentorumque soliditatem tribuunt. Etsi enim denegari eruditio philosophica Pomponatio non potest, facileque ferendum est, quod non nemo dixit <sup>n</sup>, non vidisse se philosophum quemquam, etiam aduersus Pomponatium scribentem, qui eum non laudauerit, comparate tamen id intelligi debet, si cum minorum gentium hominibus conferatur eius eruditio. Satis enim acute et ingeniose disputat, et quamuis id sibi, rei difficultate commotus, non arroget <sup>o</sup>, accurate tamen in Aristotelis et commentatorum, praecipue Aphrodisaei mentem penetrat. Ast ubi ad ipsam veritatem respiciendum erat, dici non potest, quantum acumen retuderit praeiudiciorum, praecipue auctoritatis Aristotelicae, robur, et vana quaedam, atque inepta superstitio, quae cum ex melancholico potissimum temperamento

efflet

d) Lexicographi, KOENIGIVS, MORERI, HOFMANNVS alique nominati a BAYLIO et OLEARIO II. cc.

u) FREHERVS in Theatro p. 1441.

x) Exhibentur ea a IOVIO, OLEARIO, KOENIGIO, qui videndi.

y) Luculentum hoc testimonium est, eum sine impietatis suspitione fuisse mortuum.

z) loc. cit. not. L. Non vero dicit Pomponatius difficultates de fato et libero arbitrio eum stultum reddidisse, vt putat Baelius, sed insanum, id est, stilo Pomponacii aegrum. Sequentia ver-

ba vero, quibus, philosophum perpetuis curis „et cogitationibus rodi, non sitire, non fame- „scere, non dormire, non exspuere, ab omni- „bus irrideri“ etc. dicit, id solum volunt, summam philosophi diligentiam ab ardentibus cucularis contemni: neque ideo culpandus erat Pomponatius. Verum ipsum de fato librum Baelius non viderat, vt ipse fatetur: et tamen censoriam in eum exercet virgulam.

a) GRATALORVS I. c.

b) Naudaeana p. 31. BAYLE I. c.

c) NAUDAEVSI. c. d) Vid. praef. libr. de fato.

effet coorta, monstra quaedam opinionum illi fecit commendatissima, et eiusmodi dogmata persuasit, quae a fani liberique iudicii philosopho non expectaueris. Quis enim, quaeso, vel in mediocri philosopho, suis facultatibus libere, et vt decet, vtente feret: vaticinia deberi temperamento melancholico? sanctorum inuocatorum auxilia adscribenda esse imaginationi atque fidei aegrotorum, ita vt canis etiam ossa, si simili fide respiciantur, idem efficiant: Excitauisse naturalem imaginationis vim, vel pluuiam miraculosam orantibus concessam, vel apparentem S. Coelestini in aëre imaginem; nasci sub certa constellatione homines, qui naturali vi pollent, tempestatibus, mari, ipsique diabolo imperandi; miraculorum virtutes latere in herbis lapidibusque; statuendum esse maximum afrologiae pretium, et quae alia sunt, his *παράδοξα καὶ ἀσοφώτερα*, quae in libro *de Incantatione* plenis buccis praedicat? Haec enim prorsus eiectam a praeiudiciis iudicandi vim naturalem fuisse, luculenter euincunt. Quare non immerito dicam scripsit D. G. ΜΟΡΗΦΙΟ<sup>c</sup> cel. HEVMANNVS <sup>f</sup>, asserenti, *omnes eum Peripateticos argutia superauisse*; cum certum sit iudicii aciem, quam in detegendis veris Peripateticae philosophiae principiis demonstrauit, a superstitione et imaginationis nimium ferocientis aestu, variisque praeiudiciis fuisse suppressam. Acui itaque rem non tetigit, quisquis numum <sup>g</sup> Pomponatii memoriae dicauit, in quo praeter ouem patientiae symbolum aquila, acuminis nota exprimitur. Facilius enim in ineptis illis somniis, quae mira subtilitate persequitur Pomponatius, fanaticum quoddam philosophandi genus, quam sobriam acutamque philosophiam dignoscas. Ipsam vero melancholici temperamenti, quod naturalem ingenii vim apud Pomponatium suppressit, notam attentus Lector detegat in stilo barbaro, inepto, confuso, et Scholasticorum stabulum redolente, ex quo facile taedium legenti obrepat; quas dicendi scribendique ineptias comitatur methodus obscura, Scholastica, spinosa, et obiectionum atque responsionum catenis ita implicita, vt non nisi summa attentione adhibita auctoris mens perspici queat. Quod vitium equidem in Scholasticorum scholis contraxisse Pomponatium, facile nobis persuaderi patimur, parum tamen inde excusari philosophum putamus, cum eo, quo is vixit, tempore, honestior disciplina et elegantiores literae in Italia dudum surrexerint. Nihil tamen magis in Pomponatio reprehendendum, quam ineptus Aristotelis totiusque Peripateticae philosophiae amor, qui monstrosas ei opiniones valde commendauit, quibus factum est, vt aduersarii cateruatim in eum insurgerent, eumque *ερέγοδοξίας* postulerent. Nempe profunde inspexerat Aristotelis systema Pomponatius, cumque imprimis Alexandro Aphrodisiensi duce vsus fuisset, illo interprete

e) Polyhist. T. II. L. I. c. II. p. 55.

f) Act. phil. Vol. II. p. 336.

g) Eius *ἔκτυπον* praefixit dissertationi suae OLEARIUS, et repetiit HEVMANNVS l. c. p. 689.

probe intellexerat, quae huius philosophi esset de natura animae humanae opinio, quae totius physiologiae Peripateticae constitutio. Eam cum Arabica philosophia, quae eo tempore multis in Italia placebat contulerat, et nec Auerroem in omnibus sequendum putauerat, neque deferendum in omnibus, ita vero ipso Auerroë peior φιλοσοφούμενος suis euasit. Satis clare id intelligent, qui Auerrois atque Pomponatii inter se placita comparauerint, nec sine iucunditate videbunt, qua ratione, dum Auerroisimum emendare cupiebat Pomponatius, ipso Auerroë factus sit deterior. Obseruauit id iam SPONDANVS <sup>b</sup>, tradens: „Pomponatium Iouii praecepto-  
 „rem in philosophia, enarrantem Aristotelem et Auerroem Bononiae,  
 „animas post corporis mortem interituras ex sententia Aristotelis pro-  
 „bare conatum, iuuentutem valde corrupisse, se eo tuentem, quod phi-  
 „losophice loqueretur, sed aliter cum Christianus esset, sentiret“<sup>c</sup>. Quae verba praeter rem carpit P. BAYLE <sup>i</sup>, eo quod supponant, Pomponatium Auerroisticam hypothesein de unitate intellectus humani in omnibus hominibus fuisse secutum, cum tamen Auerroisimum hunc ipse in libro *de Immortalitate animae* prolixè oppugnauerit, et velut monstruosam recteque a Thoma Aquinate explosam exagitauerit <sup>k</sup>. Hoc enim verum quidem est, nec Auerroistici huius dogmatis accusari illum posse, luculenter locus ille testatur: at nihil hoc impedit, quo minus conspirante veritate dici possit, Auerrois philosophiam Pomponatium in errorem coniecisse, vt dum unitatem intellectus agentis, immortalis et diuini, velut monstruosam et ab Auerroë Aristoteli temere affectam reuiceret, ipse animam mortalem esse affereret. In ea enim erat Pomponatius sententia: „Auerrois dogma „alienum esse ab Aristotele, verum hoc esse figmentum, et monstrum ab „Auerroë confictum“<sup>c</sup>. Ad hanc opinionem eum adduxerat partim odium, quo Auerroistas, et imprimis aduersarium suum Achillinum prosequeretur, partim lectio Alexandri, qui eam, quae in nobis est animam, mortalem esse, et velut formam hominis, soluto corpore perire dixerat. Cum itaque Pomponatius Auerrois et Alexandri placita inter se compararet atque committeret, nec quae ex hypothesei Auerrois pro animarum immortalitate affererentur, rationes ei satisfacerent, eo quod monstruoso dogmate niti cerneret, ipse vero aliam ratiocinandi, quam Aristotelis, artem et philosophiam nullam admitteret, necessario ad hanc de mortalitate animae doctrinam deferri eum oportuit, ratum ita se γνησιωτέρας secundum Aristotelem philosophari. Ex quibus iam intelligi potest, quo sensu verum sit, Auerroisimum Pomponatium in errorem seduxisse, et hinc ea emendanda sunt, quae P. BAYLE <sup>i</sup>, ex vna parte differuit et nos olim <sup>m</sup> ex altera parte non satis luculenter hac de re diximus. Non ignorabat Pomponatius, hanc doctrinam, immo alias quoque, quae genuinam Aristote-

lis

h) Ad ann. 1513. n. 20. p. 308.

i) loc. cit. not. B.

k) cap. 3 et 4.

l) Loc. cit.

m) In German. Hist. phil. Opere T. VI. p. 167.

Ita vero nudatum hostibus exponebat Iatus Pomponatius, cum Auerroisticae intellectui agenti vniuersali immortalitatem asserentes, erroris non essent suspecti.



lis mentem exhibuissent, repugnare fidei Christianae dogmatibus. Id tantum abest, ut negauerit, ut id ipse caute candideque monuerit<sup>n</sup>, falsus, se iis non consentire, qui viam fidei cum Aristotele conuenire credunt; sibi namque videri, has vias incompassibiles esse. Idque in ple-  
 risque etiam Aristotelicae physiologiae capitibus demonstrauit<sup>o</sup>, ostendens, doctrinam Peripateticam non esse veram, sed mancam. Verum si tamen secundum Aristotelem philosophandum sit, aliter statui non posse, monuit; sed haec tantum *ὑποθετικῶς* asseri<sup>p</sup>, et a se illa modo dici, quae Peripatetici dicere verisimiliter haberent. Responsiones itaque suas tam-  
 diu tenendas esse, dixit, donec meliores reperiantur, se enim verius nihil quam aliquid ab aliis accepisse. Quantum autem religionem attinet, si quid in suis dictis offendatur, quod sanctae ecclesiae catholicae aduersetur, vel ei minus placeat, illud totum se reuocare, et humiliter eius correctioni se subiicere professus est, et hac ratione nihil se fecisse autumauit, quod Christianum philosophum dedeceret. Haec licet ipse in scriptis suis assereret, et scripta etiam apologia latius proferebatur<sup>q</sup>, inuidiam tamen declinare non potuit, valdeque conatus impii amicis eius quoque displicuerunt, clerus autem, quem offenderat, exoptatam eius persequendi occasionem nactus, nihil non mouit, ut impietatis reus haberetur. Nec negari potest, Pomponatium dogma hoc de mortalitate animae, in quantum id ex philosophia innotescit, non modo scripto, sed et viva voce docuisse, et perniciosam sententiam lectionibus suis, quas ad iuuenes habebat, interspersisse: ipse enim, qui ex discipulorum eius numero fuit, id IOVIVS<sup>r</sup> testatur, conquestus hoc dogmate ad corrupendam iuuentutem dissoluendamque Christianam disciplinam nihil pestilentius induci potuisse. Quamuis autem se haec Peripatetice tantum disputare semel iterumque mōneret, causareturque<sup>s</sup>, quaestionem de immortalitate animorum esse neutrum problema, sicut etiam de aeternitate mundi: et nullas rationes naturales adduci posse cogentes animam esse immortalem, sed ex luce et veritate per filium manifestata indubie eam immortalem esse, asserendum esse; haec tamen dicis causa tantum profiteri iudicatus est. Et imprimis valde offendit omnes, quod iuuenum animos ante scriptum de immortalitate animae librum hac impietate imbuisset. Cuius argumentum est, quod iam anno MDXIII contra mortalitatis animae assertores trifulcum fulmen vibrauerit Leo X. Iuuenum autem animi cum doctrinam valde vitiis, praesertim in eo vitae genere, quod hi sequebantur, fauentem excepissent, conici inde nullo negotio potest, eos isto dogmate valde fuisse corruptos, tantoque praecceptore praeunte ad impietatem declinauisse. Qua de re acerbe conquestus est GVILELMVS POSTELLVS<sup>t</sup>, qui, postquam velut atheismi magistrum Aristotelem ac-

X 2

cu-

n) De Fato L. III. c. 1. p. 759.

o) De Incant. p. 310. 222.

p) Vid. Peroratio libri de Incantatione.

q) Vid. de Incant. p. 222.

r) Loc. cit.

s) De immort. animae c. 15. p. 124.

t) Apud ΛΑΥΝΟΙΥΜ de fortuna Aristot. c. XIV. p. 269.

culauerat, ita inter alia pergit: *Ad haec eo impietatis profecti sunt multi, ut, quod publice isti non auderent, ob legum seueritatem, sub Aristotelis nomine ausi sint profiteri, ut proximis istis annis perditissimus quidam nebulo Pomponatius cum summo Italiae probro ausus sit, scriptis etiam summis pontificibus oblatis, et tantum non suasit conari, ut ex Aristotele demonstraret, mortales esse animos: et ita bellua inualuit in ea impietate, ut etiam in gloria ponant quidam Parisiis eius doctrinae interpretes, se Perreti aut Pomponatii esse discipulos.* Tanta itaque cum ex impio dogmate asserto pernicietas timeretur, et imprimis liber iste Bononiae anno MDXVI typis exiisset, nec, si Postello fides, plane in aula Romana displicuisset, quod tamen pernegat MOTHAEVS VAYERIVS, clerus tot causis conspirantibus commotus licentiae philosophi Bononiensis obuiam eundem esse statuit. Qui multo magis moleste tulit, patriarchae philosophorum hanc a Pomponatio impietatem tribui, quam, inter Christianos eam disseminari. Venetiis itaque, teste SYLVESTRI liber ignibus addictus est, grexque Christianus publica praeconis sacri voce monitus, ut ab hoc veneno sibi caueret. Ipsi vero Pomponatii discipuli et amici scandalum sublaturi contra praeceptorem scripsere, inter quos maxime Contarenus, postea cardinalis, fuit, cuius responsum velut doctissimam et vberissimam Pomponatium collaudasse ait IOANNES CASA in *eius vita*; sero vero, si verum est, factum esse oportet. Pomponatius enim opinionem suam non dimisit, sed Contareno aliisque, qui in eum infurrexerant, edita apologia ita respondit, ut nouis fulcris hypothese confirmaret. Res itaque cum indies deterior videretur, Romam delata est. Vbi licet et Leonem X, P. M. et Petrum Bembum cardinalem Pomponatio, eiusque dogmati fauere nonnulli suspicarentur, tanta tamen indignatione librum exceperunt censores publici, ut flammis vtrices Pomponatius non euitasset, nisi Bembi patrocinio esset defensus. Augustinus Niphus autem refutare Pomponatii impietatem a pontifice iussus est, eo quod in concilio Lateranensi hoc dogma PP. obelo iam confixissent. Cui tamen, patrocinio aulae Romanae tutus Pomponatius, *Defensorium* opposuit. Id quod ita male habuisse Petri patrem Ioannem nonnulli referunt, ut eum abdicaret. Tota autem philosophi Mantuani defensio istis potissimum capitibus absoluebatur: Secundum Aristotelem, et, (quod in fer-

u) Recusus est Basileae 1534. vel serius forte vid. Ven. VOGTIVS Cat. libr. rar. p. 466.

v) Dial. V. quos Orasii Tuberonis nomine Gallice edidit. p. 295. Possunt autem verba Postelli hunc quoque sensum habere: eum oblato libro tantum non persuasisse pontifici et cardinalium collegio, neque ex Aristotele immortalitatem animae posse demonstrari, neque id officere doctrinae Christianae, quae satis luculenter hoc dogma stabilit. Quod verum esse ex iis patet, quae de responsione Bembi ad patriarcham Venetum refert LE NOBLE Tableaux des philo-

sophes T. II. p. 80. apud BAYLE l. c. not. C.

x) Strigimast. L. V. c. 5. apud SPIZEL. Liter. fel. p. 173.

y) LE NOBLE l. c. ubi excerpta afferuntur ex eius apologia.

z) pag. 184.

a) Vid. nota (v). Nota suspicio atheismi, quae premebantur Leo X, et Petrus Bembus, vid. BAYLE Dict. T. III. art. Leon. not. I. p. 83. et quos laudat.

b) Attulimus decretum concilii Lateranensis in antecedentia Tomo. c) OLEARIVS loc. cit.

feruore disputationis constitutus, affirmabat) ex principiis rationis immortalitatem animae demonstrari non posse, certissimum autem fidei dogma esse, proque eo defendendo asserendoque mori se esse paratissimum. Mutauisse tamen Pomponatium mentem <sup>a</sup>, vel si dicendum quod res est, poenituisse eum, quod non cautiùs mercatus sit, et THEOPHILVS SPIZELIUS <sup>e</sup> asserit, et imprimis, qui idem argumentum tractauit, ANTONIVS SIRMONDVVS prodit. Is enim vbi in Gallia nonneminem Pomponatii librum, non adiecta refutatione, typis recudi fecisse obseruat, addit <sup>f</sup>: „Quem repugnante auctore, nescio quis curiosus, aut impius, nouis typis iusserat in lucem exire solitarium et sine responsione laueli, quam „ipse Pomponatius scripta ad eum epistola ita olim comprobarat, vt palam „rogarat edici, se quoque suffragante perspersum suo libro venenum hoc „antidoto nisi diluatur, pestiferum esse, ac toti humano generi extimescendum“. Quod vtrum verum sit, et si verum, vtrum vel animi sententia professus sit Pomponatius, an ad declinandam inuidiam et calumniam scripserit, dicere non habemus, cum istam epistolam, ad quam provocat Sirmondus, reliqui ignorent, qui de Pomponatio scripserunt. Illud ex supra dictis certum, eum in Christianae fidei communiõne atque opinione orthodoxiae fuisse mortuum, et ideo Ganzagae cardinalis tumulo honorifice illatum, quod factum non fuisset, nisi ab imputato crimine se satis purgauisset. Non tamen haec omnia obstare potuere, quo minus atheismi nota etiam post fata Pomponatio a plurimis inureretur, quorum nomina adduxit Cl. REIMMANNVS <sup>g</sup>. Fuerunt tamen, qui philosophi celeberrimi miserti eius apologiam susceperent. Inter quos imprimis editor operum eius GVILELMVS GRATAROLVS Bergomas, Medicus Basileensis est, qui valde ignaris Pomponatii obtrektoribus et Aristarchis succenset, qui illum de animae immortalitate non bene sensisse nugantur, cum ipse in libro ea de re ante annos XLV <sup>h</sup> edito ex Aristotelis mente loquatur: in istis vero, vt legenti amborum librorum postrema et prima capita et alibi etiam clare patet, se vt Christianum decet sentire ac tenere asserit, et ecclesiae iudicio non semel atque iterum se suaque subdit: et testibus iis, qui eum nouerunt superstitem, pie pro eo tempore vitam cum morte commutauit: nam se ac sua ecclesiae catholicae subiecit, sique diutius vixisset, mirum quam fuisset veritatis acerrimus, vt puto, assertor. Idem sentiunt alii viri docti, aequius de incerta eius mente, statuendum esse rati. Monent enim <sup>i</sup>, saluis hypothesebus Aristotelicis et Alexandreis aliter statuere Pomponatium non potuisse, cum totius physiologiae Peripateticae connexio, ita statui postulet. Falsum autem esse Pomponatium, se illi tamen dogmati ex animo

X 3 adhae-

d) Conf. Io. WIERVS de Praeflig. daemon. L. VI. p. 569.

e) Loc. cit.

f) De Immortal. animae p. 2.

g) Hist. atheismi S. III. c. 4. §. 8. p. 361 seqq. quibus facile plures addi possent.

h) Scripsit haec Gratarolus anno 1567. inque eo falsus est, nam liber de Immortalitate animae anno 1516. editus est, non vero anno 1522.

i) Ita imprimis P. BAYLE l. c. not. F.

adhaerere, licet ex eorum numero esse dicat, quae certissima tantum ratione ex reuelatione innotescant, adeoque pro articulo fidei habuisse, rationi, maxime vero Peripateticae philosophiae, ignoto. In eo vero socios habuisse viros multos summos, et vitae pietate et doctrinae puritate venerabiles, qui haud leuibus rationibus inducti asseruerint, immortalitatem animae philosophiae demonstrationibus non subiici, eiusque certam cognitionem ex scriptura tantum hauriendam esse. Impossibile autem esse, et ab amoris Christiani natura alienum suspicacius contendere, dicis causa tantum ista distinctione fuisse usum, de internis enim animi sensis iudicare homines non posse. Talia sunt, quae pro Pomponatio dixerunt GISB. VOETIUS <sup>k</sup>, IENKINVS THOMASIVS <sup>l</sup>, PETRVS BAYLE, IO. FRANC. BVDDEVS <sup>m</sup>, IO GOTTL. OLEARIVS <sup>n</sup>, et G. G. LEIBNITIVS <sup>o</sup>. Quae eleganter quidem et erudite monentur, nec in se considerata reiicienda sunt, ad Pomponatium tamen, si quid iudicamus, applicari vix possunt. Cuius rationes paulo prolixius exponendae sunt, et sic occasio quoque arripienda, ostendendi, paulo plenius expositis Pomponatii placitis, quam pestilentes fructus tulerit eo tempore philosophia Peripatetica. Ipsi enim libri Pomponatii consulendi sunt, non modo quos *de immortalitate animae* scripsit, sed imprimis illi, quos *de incantationibus*, et *de fato, libero arbitrio, praedestinatione et providentia Dei* edidit <sup>p</sup>. Qui cum rarissime occurrant, paucisque visi sint, mirum non est, viros doctos iis non inspectis accurate satis de placitis Pomponatii non iudicasse. Sed et reliqua eius scripta rarissima sunt <sup>q</sup> vt ipse *Nomenclator operum eius manuscriptorum et euulgatorum*, qui ex bibliotheca IOANNIS BOVRDELOTII teste LABBEO <sup>r</sup> prodiit. Nos cum ipsas illas tractationes a Gratarolo curatas <sup>s</sup> in manibus habeamus, quid nobis de philosophia Pomponatii videatur, ita candide aperiemus, vt Lectoris arbitrium in partes vocare liceat.

Pomponatii  
φιλοσοφίμωνα  
de fato.

§. VIII. Pomponatii autem scripta cum attentione legentibus, et quod eorum obscuritas postulat, relegendibus manifestum quidem est, Mantuanum philosophum Aristotelem sibi ducem elegisse, et cum Auerroem non in omnibus Stagiritae mentem affecutum esse crederet, ad Grae-

k) Disput. Theol. T. I. p. 197.

l) Hist. Atheismi c. 7. §. 4. p. 60.

m) Thef. de atheismo c. 1. §. 24. p. 116 sq.

n) Diff. cit.

o) Disc. praelim. ad Theodic. §. 11.

p) Prodiisse editionem Venetam 1525. fol. refert, qui eam vidit desideratissimus CROSÆVS Hist. itin. liter. p. 73. conf. VOGT. I. c. p. 467.

q) Pleraque ad naturalem philosophiam pertinent, suntque inter ea Dubitationes in IV. libros meteorologicorum Aristotelis.

r) Biblioth. bibliothecar. p. 297. Conf. VOGT. I. c. OLEAR. I. c. §. 36. p. 33. 34. Additiones ad Naudaeana p. 161.

s) Liber de Incantatione prodiit eodem Gratarolo curante Basil. 1556. et postea 1567. posterior de Fato eo ipso anno cum ista tractatione, titulo: Petri Pomponatii philosophi et theologi doctrina et ingenio praestantissimi opera. Et hunc quidem iam ante prodiisse, ex nota (p) constat. Illum autem Gratarolum primum edidisse diserte in prima editione, quae longe rarissima est, dicitur. Ex quo corrigendae Relationes innoc. 1702. p. 828. Recensionem rarissimorum horum librorum dedere auctores Relat. innoc. loc. cit. STRUVIUS Bibl. antiq. 1705. p. 249. omniumque accuratissime Cel. HEYMANIVS Act. phil. Vol. II. p. 339 seqq. Nos prima editione libri de Incantationibus vti mur.

Graecos interpretes, maxime vero ad Alexandrum Aphrodisaeum diuertisse, idque sibi negotium dedisse, ut genuinam Peripateticae physiologiae mentem pernosceret. Quamvis enim ipse fateatur, *infinitorum pene auctorum scripta se legisse*, non negat tamen, *ignorantiam in iis suam, quae fecerit, ut ex iis minime sibi satisfacere potuerit, quaeque eum coegerit, peculiare dubitationes suas aduersus eorum dicta in unum redigere atque libellum compilare, quem de fato et libero arbitrio ediderit.* Maxime autem eo ipso loco se ad Alexandrum Aphrodisaeum respexisse, eiusque hypothese integro libro primo excussisse ait, quod ille admodum copiose Peripateticam opinionem explicauerit. Quod Aristotelicae philosophiae studium effecit, ut cum de naturae miraculis atque insolitis operibus, quae incantationes dici solent, rogatus a quodam medico Mantuano causam dicere vellet, quaestionis difficultatem praefatus, eo quod de his *Aristoteles aut parum, aut nihil verba haberet, et difficile ideo sit, quid ipse senserit velle indicare, multi autem qui hoc facere tentauerint, ridiculi habiti sint*: tandem, ut erat modestia singulari praeditus, diceret: *quod si rei non satisfecero, ut vereor, non parum mihi erit tuae petitioni satisfecisse, non enim postulas tibi aperiam, quid Aristoteles senserit, hoc enim fortassis vires nostras superat, sed quid Aristoteles senserit, quod nostrum existimem, pro posse aperiam.* Ex quibus eius verbis clarissimum est, Pomponatium supposito systemate Aristotelis physiologico, quale illud schola Alexandria explicuit; ut Tomo secundo dictum, de rebus naturalibus philosophari instituisse, hancque philosophiam suam fecisse. Pro interprete itaque Aristotelis habendum eum esse, nemo forte negauerit, qui librum *de Incantatione* legerit. Et hac quidem ex parte impietatis nota illi non inuri magis potest, quam aliis, qui, si Aristoteles sequendus sit, immortalitatem animae affirmari non posse professi sunt, nominati LVD. CERDAE \* cuius locum repetiit NIC. MALLEBRANCHIVS †. Ast ubi ex altera parte Pomponatium intuemur, fatendum omnino est, valde suspectum eum esse impietatis, qua Aristotelicas nugae sequi, quam pie sobrieque philosophari maluit, adeo monstrosa, et a sanitate doctrinae abhorrentia inque ipsam Christianam religionem iniuria sunt ea maxime, quae in libro *de Incantationibus* suggerit. Nec his retundendis sufficit apologia Grataroli ad primam illius libri editionem inter alia ita praefantis: *Prima causa cur istud doctissimum ac iucundum opus nunquam in usum publicum emisserit quisquam, haec esse videtur, propterea, quod is auctor, sicut in quibusdam aliis suis operibus, non usque quaque bene de animae nostrae immortalitate, ita in hoc de nonnullis miraculis in Christiana religione vulgo receptis, parum bene plerisque sensisse videretur: sed meminisse*

t) Praef. libri de fato et libero arbitrio Opp. pag. 370.

u) In epistola libro praefixa.

x) Ad TERTULL. ad Resurr. carn. c. 2.

y) De la recherche de la verite Lib. II. c. 6. p. m. 209.

nisse debent, qui sua legerunt, vel illum publice profitentem audiuerunt, eum dicere solitum, se ut philosophum, hoc est, Aristotelis sectatorem, cuius quam studiosissimus fuit, non tenere absolute animi immortalitatem, neque ex Aristotelis doctrina omnino defendi posse: ut vero Christianum, se ab ecclesia catholica non dissentire: id quod etiam in hoc suo ex postremis opere, praesertim in primo et ultimo capitibus non obscure fatetur. Idem de veris miraculis asserit, pro quibus tuendis non veretur semel atque iterum ipsum suum Aristotelem ac Platonem, aliosque philosophos ignorantiae arguere, et illorum doctrinam, quod ad Christi miracula et religionem, Dei que omnipotentis cognitionem attinet, insufficientem ac coecam asserere. Nam ut verum quidem est, anxie haec et magna cura in prologis et epilogis suarum tractationum inculcare Pomponatium, ita satis tamen luculenter passim prodidit, se ad declinandam tantum inuidiam, euitandaque fulmina cleri ea dicere, praeferre se vero Aristotelem et Alexandrum suum Christianae religioni, et, cum haec doctrina cum Peripatetica non consentiat, cupere se, ut Lycei auctoritas prae ecclesiae fide salua maneat atque inconcussa. Quod ut in aperta luce constituatur, ipsae Pomponatii paginae euoluendae sunt, in quibus ea regnat impietas et tantus Christianae religionis contemptus, ut eam insuper habuisse sit manifestissimum. Non virgebimus innumera, quae contra gratiae diuinae efficaciam et praedestinationis dogma disseminauit dubia, nodosque difficiles, quos in libris *de Fato et libero arbitrio* struxit, cum ex Aristotelico systemate necessarium et inuitabilem causarum supremarum usque ad infimas nexum supponeret; nec monebimus, non fecisse iniuriam Pomponatio magnorum meritorum theologum cel. VAL. ERN. LOESCHERVM<sup>z</sup>, qui eum inter scepticos retulit, id enim ex hac sola eius disputatione colligi potest. Sed ignoscemus haec philosopho, fatenti, *in difficillimo argumento, se haec scripsisse, non ut alios doceret, quandoque inscium, sed magis ut se ignorantem alii doceant.* Ast quis feret ex liberi arbitrii quod in homine supponit<sup>a</sup>, magnisque rationibus assertum ire contendit, natura inferentem *providentiam diuinam et liberum arbitrium humanum non posse simul stare in eodem, adeoque Deum absolendum esse a providentia caducorum*<sup>b</sup>. Nempe id ab Aristotele suo didicerat Pomponatius, qui ob necessariam motoris primi actionem in primam sphaeram et intelligentiae ei praesidentis necessariam connexionem, eius providentiam a sublunariis excludit. Quam Aristotelis impietatem tot ut putat, absurditatum ex contraria de influxu Dei in actiones hominum doctrina exurgentium obiectionibus palliat vrgetque, ut attento lectori facile persuadeat, plurimum interesse philosopho, ut insuperabilia haec dubia et insolubiles nodi videantur. Inde alio quoque loco<sup>c</sup> contra Thomae assertiones de gratiae efficacia et influxu, subtilissimas obiectiones spargit, easque con-

<sup>z</sup>) Huic enim recensionem in innoc. Relat. adscribit OLEARIUS l.c.

<sup>a</sup>) L. II. c. 1. p. 529. 531.  
<sup>c</sup>) Lib. V. c. 6. p. 958.

<sup>b</sup>) pag. 533.

contradictionum plurimarum coarguit. Inter quas haud leue argum-  
 tum est, quod Thomae hypothesin cum Stoicis comparando haud mino-  
 rem, quam Porticus alebat, impietatem eam fouere acriter contendat.  
 Vnde aliam gratiae et concursus eius cum libero arbitrio rationem ineun-  
 dam esse ratus, ita praecipendum esse statuit *a*: *Requirere mundi, velut*  
*operis diuini, perfectionem, ut sit in vniuerso natura libera; et condi-*  
*disse Deum naturam humanam, ut omnis homo esset bonus et beatus*  
*quantum possibile sit, secundum suam naturam, relicta tamen et serua-*  
*ta libertate libertatis f*: *Voluisse quoque Deum ab aeterno omnes homi-*  
*nes esse beatos, id autem intelligendum esse tantum de beatitudine, quae*  
*debetur homini ex puris naturalibus, ad quam per pura naturalia*  
*peruenire possunt, quam beatitudinem multos ex gentibus se existima-*  
*re, ait, habuisse qui vixerunt secundum regulam naturae etr.* Quae  
 vt apertissima ratione euincunt, Pomponatium totum abiecit Paulum,  
 vt Aristotelem triumphantem in folio collocaret, ita demonstrant, non  
 Christiana magis, quam Peripatetica, dogmata illi arrisisse. Verum  
 denuo aures vellicant nobis Pomponatii patroni; dicere haec vt philoso-  
 phum, non vt Christianum, et hoc respectu totum se ecclesiae subiicere.  
 Quibus vt manibus palpandum demus, quam amaro risu praeter animi  
 intentionem cucullatos fratres, vt ipse vocat, ista submissione rideat, et  
 quam contempta illi ecclesiae vox sit, en locum valde memorabilem, vbi  
 empacta vaferrimus hunc in modum differit *e*: *Percelebre peruulgatum-*  
*que est, praecipue apud homines diui Dominici, diuum Thomam habuisse*  
*a redemptore multis veraciter audientibus et non phantastice, omnia*  
*quae per eum Thomam scripta sunt, quae attinent ad theologiam, ve-*  
*riissima esse et recta declarata. Quod si verum est, nihil est, quod in*  
*dictis his de praedestinatione dubitem. Nam quamquam mihi falsa et*  
*impossibilia esse videantur, immo deceptiones et illusiones potius, quam*  
*enodationes; tamen vt inquit Plato, impium est diis et eorum filiis non*  
*credere, etsi impossibilia videantur dicere, et iuxta apostoli sententiam*  
*oportet captiuare mentem nostram in obsequium Christi.* Nempe decebat  
 philosophum Peripateticum, arrepta ex vulgo monachorum fabula ipsa  
 religionis mysteria deridenda propinare, prodereque non sine sale, se san-  
 ctissima scripturae decreta, quibus contraria defendebat, Aristotelem  
 suum secutus, cum fabulis monachorum eodem loco habere. Hoc qui  
 pacto sinceram et Christianam dogmatum ecclesiae, ipsiusque Christianae  
 religionis venerationem, obsequiumque Pomponatium demonstrauisse  
 crediderit, heroica is fide praeditus censendus est.

*Credat*

d) pag. 977.

e) pag. 989.

f) pag. 983.

g) L. V. c. 6. p. 958. Obseruandum autem,  
 Pomponatium in hoc capite oppugnandum sum-

sisse non solam Thomisticae Scholae doctrinam,  
 sed comunem quoque ecclesiae traditionem de  
 praedestinatione et gratia, de qua varias opinio-  
 nes affert, Paulumque disputationi praefigit, vt  
 ex c. 5. p. 951. patet.

Credat Iudaeus Apella

Non ego.

Et haec quidem ex libro *de Fato atque libero arbitrio* specimina satis luculenta sunt, praetulisse Pomponatium Aristotelem Paulo ipsique Christo. In quo licet infinitis labyrinthis veram mentem suam occultet, et innumeris maeandris incertam atque obscurissimam orationem implicet, facile tamen ex allatis lector cautus et attentus intelliget, quo loco is habendus sit. Ex his vero causam patere existimamus, cur nos acutissimi HEYMANNI<sup>b</sup>, cuius tamen iudicio plurimum tribuimus, sententiam deseruerimus, statuentis, Pomponatio Stoicam de fato doctrinam arrisisse. Hanc enim exponit quidem, et ex ea dubitationes contra Alexandrum necit, contententem, alia esse fato subiecta, alia libera: verum non probat, sed ea tantum vitur, vt, quod clare innuit<sup>i</sup>, probet, *Christianorum*, quas oppugnat, *responsiones Stoicorum de fato dogma corroborare et construere ac manifestare, illam opinionem esse veram*, et vt demonstrat, *aliter dici non posse, si teneamus, Deum inferiorum habere potentiam, immo longe meliorem esse Stoicorum opinionem Christianorum opinione, eo quod secundum Christianos stantibus responsionibus datus Deus voluntarie faciat malum, secundum Stoicos ex necessitate naturae*, cuius quoque exemplum adducit, ad deridendos sacrorum ordinum homines quam maxime comparatum. Quae vt impium et profanum Pomponatii animum declarant, produntque, quam ille opinionem de Christiano doctrinae systemate habuerit, ita luculenter docent, eum Stoicorum placita ideo Christianis opposuisse, vt, cum illa in antecedentibus iam confodisset, ostenderet, negatam DEI in inferiora prouidentiam vnicum esse medium ex hoc labyrintho eluctandi. Neque in eo a Peripatetica semita deflectit, nisi in hoc, quod in hominibus quoque, licet diuina et naturalia non sequentibus, fatiquandam necessitatem, sed a primo motore non dependentem, verum a causis inferioribus, quod ad euentus attinet, dari ostendat. In eo enim aliter ALEXANDER statuit, docens<sup>k</sup>: *Quod si nostrae sint potestatis ea, ad quae agenda, aut non agenda domini sumus, non posse dici fatum talium esse causam, neque causas et principia externa esse proiecta, per quae talia inuitabiliter aut fierent, aut non fierent. Nam si id esset, iam in nostro arbitrio non esset, vt ista essent aut fierent. Restare itaque, vt dicatur fati vis sita in iis, quae natura fiunt, ita vt idem sit natura ac fatum. Neque naturale esse hominem ex homine, equum ex equo nasci, vt non idem sit fatale. - - Omnis quippe ortus initium esse diuinarum naturarum, dum mouentur, certum quem habitum ad res infernas. His dum dubia sua opponit Pomponatius, Stoicis armis vitur, et causam pendere ex causa, adeoque independentem etiam in iis, quae libera dicuntur, causam, non dari a seipso oriundam*

h) Act. philos. Vol. II. p. 376. i) pag. 973.

k) De Fato p. 152. Coll. Grotianae scriptorum

de Fato, edit. Paris. §. VI. p. 24. edit. Londinensis. Danus autem versionem GROTIJ.



undam contendit. Quam caussarum catenam cum ex ipso Lyceo confirmauisset, vt euitaret exceptionem Peripateticorum: *Hominem sine extrinseco concurrente vel ipsum determinante libere agere, regerit*: *In potentia contradictionis debere esse determinationem, quia determinata hominis voluntas exeat in actum.* Cumque illud determinans detegendum esset, definiendumque, dixit *illud esse intelligentias vna cum corporibus coelestibus.* Quo ictu omnino prostrauit phalanges Aristotelicas, cum ex ipso intelligentiarum ordine nexuque consequatur a supremo motore, etsi nescio, nec talia curante ad infimam vsque intelligentiam quendam influxum determinantem oriri, et ab hac ad sublunaria ipsumque hominem extendi. Quibus positis tantum abest, vt Stoicam necessitatem intrinsecam asseruerit, vt potius ab externo influxu in naturam sublunarium cuncta, excluso Deo, deriuat: quamuis Alexandream hypothesin suo modo deserat. Tacemus haec omnia obiectionis instar Pomponatium adducere, vt ostenderet, omnem de fato doctrinam esse incertissimam, adeoque totam derelinquendam. Ex quo, si eum audis, sequitur, cum nec Peripatetica, nec Stoica, nec Christiana de praedestinatione doctrina dubiis insuperabilibus careat, ea abiecta, negatae diuinae prouidentiae systema Lyceo gratissimum esse amplectendum. Id quod impietatem Pomponatii luce meridiana clariorem ponit.

§. IX. Satis, nisi fallimur, luculenter ex Pomponatii libro *de fato* ostendimus, eum contentis et irrisis Christianae sapientiae decretis Peripatetica praetulisse, et inuidiae declinandae causa se tantum ecclesiae arbitrio subiecisse, quamuis diceret <sup>m</sup>, *simpliciter Ecclesiae credendum, ubi quoque doctrina ecclesiae intelligi non possit.* Clarum etiam est, eum Peripateticam doctrinam habuisse pro optima in hoc argumento, secundum quam *mundus est animal et de necessitate supra lunam, sublunaria autem se habent, tanquam non stercora; sic vt dicendum sit, Deum producere vniuersum, veluti luminosum producit latitudinem luminis a certo gradu vsque ad non gradum*: eum porro existimasse, quod in fine fatetur: *Deum non cognoscere particularia, saltem generabilia et corruptibilia, nisi secundum speciem, non secundum indiuiduum.* Quae impietatis Peripateticae sunt plenissima, exacte vero cum physiologia Aristotelica conspirant. Iam ex libro quoque *de Incantatione* ostendendum, Pomponatium infano Aristotelis amore infatuatum, grauioribus adhuc erroribus se implicuisse, et tamen nugis istis atque somniis ita Christianam doctrinam postposuisse, vt iniuria eam et contentu cumulare non erubuerit. Dabimus hic quoque eius placita, cumque libellus sit longe rarissimus, paucisque legendus se offerat, longe plura vero, quam in altero libro paradoxa decreta contineat, magis memorabilia, ordine ab ipso Pomponatio delecto, ipsisque eius verbis, licet saepe barbaris, exhibebimus. Ita vero philosophus statuit:

*Pomponatii  
philosophia  
de incantationibus.*

1) pag. 372.

2) pag. 1013.

I. Daemones singularia non intelligunt, siue per essentiam suam, siue per essentiam rerum singularium intellectarum, neque per essentiam aliarum rerum distinctam ab ipsis daemonibus. In hoc asserto supponit Pomponatius ex Aristotelica physiologia intelligentias sphaeris affixas, non nisi intellectu et appetitione ad primum motorem ferri, exque eo sphaeram suam mouere, inferiorum rerum neque intelligentes neque appetentes, eo quod cum iis nullam habeant communicationem. Haec clavis instar esse possunt, ad reliqua intelligenda. Ea autem in sequentibus<sup>o</sup>, inde quoque roborat, quia sensibilia non agere possunt in intellectus penitus abstractos. Inde daemonibus omnem in res materiales virtutem mirificam et operationem praeternaturalem denegat.

II. Profanum vulgus est, et rudes homines, qui, quod non norunt fieri per causas manifestas et apparentes, in Deum vel in daemonem coniciunt<sup>p</sup>.

III. Homo est medius inter aeterna et generabilia atque corruptibilia, non tantum per horum exclusionem, verum et participationem. Hinc virtutes et vitia sunt nobis non profecta quidem a natura, sunt tamen in nobis horum seminaria<sup>r</sup>.

IV. Humana anima cum sensum et intellectum contineat, ipsa est omnia<sup>s</sup>.

V. Quamuis sit in anima sensus tantum in actu et sensibile in actu, et sic solum secundum esse spirituale et non reale: nihil tamen prohibet, immo est necessarium, quod ipsa species spiritualis realiter producat rem, cuius est species, si agens fuerit potens, et passum bene dispositum. Prolixè hoc vrget Pomponatius, eo quod hoc potissimum fundamento nixus demonstrare cupit, imaginationis vim eam esse, spirituales vt effectus mirasque et insolitas virtutes demonstrare possit. Hinc ad motus corporis ex affectu animi, ad conceptionis et formationis foetus opus, et ad alias affectuum et imaginationis operationes prouocat, e. g. fascinationes, praegnantium errores.

VI. Quamuis per species in anima et passiones ad intra et in corporibus, in quibus reperiuntur, fiant tam mirabiles effectus, nihil tamen prohibet, quin et ad extra et in corpora aliena aliquando consimiles operentur effectus: certum enim, passum similiter dispositum ad extra, sicut ad intra immo et aliquando magis ad extra, et agens habere sufficiens dominium<sup>t</sup>. Hoc ex fascinationis vi et causa demonstratum it.

VII. Daemones immediate mouent corpora motu locali, sed non immediate alterant: Alteratio enim fit per corpora naturalia, quae passio clam vel aperte fuere applicata ab ipsis daemonibus<sup>u</sup>. His suppositionibus Pomponatius totum demonstrationis suae mirabilis superstruxit aedificium.

VIII. Ex

n) pag. 8.  
p) pag. 27.

o) pag. 19.  
q) pag. 23.

r) pag. 30.  
s) pag. 41.

t) pag. 39.

VIII. Ex his sequitur, quod aliqui multa sint operati secundum naturalem et astronomicam scientiam, et tamen vel ex sanctitate crediti sunt operari, vel ex necromantia, cum tamen neque sancti, neque necromantici sint <sup>a</sup>.

IX. Sequitur etiam, si verum est, quod a multis approbatis viris dicitur, scilicet aliquas esse herbas, vel lapides, vel alia huiusmodi repellentia grandines, pluias, ventos, et etiam naturaliter reperiri aliqua alia apta inducere eadem: cum homines naturaliter scire talia possint, sic applicando actiua passiuus, poterunt inducere grandines, pluias et eas repellere, neque est hoc impossibile.

X. Ex his sequitur ulterius, quod fortassis multi habiti sunt magi et necromantici, vt Petrus Aponensis, et Ciclus Esculanus, qui tamen nullum commercium habuerint cum spiritibus immundis, immo fortassis cum Aristotele crediderint daemones non esse. Et aliqui existimati sunt a vulgaribus sancti et crediti habere commercium cum angelis, propter opera, quae videbantur, cum tamen fortasse fuerint viri scelerati. Quod si dicatur horum aliquos facere signa bona, aliquos signa mala, vtpote aliquos signum crucis et orationes sanctorum dicere, alios vero oppositum: credo haec facta fuisse ad deceptionem hominum; viros autem doctos et bonos malum non propalasse existimo, ne scientia vilescat et profanetur <sup>x</sup>. Hunc arietem ideo struxit vaserrimus philosophus, vt in sequentibus omnia omnino diuinorum virorum ipsiusque Saluatoris miracula subrueret.

XI. Contingit, vt homines habeant ex proprietate indiuiduali virtutem operandi in externum obiectum in potentia, et per vim imaginatiuam et desideratiuam, cum actu operentur; tunc talis virtus exit ad actum et afficit sanguinem et spiritum, quae per euaporationem petunt ad extra, et producunt tales effectus. Ita reges Galliae strumas curant <sup>y</sup>.

XII. Contingit imaginatiuam et cogitatiuam virtutem esse valde fixas circa aliquid, sic quod non sunt secundum naturales dispositiones, verum habitus valde fixi et diu permanentes, et quod habeant obedientiam spirituum et sanguinis: et tunc in tali casu res imaginatiua et cogitatiua sic imaginantibus et desiderantibus potest produci <sup>z</sup>. Prouocat ad imaginatiuam grauidae, ad fidem aegri etc. et hinc cribrorum et speculorum fatidicorum effectus incomprehensibili sagacitate deriuat.

XIII. Si quae reperiuntur facta in vtrisque legibus, veteri Moyfis, et noua Christi, miracula, quae etiam in causam naturalem reduci possunt, asserentibus tamen legibus illa esse facta ex miraculo, firmiter tenendum est, illa fuisse vera miracula. Quod vero eiusdem speciei alia sint miracula, alia non sint, sufficit ecclesiae catholicae auctoritas, quae Spiritu S. et verbo Dei regulatur <sup>a</sup>. Ita fortissimam obiectionem, quam in antecedentibus <sup>b</sup> attulerat, eneruari miracula Mosis et Christi, et ad causas

Y 3

<sup>a</sup>) pag. 45.    <sup>x</sup>) pag. 46.    <sup>y</sup>) p. 48.    <sup>z</sup>) p. 52.    <sup>a</sup>) p. 89.    <sup>b</sup>) p. 70.

causas naturales reduci posse, eludit magis, quam soluit. Hinc cum concedat <sup>c</sup>, quamvis illae figuraciones in cordibus ex fixa imaginatione figurari possint, et talia stigmata in talibus partibus generari, vt legitur de b. Francisco, tamen si ecclesia Dei determinet, ista facta fuisse ex miraculo, sic firmiter tenendum esse, licet haec videantur de possibilibus remotis valde.

XIV. Non extra naturam et operationem est, mentes vocibus immutari et cogi, quibus immutatis et corpora immutari perspicuum est. Fides tamen accedere debet habita verbis illis, ex qua maior fit euaporatio ratione praecantantis, et melior dispositio ratione praecantati. Idem valet de figuris et characteribus <sup>d</sup>.

XV. Obiici potest asserto; quaedam fuisse facta <sup>e</sup>, quae nullo modo in causam naturalem reduci possunt; veluti mortuorum resurrectio, illuminatio coeci, eo quod historiae quoque gentilium testantur, multos ex inferis fuisse reuocatos, idque herbarum et daemonum vi. Talia fuisse miracula <sup>f</sup> Vespasiani. His obiectionibus *capite* quidem *octauo* responsiones opponit, verum adeo frigiditas, vt quae ei mens de miraculis diuinis infederit, cauto lectori facile prodat. Vt enim neget, reuocationem hominis demortui ab inferis, esse naturae opus, ad theologorum modo auctoritatem et sententiam prouocat, quos quam contentos habeat infra videbimus. Ad exempla resuscitatorum a gentilibus allata regerit, aut fabulam esse, aut resuscitados non fuisse vere mortuos, cuius exempla a suspensis, epilepsia correptis, apoplexia tactis etc. desumit; scilicet, quod rebatur, eandem quoque resuscitationi mortuorum a Christo praestitae exceptionem obuerti posse. Immo si concedendum esse putat <sup>g</sup>, quod fuerit vera resurrectio, non tamen eam fuisse ait ex daemonibus, verum ex ipso Deo, nihilque vetare, eos fuisse paganos et gentiles. Qua ratione omne illud, quod pro veritate R. C. doctrinaeque Christi a luculento hoc miraculo desumitur argumentum infeliciter impieque euertit. Nec alia ratione Vespasiani miracula negat, quam, non reuera fuisse coecos, vel fanatos fuisse a Vespasiano, quia fuissent talis dispositionis <sup>h</sup>: similia dicturus de Christo, nisi legum metus obtutisset.

XVI. Grandis tamen contra haec omnia, quae daemonum existentiam Deivae operationem immediatam, vt in resurrectione, supponunt, dubitatio exsurgit, mirum esse ac monstruosum, tantum philosophum, qualem omnes nationes vno ore Aristotelem fuisse confitentur, istud non vidisse, et aperte haec, a veteribus affirmata et innumeris historiis comprobata, negauerit, et tanquam ridicula et inanla despexerit. Valde extollit hanc dubitationem, *quam, vtinam soluere scirem*, addit: ei quoque robur quantum potest apponit, et vbi responsum parat <sup>i</sup>, hac excusatione vtitur: „Satis vereor, cum tantam rem aggredi tentem, ne „nomen

c) p. 91.  
d) p. 102

e) p. 93.  
f) p. 118

g) p. 113.  
h) cap. 12. p. 119.

i) p. 117.

„nomen temerarii subeam, et supra vires praesumere videar. Verum  
 „amor meus et obseruantia, quam a teneris etiam annis erga Aristotelem  
 „habui, impellunt ad sui defensionem haec pauca in medium afferre,  
 „quae tamen, si ex toto difficultatem non euacuabunt, meam saltem in  
 „eum obseruantiam et charitatem monstrabunt“. Satis manifeste haec  
 „produnt causam, cur Aristotelem Christo et apostolis praetulerit impius  
 „philosophus: quae vero ab eo exhibetur responso, talis est, vt impietatem  
 „Peripateticam Pomponatii in aprico ponat. Huc enim omnia paucis rede-  
 „unt: Primum causam demonstrat <sup>k</sup>, cur daemones Aristoteles negauerit,  
 „nempe quia viderit, ex sensibilibus haec insensata probari non posse, et  
 „haec principiis naturalibus aperte aduersari. Deinde cum operationum a  
 „daemonibus profectarum exempla innumera allegentur, praemissa prote-  
 „statione, se hanc solutionem non pro absolute vera habere, sed tantum  
 „ita ex principiis Aristotelis respondendum videri, haec statuit: 1. De-  
 „um esse causam vniuersalem omnium materialium et immaterialium, non  
 „efficientem modo, sed et finalem et exemplarem atque formalem; immo  
 „mundi archetypum. 2. Omnium corporabilium, saltem generabilium et  
 „corruptibilium hominem esse supremum et nobilissimum. 3. In tota natu-  
 „ra humana aliquos homines dependere ab aliis, vt se inuicem adiuuent.  
 „4. Id vero varie fieri et aliter pro ratione dependentiae. 5. Deum autem,  
 „quanquam sit omnium causa, penes tamen Aristotelem nihil operari va-  
 „lere in hoc sublunari mundo, nisi mediantibus corporibus coelestibus tan-  
 „quam instrumentis per se et necessario requisitis ad factionem et conserua-  
 „tionem horum sublunarium. Haec non textibus allatis ex Aristotele so-  
 „lummodo probat, sed innumeris fere exemplis operationes corporum coe-  
 „lestium in haec inferiora roborat, signa futurorum euentuum inde orta  
 „aduocat, et magna fiducia concludit, omnem effectum hic inferius aut  
 „per se aut per accidens reduci ad coelum, et ex peritia corporum coelesti-  
 „um miranda et stupenda posse cognosci et pronuntiar. 6. Harum vero  
 „operationum natura doctrina, experimento, libris aliisque ex fontibus  
 „homines nonnullos habere notitiam, qui ab imperita plebe vel pro dae-  
 „moniacis vel pro sanctis natis ex materno vtero vel extra maternum vte-  
 „rum habeantur. Quae facta inductione latissime exemplis furoris fatidici  
 „gentilium, poetarum enthusiasmi, puerorum fatiloquorum, lapidum  
 „diuinandi virtute pollentium, prodigiorumque non sine lectionis ostenta-  
 „tione demonstrare fatagit. His omnibus praemissis in difficilibus et oc-  
 „cultis rationes magis ab inconuenientibus remotas sequendas esse statuit.  
 „Et his ita suppositis, secundum Aristotelem sine immediata Dei vel daemo-  
 „num operatione ad supra allata exempla omnia responderi posse contendit.  
 „Deum secundum Aristotelem <sup>l</sup> ob perfectam <sup>m</sup> essentiam, inferioribus  
 „ob eorum imperfectionem admixtam immediate copulari non posse, adeo-  
 „que instrumentis et ministris opus habere <sup>n</sup>. Deum itaque in vatibus  
 „(etiam

k) pag. 120.

l) p. 145.

m) p. 147.

(etiam in oraculis gentilium) mediantibus intelligentiis mouere corpora coelestia, vt talia in phantasia vatis generentur. Hic modus cum maxime naturalis sit, magis retinendam esse Aristotelis sententiam, quam aliam. Per contactum itaque intelligentiae corpori coelesti praesidentis, siue potius clariusque ex dispositione corporum coelestium habere vates istam virtutem fatidicam, quae causa sit, cur vates non fiant, sed ex peculiari corporis dispositione melancholica nascantur<sup>n</sup>. Fieri haec quidem ab intelligentiis, verum non ab eis, quas alii dicunt, quandoquidem sufficiat numerus ab Aristotele positus<sup>o</sup>; et haec modo mediantibus corporibus coelestibus, tanquam earum necessariis instrumentis, cum natura ordinate procedat, primaque (Deus) non coniungantur infimis sine mediis. Similiter fieri prodigia, plorare statuas, guttas emittere; quamuis haec multoties sint hominum et sacerdotum deceptiones, quod temporibus suis contigisse affirmat. Spectra autem et apparentes imagines, qualis illa fuit S. Coelestini in aëre in vrbe Aquilana visa, factas esse a Deo per ministros suos, qui sint intelligentiae coelum mouentes mediantibus coelis: eas autem non formas esse talium corporum, sed motores<sup>p</sup>. Et per hos Deum rebus inferioribus providere eaque curare. Esse vero etiam demortuorum imagines diu in aëre, et sonum edere posse, hincque illas spectrorum apparitiones oriri<sup>q</sup>. Haec simulacra a corporibus coelestibus facta illos Deos fuisse, quos homines saepe allocuti sint<sup>r</sup>. Vera quoque esse auguria, quibus providentia diuina vtatur; esse autem ea effectus coelorum, et naturae<sup>s</sup>. Animam vero disponi secundum materiae dispositionem, et ipsam materiam suscipere virtutes coelestes, quae virtutes coelestes animam dirigant ad diuersos fines<sup>t</sup>. Quaecunque autem daemonibus operationes tribuantur, fieri quoque posse ex iisdem causis per hominem. Ex his tandem, multifaria, quae auctori non deneganda est, eruditione et lectionis copia disputatis, hanc tandem conclusionem format<sup>u</sup>: *Si quis mirabilia et occulta naturae opera considerauerit, virtutes corporum coelestium Deum et intelligentias, humana et omnia inferiora, curantes, nihil opus esse daemonibus, vel aliis intelligentiis, nisi Aristotelis, adeoque nec genios nec peculiare hominum custodes ponendos esse. Eis autem qui ponunt animam immortalem et multiplicatam, naturalem esse debere resurrectionem, arteque procurandam<sup>x</sup>. Cum autem manifestum sit, Aristotelem resurrectionem negasse, ideo certissimum esse apud eum, humanam animam esse mortalem, nisi figmentum maximum opinionem Auerrois somniamus, videlicet unicam in omnibus hominibus esse animam, quod inintelligibile sit.* Haecenus vna ferie Pomponatius, qui cum veram mentem in hac dissertatione exposuerit, recte, nisi fallimur, impietatis Peripateticae accusatur. Ea vero in sequentibus sic porro explicat:

XVII. Deus

n) p. 152.  
p) p. 169.o) p. 155.  
q) p. 173.r) p. 179.  
t) p. 187.s) p. 183.  
u) p. 213.

x) p. 215.

XVII. Deus omnia intelligit, et se quidem per essentiam, reliqua vero per causam, quoniam aliorum est causa omnium <sup>a</sup>.

XVIII. Intelligentiae primo per se intelligunt, et in se ipsis intelligunt superiora, quoniam eorum sunt effectus, inferiora vero in se ipsis, non extra, intelligunt, quoniam sunt causae inferiorum: hinc exactissimam habent notitiam sublunarium, verum tantum in specie, non in indiuiduo; sic ut opus haud sit, si Deus vel intelligentia Socratem producat, ut nunc intelligat particulariter Socratem, et hoc instans; eo quod demum per locum et tempus determinantur <sup>a</sup>.

XIX. Deus et intelligentiae in haec inferiora agere non possunt; ab agente enim immobili non potest provenire novum, nisi mediante motu antiquo.

XX. Mouent itaque Deus et intelligentiae intellectum et voluntatem tanquam prima mouentia, non tamen sine corporibus coelestibus <sup>a</sup>.

XXI. Voluntas partim est materialis, quia sine re corporali agere non potest, partim est immaterialis, quare supra corpus operari, et eligere potest, et libera est <sup>b</sup>.

XXII. Vates ex genitura sua et principiis generationis ita sunt dispositi, sed remote, habent autem aliquam propinquiorem dispositionem ad suscipiendos afflatus diuinos: formalis autem et effectiua est cognitio et similitudo rerum habita a corporibus coelestibus <sup>c</sup>. Tales fuere Elifaeus, Ioseph, Daniel, et vates etiam gentiles.

XXIII. Deus non tantum vnus est causa, verum omnium; quare et omnium vaticiniorum causa est, secundum tamen alteram et alteram dispositionem coelorum, et dispositionem passii dat vaticinium, diuersi autem situs coelestium corporum continue variantur.

XXIV. Sanitas miraculosa fit vel ex imaginatione credentis, vnde si ossa sancti essent ossa canis, et tanta et talis de eis haberetur imaginatio, non minus subsequeretur sanitas quam ex ossibus reliquiarum: immo multa corpora venerantur in terris, quorum animae patiuntur in inferno; vel illa fit secundum peculiarem dispositionem subiecti <sup>d</sup>.

XXV. Preces, quae imbrem operatae sunt, effecerunt id virtute imaginationis vehementis. Nam cum hominis in anima voluntas et maxime imaginatiua fuerint vehementes, elementa, venti et reliqua materialia sunt nata obedire eis. Hinc debent preces ex imo corde provenire, et esse feruentes <sup>e</sup>, quoniam sic spiritus melius afficiuntur, et supra materiam fiunt validiores, non ut flectant intelligentias, sunt enim immutabiles, sed ut magis afficiantur. Et hac quoque ratione vapores acriter affectorum potuere figurare imaginem diui Coelestini <sup>f</sup>.

XXVI.

y) p. 237.

a) p. 240.

d) p. 249.

e) p. 255.

z) p. 239.

b) p. 241.

c) p. 244.

Ita vero his sibi placet Pomponatius,

vt grauem dicam iis scribat, qui philosophos impietatis accusant, cum ipsi soli rationalem orandi modum subministrant, reliqui irrationali modo orient. En vero pietatem. f) p. 259.

XXVI. Iuxta hanc imaginationem non est incredibile aliquem hominem sub tali constellatione natum, ut imperet mari, ventis et tempestatibus, vel ut ex dono coeli fanet daemonicos, etc. verbo: virtute coelorum miracula ab hominibus possunt perpetrari <sup>ε</sup>.

XXVII. Negare Deum, intelligentias et corpora coelestia esse causam malorum naturalium, est destruere pulchritudinem et ordinem vniuersi, quae consistit in diuersitate <sup>δ</sup>.

XXVIII. Corpora coelestia secundum diuersas partes suas causant diuersitatem in mundo inferiori.

XXIX. Quia neque Deus neque vlla creatura voluntatem potest cogendo mouere, ideo neque Deus neque corpora coelestia sunt vel esse possunt causa mali moralis <sup>ι</sup>.

XXX. Quoad dispositionem tamen sine dubio corpora coelestia sunt causae malorum; verum tale malum non est malum culpae, sed naturae, quod est Dei et intelligentiarum ac corporum coelestium <sup>κ</sup>.

XXXI. Quamuis alliciendo et disponendo ad peccatum Deus et corpora coelestia agant in hominem, illis tamen non succensendum est, quia quod malum est vni, bonum esse potest alteri. Natura etiam despiciens partem, respicit totum, et relinquens minus bonum de maiori bono procurat. Disponunt etiam corpora coelestia, non ut sequatur homo, sed ut superet dispositionem, et efficiatur clarior. Coeli enim dispositiones non necessitant <sup>λ</sup>.

XXXII. Astrologi recta dicunt et consona sensui ac rationi <sup>μ</sup>.

XXXIII. Homines ex vi continentis vel ex aliquo alio conuerti possunt in lupos, vel porcos, vel aues, forma hominis in eam formam transmutata <sup>ν</sup>.

XXXIV. Vnumquodque quod incipit, siue sit animatum, siue sit inanimatum, siue sit vnum per alligationem, siue sit natura, siue ad placitum habet augmentum statum, declinationem: idque non tantum in naturalibus, verum etiam moralibus <sup>ξ</sup>.

XXXV. Ideo cum oracula inceperint, debent etiam finem capere, dispositio enim illa ex corruptibilibus est <sup>π</sup>.

XXXVI. Quare cum ritus illorum priorum deorum erant oracula talia, qualia conueniebant diis illis, ideo per aduentum nouae legis, nouae dispositiones et nouae consuetudines debebant induci, priores corumpi, et sic rationabiliter illa oracula defecerunt <sup>ρ</sup>.

XXXVII. Cum autem legum mutatio sit maxima mutatio, et difficile sit a consuetis ad maxima inconstueta transire, ideo oportet pro secunda lege succedente inconstueta mirabilia, et stupenda fieri. Quare a corporibus coelestibus in aduentu legis nouae debent prodi homines miracula facientes, ventis et maribus imperantes, languores sanantes, secreta pandentes,

ε) p. 259.  
κ) p. 279.

η) p. 274.  
ι) p. 280.

θ) p. 278.  
μ) p. 285.

ν) p. 295.  
π) p. 302.

ο) p. 300.  
ρ) p. 303.



tes, futura praedicentes etc. Quod enim sparsum est in herbis, et animalibus univm est in illis ex Dei et intelligentiarum munere, suntque Dei filii.

XXXVIII. Verum non solum vnus primus talis est, sed sunt etiam multi alii, qui vel eandem deitatem ab eodem primo recipiunt, vel eam recipiunt a consimili influxu intendente dictam legem perficere. Vnde tales legum conditores per multa secula praedicuntur a prophetis.

XXXIX. Cum talis coelorum influxus cessabit et declinabit, lex labefactari incipiet, donec in nihil conuertatur, latet tamen in quibusdam mutatio ob temporis diuturnitatem \*.

XL. Nihil inconuenit, si nunc nomine Iesu et signo crucis languores expellantur, olim vero minime, quoniam nondum venerat eius hora †.

XLI. Videmus et ista et sua miracula in principio esse debiliora, postea augeri, deinde esse in culmine, deinde labefactari, donec in nihil reuertantur. Quare et nunc in fide nostra omnia frigescent, miracula desinunt, nisi conficta et simulata, nam propinquus videtur finis.

XLII. Ritus qui nunc sunt, infinities fuerunt, secundum species et infinities erunt, nihilque est, quod simile non fuerit, et consimile non erit, nihilque erit, quod non fuit, nihil fuit, quod non erit. Quare cum continua et aeterna sit talis vicissitudo, habet causam aeternam et per se; in nullam autem aliam causam reduci potest, nisi in corpora coelestia Deum et intelligentias ‡.

XLIII. Non est fortasse mirandum, per infinitum tempus alibi aliter fortuna influente, res humanas in eundem saepius casum deferri §.

XLIV. Deus et corpora coelestia habent procurare magis de legibus et religionibus, quam de ipsis regibus et regnis: sunt enim diuturniores et longe nobiliores. Quare huiusmodi legislatores, qui Dei filii merito nuncupari possunt, procurantur ab ipsis corporibus coelestibus ¶.

XLV. Quia in omnibus tempora variantur de bono in malum, quare et de lege in legem, modo meliorem modo deteriore: hoc enim postulat vniuersi perfectio, et haec fiunt vicissitudinarie.

XLVI. Quia in vnaquaque lege, Mosis, gentilium, Mahumeti, fiunt miracula, qualia leguntur et memorantur in lege Christi; videtur hoc consonum, quoniam impossibile est, tantam fieri transmutationem, sine magnis prodigijs et miraculis.

XLVII. Non sunt autem miracula, quod sint totaliter contra naturam et praeter ordinem corporum coelestium, sed quia insueta et rarissime facta, et non secundum communem naturae cursum, sed in longissimis periodis †.

§. X. Habes, Lector attente, ipsum Pomponatii systema physiologicum, quod an impietate vllum vincat, dubii haeremus. Adeo vero aperte

*Excusatio impietatis Pomponatii.*

Z 2

r) p. 305.

s) p. 306.

t) p. 311.

u) Haec asserta postulat aeternitas mundi, quam Pomponatius hoc loco euidenti ratiocinio supponit.

x) p. 313.

y) p. 314.

aperte rem Christianam omnem perditum iuit, vt ne colorem quidem reliquerit, credendi magis sobria eum statuisse. Ne vero tanta sentiendi et illudendi licentia omnem in se sacerdotum nationem velut crabrones irriteret, *capite ultimo* determinate promisit definire, quid sentiat. Afferamus has quoque eius conclusiones, ne iniquius cum Pomponatio egisse videamur: illae his potissimum constant:

I. Qui ad mentem Aristotelis aliquas substantias immateriales, praeter intelligentias mouentes orbis ponunt, minime Aristotelici dicendi sunt, immo prorsus ab eius dogmate alieni habeantur <sup>z</sup>. Probat id multis rationibus Peripateticis.

II. Propter effectus, quos communiter homines attribuunt daemionibus, immo et bonis angelis non interueniente Deo secundum modum specialem et proprium, sed tantum secundum modum generalem, dimisso etiam Aristotele, efficaciter probari non potest, tales substantias immateriales esse <sup>a</sup>. Etiam hoc multiplici ratione probat, pleraque vero eo redeunt, substantiam pure immaterialem non posse agere in corpus, nisi mediante corpore. Quod si verum sit, sufficere corpora coelestia. Esse quoque irridendum <sup>a</sup>, cum corpora coelestia tantam rerum molem moueant, ea non posse tam futiles et inanes effectus edere, vt opus sit novos inducere Deos et noua figmenta. Etiam hanc rationem addit, quod hoc Aristoteli, Theophrasto, Eudemo Alexandro placuerit: cum itaque naturaliter nullus sit in doctrina conferendus Aristoteli et viris citatis, magnam hoc fidem facere opinioni <sup>b</sup>. Praeferendam quoque hanc sententiam Christianae <sup>c</sup>, eo quod corpora coelestia omnia ea facere possint, quae angelis tribuuntur, et quidem multo expeditius <sup>d</sup>.

III. Si in hoc mundo inferiori aliquis est effectus, qui de necessitate sine secundis causis fiat a Deo, hunc effectum Peripatetici saluare non possunt, hocque ostendit doctrinam Peripateticam non esse veram, sed deficientem.

IV. Aliqua in isto mundo inferiori facta sunt, quae nullo modo secundum Aristotelis principia saluari possunt, immo apertissime eius dogmatibus sunt repugnantia. Qualia sunt miraculum solis quiescentis, vel retrogredientis Ios. X. 1 Reg. XX <sup>e</sup>.

V. Talia miracula quae sunt praeter ordinem creata, et a solo Deo fieri possunt, et fiunt aliquando, veraciter demonstrant insufficientiam doctrinae Aristotelis, et ceterorum philosophorum, ipsamque veritatem et firmitatem religionis Christianae aperte declarant, solaque haec vere et efficaciter facere possunt <sup>f</sup>.

VI. Quicquid affirmatum est, per scripturam canonicam et vniuersaliter decretum est per sanctam ecclesiam catholicam, illud totum firmum, ratum

z) p. 319.

a) p. 324.

\*) p. 322.

b) p. 325.

c) p. 328.

e) p. 334.

d) p. 330.

f) p. 339.

ratum, ineuitabile, inconcussibile et prorsus sine aliqua dubitatione tenendum est, quicquid vero damnauerit, reiiciendum ƒ.

VII. Cum itaque ecclesia daemones et angelos esse determinet, et talia aliquando operari, id firmissime tenendum est, quamuis talia per naturam fieri possint, et fiant absque eorum praesidio. Verus enim Deus est Christus, nec potest mentiri, Aristoteles et Plato fuere homines mortales, ignorantes. Vnde concludendum, intelligentias per sensus cognoscere, mutari, alterari, mouereque<sup>b</sup>. En vero, Lector, quibus coronis Venerem suam ornet Pomponatius, et qua ratione videri velit ideo haec omnia tam subtiliter disputasse, vt Peripateticae philosophiae nerui incidantur, et prostratur auctoritas, ipse vero et scripturae et ecclesiae obsequium fidei demonstrat. Verum caue, mentienti simulantiue fidem adhibeas, qui satis aperte in ipsa tractatione prodidit, nihil minus sibi curae esse, quam religionis Christianae veritatem, et se ista tantum scripsisse, vt inquisitorum oculos falleret. Non vrgebimus, fortissimis pro Peripatetico systemate rationibus, friuolas, frigidasque obiectiones reposuisse, et haud semel Peripateticis Christiana postposuisse, retulisse quoque Christum et gentiles vates, item legem Christianam et Muhammedanam in vnam classem, habuisse Aristotelem pro summo veritatis magistro, fateri, se satisfacere eius dubitationibus non posse, et quae alia plurima sunt, summa fide, ne omissa quidem dictionis barbarie a nobis relata; ea enim facile ipsi Lectori suppeditabit memoria. Sed id tamen monemus, suomet indicio, vt foricem, se prodidisse auctorem, hancque eius sententiam fuisse, loquendum cum vulgo, sentiendum cum philosophis, nihil horum mysteriorum ad sacerdotum turbam vulgandum, velandam abscondendamque suam opinionem, simulandum Christianum fidei obsequium; cauendum vero ab ineptis et puerilibus cleri dogmatibus, et philosopham sententiam retinendam, quae sola imperium teneat; exotericam vero doctrinam istam ad vulgus ducendum seruandam esse. Quod vt clarissime demonstrat, caput vltimum eum tantum ad obiiciendum oculis lectoris puluerem addidisse, ita in hac ipsa tractatione passim haud obscure professus est. Ait enim: *Haec, quae explicuit, mysteria a profano vulgo non percipi, ab istis tamen philosophis, qui soli sint dii terrestres, et tantum distent a ceteris, cuiuscunque ordinis siue conditionis sint, sicut homines veri a pictis, sint concessa atque demonstrata*<sup>i</sup>. Et alio loco<sup>k</sup> *rude vulgus contemnit, quod veras causas non potest capere; ait autem, homines istos non philosophos, (dixerat supra cuiuscunque generis aut ordinis sint, adeoque theologos quoque, sacerdotes, etc.) qui reuera sint veluti bestiae, non posse capere Deum, coelos et naturam haec posse operari, credereque ita esse de intelligentiis veluti de hominibus; rude autem vulgus instruendum et inducendum esse ad bonum et a malo abstrahendum, vt pueri inducuntur spe praemii et metu poenae.*

g) p. 340.

h) p. 341.

Z 3

i) p. 48.

k) p. 216.

Monet

Monet etiam lectorem, vt arcanam habeat hanc philosophiam, eo quod aperte philosophantes magnis persecutionibus exponantur, eamque ab caussam exempla Anaxagorae, Socratis, Platonis, Aristotelis recitat. Etiam a consensu tacito et arcano prudentiorum haec dogmata commendat, Platonis verbis vsus, „maximam huius rei custodiam esse, nihil scribere, sed addiscere“. Immo ab infelici et inepto effectu talia non initiatis reuelatorum argumentum fuit; scribens: „Sat scio me in tam arduis argumentationibus et in tam arcanis naturae rebus philosophiae imperitis minime satisfacturum, immo nihil est, quod magis philosophiam ridiculam faciat, quam tam diuina agrestibus et profanis viris velle persuadere: neque hoc irrationabiliter contingit. Cum enim tum ex diffuetudine audiendi, tum ob ingenii hebetudinem haec minime capere possint, in philosophos et philosophiam culpam transferunt, quo fit, vt conuitiis et irrisionibus eos prosequantur, immo quod deterius est, ex vrbibus expellant, trucident, et prorsus exterminent: qualis apud philosophiae alumnos habendus sum, satis vereor, hae namque difficultates, vt mea fert opinio, tales et tantae sunt, vt quantumcunque consummatum philosophum defatigarent“. Verum ne putes haec ad plebem tantum pertinere, audi, quaeso, ex tripode definientem, „reuera, qui de philosophia non participat, bestia est“. Qua vna voce pontificem, totumque senatum ecclesiasticum, cui vltimo capite puluerem obiicit, aut secum philosophari cogit, aut inter bestias refert, quid non de ecclesia reliqua dicturus? Nam ad sacri ordinis viros se oculum intendere clare innuit, scribens: „Haec non sunt communicanda vulgaribus, quoniam horum arcanorum non sunt capaces, et non credunt nisi quod vident, vel quae sunt videre affueti. Cauendum est etiam cum imperitis sacerdotibus de his habere sermonem; caussa autem patens est, quia multoties philosophi fuerunt ex vrbibus expulsi aut incarcerati, aut lapidibus et vltimo supplicio affecti, et sic propter beneficium tulerunt supplicium“. Quae omnia satis aperte euincunt, Pomponatii declarationes Christianam pietatem spirantes esse nugiuendulas et fictitias, nec fidem merere, cum Aristotelis philosophiam pro vnica sapientia habuerit. Sed ineptiarum Peripateticarum et barbararum fordium satis superque est: iam ad Pomponatii discipulos progrediendum.

*Discipuli  
Pomponatii.  
Hercules  
Gonzaga.  
Theophilus  
Folengius.*

§. XI. Discipulos habuit Pomponatius celeberrimi nominis, et magnae eruditionis viros, et hos quidem haud paucos. Inter eos eminent **HERCVLES GONZAGA**, postea cardinalis, qui tanti praeceptorum suum fecit, vt defunctum patrio suo tumulo inferri curaret, teste **IOVIO**. Tum **THEOPHILVS FOLENGIVS**, vir iucundissimi ingenii

l) p. 136. m) p. 269. n) p. 251.  
o) loc. cit.  
p) **TOMASSIN.** Elog. vir. illustr. T. II. p. 72.  
Vitam eius meditabatur Naudaeus, vid. Naudaeana p. 26. sed non edidit. Habes tamen non-

nulla in Naudaeanis l. e. et in Addit. p. 157. quibus addendi historiae literariae scriptores passim. vid. **BAILLET** Jugemens des savans T. IV. p. 194. **TRISSIRE** Eloges des hommes savans T. I. p. 407.

ingenii et luculentae eruditionis, qui licet S. Benedicti religionem effet professus, rustico tamen carmine, quod personato MERLINI COCCAI nomine edidit <sup>q</sup>, et in quo Latino sermoni suae gentis verba mira iucunditate miscuit atque ingenii felicissimi conatu, tum quidem insolito, inauditum carminis genus <sup>r</sup> exorsus est, fatis prodidit, philosophiae praeceptis se accurate fuisse imbutum. PAVLVM IOVIVM quoque episcopum Nucerinum inter eos discipulos fuisse, supra iam ex Spondani testimonio audiimus, qui tamen, licet elogium ei scribere effet aggressus, impietatis illum accusare, et seductae iuuentutis Scholasticae reum agere non erubuit. Audiuit quoque Pomponatium Helidaeus Foroliuensis <sup>s</sup>, itemque GASPAR CONTARENVS, postea cardinalis, quem iuuenem nobilem praeceptoris hypothesein de animae mortalitate refutasse fatis feliciter supra monuimus. Eius laudes exposuere post IOVIVM <sup>t</sup> varii, inter eas autem haud minima est, quod in Peripatetica philosophia fuerit versatissimus, purpuramque cardinalitiam singulari atque eleganti eruditione ornauerit <sup>u</sup>. Maxime vero inter Pomponatii discipulos famosum ideo nomen consecutus est SIMON PORTA vel PORTIVS, eo quod magistri vestigia in tuenda impietate Aristotelica gnauiter pressisse visus est. Fuit is Neapolitanus, Pisis autem philosophiam Peripateticam tanta cum laude et eruditionis opinione docuit, vt communi eruditorum consensu magnus Peripateticus diceretur <sup>x</sup>. Cuius eruditionis Peripateticae specimen esse possunt libri duo *de rerum naturalium principiis* in Germania <sup>y</sup> recusi, in quibus Alexandrum Aphrodisiensem secutus acute et eleganter de principiis rerum naturalium disputat, et cum nulla alia in re obscurior magis sit Aristoteles, et incertis vagisque notionibus veram mentem recondat, omnes vires eruditionis, quam praestantissimam possidebat, adhibuit, vt veram eius mentem detegeret. Cuius exemplum esse possunt, quae de obscurissimo argumento: an materia sit principium indiuidui differit <sup>z</sup>. Peripateticae philosophiae iunxit accuratam artis salutaris cognitionem, cui varia scripta debemus, enarrata ab ABR. MERCKLINO <sup>a</sup> qui, videndus. In eo autem Pomponatium Peripatetica et medica eruditione clarissimum superauit, quod philosophiae philologiam iungendo, in Graecae atque Latinae linguae cognitione excelluerit, praeceptore dicendi squalorem sequente. Tanta autem fide magistri placita ipsamque Aristotelis sententiam recepit, vt singulari tractatu

Paulus Iouius.

Gaspar Contarenus.

Simon Portius.

q) Prodiit Macaronicorum titulo aliquoties, nos vtimur editione Venera 1585. 8.

r) Inde distio illa ludicra initium sumsit, quam magna eruditione ex orbe literato eiecit FRANCISCVS VAVASSOR, singulari libello. Folen- gius autem, quamuis inusitatum veteribus dicendi genus adhibuerit, carminis tamen virtutes magna cum laude expressit, et haud raro quoque lepidissima satyra sui temporis mores, etiam inter philosophos exagitant, haud pauca quoque ex adytis philosophiae desumpta intersperfit.

s) Vid. WIERSVS de Praestig. Daemon. L. VI. p. 569.

t) c. 100 p. 234.

u) Consulendi qui de doctis cardinalibus ete- egerunt.

x) Vid. THVANVS L. XIII. p. 276. et TEISS. ad h. l. Elog. T. I. p. 197 seq.

y) Marpurg. 1598. 8. quam editionem praesen- tem habemus.

z) c. 10. p. 104.

a) Linden. renouat. p. 974.

etatu de anima et mente humana, Florentiae primum<sup>b</sup>, et deinde Neapoli inter opuscula eius<sup>c</sup> edito demonstrandum sibi sumserit, animas cum corpore interituras. Quod quibus quidem rationibus euincere conatus sit, dicere non habemus, qui librum rarissimum<sup>d</sup> non vidimus; eodem vero quo praeceptor, argumentandi genere usum fuisse, et ex Peripatetico systemate id demonstrauisse, nulli dubitamus; eo enim supposito certissimam hanc demonstrationem esse, candide fatendum est. Et haec causa esse videtur, cur GESNERO<sup>e</sup> opus audiat impium, et porco non homine auctore dignum, id quod repetiere, NICOLAUS TOPPIVS<sup>f</sup> et B. G. STRUVIUS<sup>g</sup>. Hinc cum opuscula eius ob eruditionem, quae in iis sparsa est Peripateticam luce repetita digna iudicaret IACOBVS ANTONINVS MARTA, *Apologiam de animae immortalitate cum digressione, quod intellectus sit multiplicatus* adiiciendam, venenoque antidotum parandum esse statuit. Dolendum virum doctum et in historia rerum naturalium haud infeliciter versatum, librum *de Piscibus*, quem scribere aggressus erat, abiecit, et tractationem ideo omisisse, quod eam iam occupatam cerneret a Guilelmo Rondeleto. Obiit, teste THVANO, quinquaginta septem annos natus, et cum alio Simone Portio Romano<sup>h</sup>, non est confundendus. Porro inter discipulos Pomponatii magna doctrinae Peripateticae laude excelluit Ioannes Genesius de Sepulveda, de quo cum ex instituto infra tradendum sit, hoc loco nihil addimus. Ipsum quoque Iulium Caesarem Scaligerum Pomponatium audiuisse, ex loco quodam epistolarum eius<sup>i</sup> intelligitur. Maximo vero iure inter ornatissimi ingenii discipulos Pomponatii numerandus est praeter Hieronymum Fracastorium LAZARVS BONAMICVS vir doctissimus, gente Bassianensis Taruisanus, qui inter elegantissima seculi XVI ingenia referri meruit<sup>k</sup>. A parentibus rusticis agriculturae destinatus ingenii tamen excellentis et praecocis stimulo incitatus, relicto agro ad Musarum castra transiit, et Calphurnium Marcumque Musurum, in Graeca et Latina lingua, Pomponatium in Peripatetica philosophia praeceptores habuit, et imprimis naturali philosophiae ea diligentia operam impendit suam, tantaque felicitate philosophiae studiis philosophiam coniunxit, ut inter eruditissimos aevi sui viros connumeraretur, paucosque haberet aequales. Reginaldi Poli cardinalis patrocínio usus, in eius familia Romae vixit, quo factum, ut, cum Roma duce Carolo Bourbonio diriperetur, id quod anno MDXXVII accidit, supellex eius libraria, quam amplissimam habebat, disiecta periret. Postea ad Patauinam cathedram vocatus, humanitatis doctrinam usque ad vitae finem docuit, aliasque vocationes cum lautis stipendiis a pontifice, rege Hispaniarum, Bononiensibus aliisque ob-

I. G. Sepulveda.

Iulius Caesar Scaliger.

Lazarus Bonamicus.

b) 1551. 4.

c) Neapoli 1578 fol.

d) Vid. VoGT. Catal. libr. rar. p. 468. f.

e) In Biblioth.

f) Bibl. Neapol.

g) Introd. in Hist. liter. c. 9. §. 7.

h) Edidit is Lexicon Latinum Graeco- Barbarum, vid. TRISSIER l. c.

i) Epist. 90.

k) IMPERIALIS in Museo p. 26. TRISSIER l. c. p. 126.

oblatus declinavit, fatis functus anno MD LII, tres supra septuaginta annos natus. Gauisus est amicitia summorum virorum, et ex cardinalium collegio Petri Bembi atque Iacobi Sadoleti, quibus eum commendavit eloquentiae Latinae dulcedo, quam tanti fecisse dicitur<sup>1</sup>, ut maluerit loqui cum Cicerone, quam summis in ecclesia honoribus perfungi, praetuleritque Augusti imperio Tullianam dicendi elegantiam. De hac vero eius dicendi copia atque elegantia, deque litibus cum Erasmo in historia eloquentiae Romanae dicendum examinandumque est, vtrum Ciceroni, quod nonnulli faciunt, aequari meruerit. Illud autem maxime laudandum in Bonamico, quod eruditissimos discipulos habuerit, eosque quamplurimos, ita ut communis Italiae praeceptor dictus sit. Hoc enim ad philosophiam quoque pertinet, cuius studiosos a barbarie Pomponatii ad humanitatis studia et scribendi nitorem reuocavit. Vitam quoque philosopho dignam egisse dicitur, testeque Io. MICH. BRUTO<sup>m</sup>, non facile erat iudicare, vtrum in Bonamico comitas atque affabilitas maior, an optimarum artium scientia, cum in omnibus excelleret maxime, inesset. Pauca tamen ipse edidit, iudice G. SALDENO, ne<sup>n</sup>, cum ipse Aristarchum se aliis praestaret, ab iis reprehenderetur. Certe in philosophia foetum nullum protulit, quamuis ea fuisse in philosophia peritia dicatur, ut paucos aequales haberet, superaretur vero a nemine, iudicarique IMPERIALIS<sup>o</sup>, plus gloriae a discipulo hoc Pomponatio exsurgere, quam discipulo a praeceptore. Tandem etiam inter Pomponatii discipulos refertur IVLIVS CAESAR VANINVS, impietatis nomine famigeratissimus. Hunc enim viri docti magno consensu inter eos referunt, qui ex Pomponatii disciplina prodierunt, ut ex locis eorum, quae in fine paginae damus<sup>p</sup>, intelligi potest. Mirandum autem est, viros hos literatissimos, actorumque in republica eruditorum non ignaros, non fuisse recordatos, Pomponatum anno MD XXV obiisse, editum vero in lucem esse Vaninum demum anno MDLXXXVI, ex quo patet, non sine ingenti anachronismo Vaninum viros istos doctos inter discipulos Pomponatii referre potuisse, recte ideo notatos a celeberrimis viris C. A. HEVMANNO<sup>q</sup> et G. STOLLIO<sup>r</sup>. Deceperunt vero eos ipsa VANINI verba, qui passim in libro *de Natura regina deaque mortalium*, Pomponatum diuinum praeceptor

Julius Caesar  
Vaninus, an  
Pomponatii  
discipulus?

1) GHILINI Theatr. vir. doct. P. I.

m) Epist. p. 596.

n) De libris eorumque usu et abusu p. 43. f. qui quoque de contemptu SS. literarum, qui illi obiici solet, videndus. Inde Impietatis suspectus factus est, vid. REIMMANNI Hist. atheism. p. 363. Certiores tamen, quam quos Saldenus adducit, testes exoptamus, tum huius, tum illius culpa, quod cuticulam curans, pretiosas suas horas, libris scribendis debitas chartis lusoriis aleaque consumserit. Hoc enim cum docendi assiduitate, quam Bonamico tribuit, non concordat.

o) loc. cit.

p) MERNOF. Polyhist. T. II. L. I. c. II. §. 4. p. 55. Coll. T. I. L. I. c. 8. §. 17. p. 73. BVDDEVS Theol. de Atheismo c. I. §. 24. p. 120. et Lexic. Vniu. art. Pomponatius, ARZE Apolog. Vanini p. 4. STRVVIVS Intr. in hist. lit. c. 9. p. m. 447. DORNIVS ad IONS. de S. H. Ph. p. 208. OLEAR. de Pomponatio §. 7. §. II. et de Vanino diff. I. §. vlt. Dubitabundus loquitur SCHRAMMIVS in Vita Vanini §. 20. p. 42.

q) Act. philos. Vol. I. p. 10. Vol. II. p. 338.

r) Introd. in Hist. Liter. P. II. c. 3. §. 37. p. 509.

rem vocat, et in *Amphitheatro*, ubi eum refutandum statuit, non diffitetur, plerosque putare, se ex Pomponatii disciplina prodiisse<sup>s</sup>. Verum hoc non de Pomponatio inter viuos audito, sed de defuncti scriptis placitisque intelligendum esse, vel sola temporum ratio clarissime euincit, et nullo negotio intelligitur, si literaria Vanini consulitur historia. Nempe habuit Vaninus in iuuentute praeceptorem monachum Carmelitam, Ioannem Baconium, philosophum Peripateticum, sed Auerroismo adeo impense deditum, ut discipulum iurisiurandi religione ad eum amplectendum deuinciret<sup>t</sup>; ab hoc itaque libri Pomponatii Vanino legendi traditi sunt, in quibus licet derideatur intellectus ille vnictus et immortalis Auerrois, ipsum tamen systema physicum, quod praeunte Aristotele Auerroës quoque secutus est, magna subtilitate inculcatur et defenditur. Quae causa fuit, cur Vaninus Pomponatii librum *de Incantatione* valde extulerit, scribit enim: „Petrus Pomponatius philosophus acutissimus, in cuius corpus animum „Auerrois commigrasse Pythagoras iudicasset, in admirabili suo opusculo „de effectuum naturalium rerum causis vera fuisse confitetur oraculorum „responsa, nec tamen edita a Deo vel a daemone, sed ab anima et cor- „pore coeli“. Delendus itaque ex Pomponatii discipulorum numero Vaninus est. Vtrum autem eandem de fato, de miraculis, de immortalitate animorum sententiam cum Pomponatio tenuerit Vaninus, quod eius vitae scriptor Io. MAVRICIVS SCHRAMMIVS<sup>u</sup> contendit, qui tamen libros Pomponatii non vidit, nec cum Vanini scriptis contulit, hoc loco expendi non potest, et ad specialem atheismi historiam pertinet.

Augustinus  
Niphus.

§. XII. Aduersarium Pomponatius habuit AVGVSTINVM NIPHVM, celeberrimi inter Peripateticos nominis philosophum, de cuius historia praeter alios<sup>v</sup> praeclare meruit GABRIEL NAUDAEVVS<sup>w</sup>. Calaber is fuit, Iopolitanus, quem tamen alii Sueslanum faciunt, ipseque se ita nominavit, quod diu Sueslae vixisset, et uxorem duxisset<sup>x</sup>. Erat illi domi pater, erat iniusta nouerca, quae cum odium in eum indignum atque vehemens exercuisset, puer fuga dilapsus est. Delatus autem Neapolin cum in ciuem quendam Sueslanum incidisset, adeo illi ingenii liberalitas in puero Nipho placuit, ut in familiam receptum cum filiis educaret. In horum consortio et scholarum institutione gauisus, et academicorum quoque doctorum praeceptis imbutus est Patauii, eoque in loco Peripateticam philosophiam didicit, artique saluari se quoque dicavit. Quem morem Itolorum fuisse, ut qui ecclesiastico ordini se non tradidissent, philosophiae studiis medicinam iungerent, compluribus exemplis eius temporis

s) Dial. IV. p. 20. Dial. XXIV. p. 140. Dial. LI. p. 324.

t) Amphitheatr. Ex. IV. p. 17.

u) loc. cit.

x) De Nipho quaedam affert IOVIVS Elog. c. 92. p. m. 215. non satis accurata; meliora suppeditant TORREIVS Bibl. Neapol. p. 4. et NICO-

DEMVS in Addit. p. 23. add. NICERON. Mem. T. XVIII.

y) In Iudicio de Augustino Nipho, eius Operibus moralibus praefixo, quem secutus est, P. BAYLE Dict. T. III. Art. Niphus p. 514. et nos quoque sequemur.

z) Hinc Sinueslanum se dixit. Aliis Tropea oriundus dicitur. vid. BAYLE l.c. not. A.



historia testatur literaria. Unde non minus scriptis ad medendi artem pertinentibus, quos recenset ABRAHAMVS MERCKLINVS <sup>a</sup> inclaruit, quam philosophicis. Absoluto studiorum academicorum studio Sueffam indeque Neapolin repetiit, edoctusque parentem decoctis facultatibus ad plures abiisse, neque recuperandarum illarum spern vllam superesse, Sueffanam ciuem vxorem duxit, et eruditis laboribus de necessariis sibi prospexit, multosque annos Neapoli philosophiam docuit. Habuerat autem praeceptorem Nicoletum Verniam, philosophum Peripateticum, verum tanto studio Auerrois placita sequentem, vt testetur RICCOBONVS <sup>b</sup>, eum „Opinionem Auerrois de vnico intellectu ita confirmare argumentis validis et numerosis consueuisse, vt omnes plebei et minuti philosophi, distarent in vulgus, eum totam pene Italiam in hunc perniciosum errorem compulisse“. Huic dogmati et alia Peripatetica addebat, a receptis opinionibus distantia, non dari substantias immateriales, praeter intelligentias sphaerarum motrices et similia. A quibus tamen eum erroribus reuocasse tradunt Petrum Barocium, episcopum Patauinum. Verniam cum praeceptorem Niphus haberet, illius auctoritate permotus, ad eosdem Auerrois et Peripateticorum errores transiit, eosque, publicato *de Intellectu et daemonibus* libro, publice defendit. Ea vero re, si Naudaeo fides, vehementer cucullatis patribus displicuit, forte quod non tanto obsequio, quam fecerat Pomponatius, rationem sub obsequium fidei captiuasset. Aitque Naudaeus, adeo illum in caput et famam suam vehementissime eos commouisse, vt se periculis eximere non potuisset, nisi ab ancipiti discrimine eum liberasset Petrus Barocius, et mediis ex ignibus eripuisset. Cautius itaque mercari edoctus, eruditionem *ἡδωδοζωτέρας* demonstrare non sine laude et emolumento annis est. Narrante enim IOVIO <sup>c</sup> in celeberrimis Italiae academiis, Achillino et Pomponatio florentibus docuit, philosophiam Pisis, Bononiae, Salerni, Patauii atque Romae in collegio sapientiae magnis stipendiis professus: Sane ipse fatetur <sup>d</sup>, sibi a Bononiensibus et Venetis, si in eorum gymnasiis philosophiam docere vellet, millenorum aureorum numerum, pro mercede singulis annis oblatum esse, eamque se a Florentinis pecuniam accepisse, Pisis philosophiam professum. Maxime vero eruditione sua Mediceae genti, quique ex illustri hac profapia oriundus erat, Leoni X, se commendauit, qui insignibus gentis suae eum vti permisit <sup>e</sup>, ipsoque nomine <sup>f</sup>: honoribus etiam auxit. Et tum occasio illi enata est, cum Pomponatio Peripateticis armis congreddendi, a pontifice enim illius librum *de Immortalitate animae* refutare iussus est, demonstraturus, non repugnare principiis Aristotelicae philosophiae, si dicantur animae immortales, cuius contrariam opinionem Pomponatius affirmauerat. Quod licet magno eruditionis apparatu Niphus fecerit, cum ta-

A a 2 men

<sup>a</sup>) In Lindenio renou. p. 95.  
<sup>b</sup>) De Gymn. Patauino L. VI. apud NAV-  
 DAEM I. c. p. 28. <sup>c</sup>) loc. cit.  
<sup>d</sup>) De Diuitiis, Opp. Moral. p. 88.

<sup>e</sup>) Diploma pontificium extat in Opusc. moralibus.  
<sup>f</sup>) Dicitus alias est Euty chius et Philotheus vid. MIRAEVS de Script. sec. XVI. c. 41. p. 136.

men in obscuro argumento, de quo ineluctabiles labyrinthos Stagirita construxit, Aristotelis physiologiam a sua parte stantem Pomponatius habuisset, ab eo in *Defensorio* responsum accepit. Niphi tamen partes iterum defendit CHRYSOSTOMVS CASALENES, Dominicani ordinis sodalis, edito aduersus Pomponatii *Defensorium* libro de *Immortalitate animorum*. Neque sic litem eam desuisse verisimile est. Nominantur enim inter aduersarios Niphi, FRANCISCVS LYCHITTVS, Franciscani ordinis alumnus, qui *Theoremata philosophica* Nipho opposuit, et LVCAS PRASSICIVS Anuerfanus, cui debemus *Confutationes in quasdam Niphi commentationes pro defensione catholicae et Peripateticae veritatis, nec non pro defensione doctorum ab eo iure non condemnatorum* <sup>e</sup>. Quem tamen librum cum non viderimus, vtrum in controuersia Pomponatii scriptus sit, dicere non possumus. Neque tamen Pomponatius et, quos plurimos habuisse, supra diximus discipuli eius, libellis suis impedire potuere, quo minus apud viros principes, ipsumque imperatorem Carolum V Niphus gratiofus esset, eo quod ad aularum mores se facile eleganterque componeret, quae res eum quoque foeminis principibus commendauit, quamuis corporis forma a pulchritudine abesset. Dabimus verba IOVIV <sup>b</sup>, quae animum philosophi luculenter depingunt: „Erat ingenio fertili, adaperto, liberali, sermone autem „Campanum pingue quoddam resonanti maxime libero, et ad ferendas fabulas in suggestu coronaque ad voluptatem aurium periucundo, sed vel „toto ore subagresti, et penitus inficeto, ita se ad vrbanos focos componebat, vt valde mirarentur, qui mox tacentis supercilium austeraque „labra atque lineamenta conspicerent“. Quamuis autem haec eum morum iucunditas aulica, qua Aristotelem imitatus est, valde commendauisset, foeminarum tamen amoribus, quibus se a iuuenta vsque ad senectutem semper deditum fuisse candide fatetur, haud semel philosophi grauitatem exiit, et in contemptum adduxit <sup>i</sup>. Quamuis enim esset continentissimus, narrante tamen NAVD AEO <sup>k</sup> „amores cum puellis honorariis „quarundam heroinarum, quibuscum familiariter conuersabatur, tam „libere adeoque intemperanter exercuit, vt non modo virginibus illis, „quas obsequio suo demereri studebat, sed omnibus, qui tanti nominis „philosophum a petulcis illis et lasciuientibus puellis ita deludi fascinarique „videbant, ludos de se maxime faceret“. Fatendumque indignam philosopho personam effinxisse Niphum, si verum est, quod Latomus apud IOVIVM <sup>l</sup> de eo canit:

*Quid? Niphus an non melleus  
Perplexus suctus inter entymemata  
Et syllogismos frigidos  
Narrare suauis Atticasque fabulas*

*Mul-*

<sup>e</sup>) NAVDARVS l. c. p. 42.  
<sup>h</sup>) loc. cit.

<sup>i</sup>) De Muliere Aulica c. 7. p. 345.  
<sup>k</sup>) loc. cit. p. 31. 32.

<sup>l</sup>) loc. cit.

*Multumque risum spargere?  
 At quam venustum hoc: septuagenarium  
 Quod undulatis passibus  
 Ex curioso flexuosoque capite  
 Saltare coram cerneres  
 Modo Dorium, modo Phrygium, vel Lydium,  
 Amore saucium graui?  
 Tractare sic philosophiam inuisam, arbitror  
 Summi fuisse philosophi.*

Alia huius rei specimina breuitatis studiosi praeterimus. Plura, qui volet, reperiet apud P E T R. B A Y L E <sup>m</sup>, qui more suo in his copiosus est. Nobis non hi modo mores a grauitate philosophi abhorrentes in Nipho displicent, sed praecipue reprehensionem mereri videtur, quod scripta quoque sua sermonis spurcicia commaculauerit. Quam obscenitatem iucundis narratiunculis scriptis suis interspersam non in eo tantum loco deprehendi Naudaeus obseruat, cum aulici sui urbanitatem per eiusmodi facietias urbaniorem reddere satagit, sed interdum etiam in Porticu et Academia, cum aduersus viros grauissimos disputat, in dicteria quaedam erumpere, neque loco neque tempori satis conuenientia, easque historias referre, quas ob rerum foetidarum mentionem nemo vel inter lixas et rusticos absque honoris praefatione referri vellet. Et haec quidem ex temporum consuetudine ita Naudaeus excusari posse putat, vt nihil in eo vel singulare, vel ab aliorum philosophorum more abhorrens et alienum expresserit. Ait enim: *Philologis praesertim adeo familiaris erat sermonum obscenissimorum licentia, vt qui Boccacium, Poggium, Aretinum, Casam, Castalionem, Pacificum Asulanum, Iulium Grotum Puccium, Ludouicum Cinthium, Philephum, Cordrum, Septabinam Mazuccium Francum, et id genus alios legerit, impudentiam tunc, malitiam, foeditatem, impietatem virus suum omne plenis buccis, aut potius pleno iure, siue in Deum, siue in eius ministros, aut publicas priuatasque personas et in omnem denique honestatem et verecundiam effudisse, fateri cogatur.* Vnde nihil mihi aut aliis mirum videri debet, si cum hi mores, haec tempora viuente Nipho fuerint, ipse etiam, qui petulanti splene cachinno factus a natura fuerat, qui cum heroinis et principibus viris continue viuebat, quem sagaces puellae miris illecebris in sui amorem pelliciebant, sui seculi moribus et institutis, longe quam caeteri, parcus vsus fuerit, quandoquidem, si aliter fecisset, paratum eius nomini ac gloriae exitium erat, quod viris academicis nimia stoliditas et rerum ciuiliu ignorantia sui que potissimum incuria afferre solet. Quae vera quidem esse, facile damus, et tot foeditatum exempla, inter scriptores seculi XVI apud Italos occurrentia, omnino confirmant, tantum vero abest, vt Nipho atque similibus patrocinium

A a 3

m) loc. cit. not. F. p. 515.

cinium pariant, vt potius, quam deperdita gens literata fuerit, in aprico ponant. Et merentur omnino mores hi detestabiles in historia Peripateticismi recentioris, attendi, eo quod apud plerosque fructus fuerint doctrinae Peripateticae, qua de re infra commodus magis dicendi locus erit. Praeter has vero ineptias ambitionis quoque, paedagogicos mores spirantis caussa, stultitiae Niphus arguitur: qua de re mira est narratiuncula, qua imperatori Carolo V, eum visitanti sedem denegasse traditur<sup>n</sup>, licet fateamur, suspectam eam nobis valde esse, nec cum aulicis Niphi moribus conciliari posse. Eiusmodi enim fabellarum plena est historia literaria. Obiisse dicitur Iovio anno MDXXXVII, sed hunc falsum esse, ex obseruatione Naudaei patet, monentis, anno MDXLV Niphum librum *de Animalibus* inscripisse Paulo III, P. M. quo septuagenario maior vixit. Mortem ei accelerasse Iovius ait, quod cum iter nocturno tempore in patriam faceret, obortis tonsillis, quae fauces obsederant, refrigeratus perierit. Alii ex saltatione nimio aestu concepto morbo correptum exspirauisse tradunt, de qua re incertos rumusculos disseminant acta literaria<sup>o</sup>. Valde laudatur Niphus ab ingenii elegancia, quam inscriptis quoque suis demonstrauit, in quibus tamen prolixitatem et lectionis profusionem carpi videas. Maxime vero inter labores eius literarios commentarii, quos in omnes fere Aristotelis libros philosophicos scripsit, commendari solent<sup>p</sup>. Minoris vero dignitatis visa sunt scripta eius moralia, quae Venetiis primo ex parte edita, collegit integra ediditque GABRIEL NAUDAEVUS<sup>q</sup>: In quibus diligentia disputationis, quam elegancia obseruationis practicae promptius esse magni alius philosophi ingenium obseruauit HENR. BOECLERVS<sup>r</sup>. Passim tamen ex aliis collegit, quibus moralis philosophia iuuari potest<sup>s</sup>. Fuisse eum multis in rebus Cardano similem, sed non ingenio IDEM iudicauit, quod de ingenii vicissitudinibus intelligendum est: Iudicii enim acie Cardano multum est inferior. Habuit uxorem Angelellam, tanta fide maritum complexam, vt delicias suas et iura connubialia eius sanitati sacrificare non dubitauerit<sup>t</sup>. Ex eo matrimonio habuit filium Iacobum, nepotemque ex eo Fabium Niphum, de cuius infelicitate consulendus est PETRVS BAYLE<sup>u</sup>.

Marcus Antonius Maioragius.

§. XIII. MARCI ANTONII MAIORAGII vita (quem eloquentia pariter atque philosophia commendauit) a multis enarrata est, tetigeruntque historiam eius literariam \* praeter notissimos scriptores actos

n) Vid. Patiniana p. 83. conf. Act. Erudit. 1702 p. 229. f.

o) Vid. BAYLE l. c. not. H. et quos laudat.

p) Vid. BOECLER Bibliogr. crit. p. 60. MORHOF. Polyhist. liter. T. II. c. II. §. 3. p. 55. Prodierrunt hi Commentarii tantum non omnes Venetiis.

q) Paris 1645. 4. Eiusmodi collectionem iam prius Venetiis prodiisse obseruat MIRAEVS de Script. fec. XVI. p. 136. r) loc. cit. p. 604.

s) Conf. Cel. STOLLIVS Introd. in Hist. lit. P. III. c. 4. §. 37. p. 689.

t) Ipse lepidam historiam ea de re narrat, de Amore c. 102. p. 428. eamque repetit BAYLE loc. c. not. G.

u) loc. cit. art. Fabius Niphus p. 516.

x) IMPERIALIS in Museo p. 126. HANCK. de Script. Rer. Roman. P. I. L. I. c. 53. p. 215. TEISSIER Eloges T. I. p. 236. BAYLE Dict. T. III. art. Maioragius p. 286.

actorum literariorum Mediolanensis eruditionis historiographi <sup>γ</sup>. Nemo tamen tanta accuratone tamque plena tractatione res Maioragii enarravit, quam V. C. IOANNES PETRVS KOHLIVS, qui cum *Deliciis*, quas edidit <sup>z</sup>, *epistolicis* haud contemnendam partem epistolarum Maioragii inseruisset, laudabili industria et eleganti eruditione vitam celeberrimi philosophi et oratoris ex eius potissimum scriptis collectam iis praefixit, quam in doctissima praefatione additamenti egregie auxit praestantissimus IO. ERHARDVS KAPPIVS. Qua in vitae Maioragii delineatione, cum res clarissimi viri luculenter enarratae sint, eam imprimis confundendam esse monemus, et ad eam simul prouocabimus. Debuit originem Maioragius parentibus Iuliano Comiti, a vico, in quo habitauerat Maioragio dicto, et Magdalenae, adeoque ex illustrissima Comitum gente, ex qua multi praeclari atque celeberrimi viri prodierunt, oriundus <sup>a</sup>, maiorum virtutem incentiuum ad egregia quaeuis audenda habuit, inque sacro baptismatis fonte Antonii Mariae nomen accepit, quod vero foeminae appellationem minus aequo animo ferret, Mariae nomen in Marci postea commutauit, vt paulo post dicemus. Nondum pueriles annos excefferat, cum praeclara ingenii indoles dotesque animi rarae et insolitae egregia quaeque laetissima spe pollicerentur. Id quod parentem, ad auita decora filium perducere connitentem fortissimo excitauit calcari, vt nec sumtibus, nec labori et industriae, nec educationis fidelitati curisque parceret, quo et literarum studiis egregie imbueretur, et animum nancisceretur eleganti virtute probe emendatum exercitatumque. Valde vero parentis consilium studiumque ea in re summum adiuuit filii ingenium ad magna quaeuis natum, animusque optimis atque honestissimis desideriiis in praeclara quaeuis, ea maxime quae ex literis capiuntur, exardescens. Mirum itaque non est, in tam fertili naturae fundo sparfa maxima diligentia literarum semina, segetem ostendisse supra spem omnem laetissime efflorescentem. Quam nisi belli calamitates, quae in adolescentiam Maioragii inciderunt, non nihil praefocauissent, dubium non est, quin praecoci eruditione mature in disciplinarum studiis palmam reportauisset. Verum silentibus eo tempore Musis Mediolanensibus, cum bellicis tumultibus omnia personarent, magna quoque ruina res parentum nostri suppressit. Nam et bonis fere omnibus exuti sunt, et pater captus est, vixque elabendi ex carcere occasionem inuenit: et hoc quidem pacto Marci Antonii facultates protritae magnaue impedimenta studii eius iniecta sunt. Redeunte vero tranquillitate publica, a consobrino Primo Comite <sup>b</sup> Mediolanensi, qui eloquentiam Comi profitebatur hospitio exceptus, et ad honestarum disci-

plina-

y) PICINELLI Athen. Mediol. p. 408. Ios. ANTON. SAXIVS de Studiis literariis Mediolanensium. z) Lipf. 1731. 8.

a) Loca Maioragii de maioribus suis indicat KOHLIVS l. c. p. 4. Qui in Oratione VIII, quae est in funere matris, prolixè quoque de parentibus suis disserit.

b) Vid. Orat. X. p. 191. BAYLE l. c. not. B. KOHL. p. 8. vbi tamen pro Primo, calami errore positum est, Petri nomen. Iucundam Erasmi inaduertentiam, hunc Primum Comitem, qui eum Basileae inuisebat, pro comite quodam habentis venerantisque enarrat MAIORAGIVS l. c. p. 217. et ex eo citati.

plinarum studia porro excolenda adductus est. Tum in patriam redux in domo Lancelloti Fanniani integro quinquennio tanta pertinacia et laboris incontinentia chartis eruditorum impalluit, ut, quod ipse narrat <sup>c</sup>, eum „non quies, non remissio, non aequalium studia, non ludi, non conuiuia „delectarint: et non semel propter nimis assiduam studium, cum in gra- „uissimos morbos incidisset, de vitae periculo dimicauerit“. Ita vero tantum in literis profecit, et imprimis eam eloquentiae praestantiam affectus est, ut in funere matris eius laudationem non sine audientium applausu suscipere posset. Quibus viribus fretus ad tradenda iuuentuti honesta studia ambienti eloquentiae Romanae praecepta se accinxit, ipse vero ad philosophiam animum adiiciens in dialectica Aruntem Batalem, quem acutissimum virum vocat <sup>d</sup>, praceptorem habuit. Naturalis philosophiae autem et mathematicarum disciplinarum mysteria ab Hieronymo Cardano didicit, quem hominem appellat <sup>e</sup> celeberrimum, et non tantum mathematicae, sed etiam medicae facultatis principem, ab eoque multa se et institutione et conuersatione edoctum fuisse gratus professus est. Sed et Vincentium Magium Brixiensem, qui circa annum MDXXX in Ferrariensi et Patauina schola philosophiam magna eruditionis fama docuit <sup>f</sup>, praceptorem habuit. Ita vero dum crescit Maioragii eruditio, laeta quoque incrementa capit eius gloria et existimatio, quae tum iuuentutis fauorem et applausum ei conciliauit, tum auditores ad eum adduxit magni nominis viros, qui dicentem non sine iucunditate et admiratione audiuerunt. Quo factum est, ut eloquentiae professio, quae auunculi eius Primi Comitis morte tum vacabat, ei traderetur, quamuis viginti atque sex annos modo nato, modo verae sint temporum notationes, quas ipse suppeditat, quas suspectas esse nec satis accuratas, obseruauit P. BAYLE <sup>g</sup>, qui, ne in re tantilla prolixi simus, ipse videndus. Vix autem biennio huic muneri praefuerat, cum noua apud Mediolanenses belli flamma exarderet, qua disiecti viri docti dilabique ad loca tuta coacti sunt. Maioragius Ferrariense asyllum petiit, in qua schola praeter Vincentium Magium, de quo supra dictum, Andreas Alciatus ius Romanum magna celebritate tum docebat. Ibi noua eruditioni praestanti incrementa addidit, et tum iurisprudentiam tanto praceptore duce didicit, tum philosophiae cognitionem magnopere confirmauit: ex virorum doctorum consuetudine atque colloquiis autem egregie profecit. In eo vero secessu contra Coelium Calcagninum scripta velitatione in arenam produit <sup>h</sup>, assumpto

Marci

c) l. c. p. 222.

d) Reprehension. L. I. c. 16. p. 193.

e) loc. cit.

f) Videndi historiae Italicae eruditionis scriptores, GHILINI, COMNENVS, alique libris notissimis. Medio seculo XVII ex hac gente Magiorum Commentario Peripatetico in Simplicium et Alexandrum Aphrodisaeum inclaruit Lucilius Fileatus Magius, qui in aula Taurinensi vixit.

g) loc. cit. not. C.

h) Nempe ita Ciceronis admiratione captus erat Maioragius, ut erroris eum vnus argui ferre non posset. Vnde Calcagninum viginti quinque Ciceronis lapsus in libris de Officiis culpantem acerbe excepit. Addidit Maioragii Apologiam pro Cicerone, eius libris de Officiis I. G. GRAEVVS Conf. Orat. X. KOHL. l. c. p. 18. MOLLER Homonymoscop. p. 716. Act. phil. Vol. II. p. 444.

Marci Antonii nomine. Id quod aduersariis, eius fortunae infidantibus, cum Mediolanum, anno decurrente esset reuerfus occasionem dedit calumniandi, quod antiquas leges maiorumque consuetudinem contempsisset. Quam tamen litem, indignam virorum grauium iudicio, habita oratione luculenta facile diremit, et famae suae existimationem egregie confirmauit. Muneris itaque curam denuo gessit tanta contentione, tanta gloria, vt facile inter aequales vnus emereret. Nimia tamen studiorum assiduitate ita corporis vires exhaustit, vt praemature fato quadragesimo primo aetatis anno Mediolanensi gymnasio anno MDLI, eriperetur. In patria enim obiisse scriptores testantur<sup>k</sup>, vnde lapsum esse oportet Cel. KOHLIVM, qui Ferrariae eum decessisse scribit. Ex hac enim schola dudum redierat. Valde extollunt, qui Maioragii historiam tetigerunt, ingenii eius excellentiam, iudicii maturitatem, diligentiam stupendam et inexhaustam, et delectationem ex literarum studio ita captam, vt reliqua fordescerent omnia. Virtutes quoque haud paucas ei adfuisse testantur, laudantque conuersationis iucunditatem, amicitiae fidem, docendi peritiam, institutionis fidelitatem, et praecipue vim quandam eloquentiae dulcissimam cum perspicuitate coniunctam, quae ex eius orationibus atque epistolis satis dispalescit. Adeo vero disciplinarum promouendarum curam habuit, vt nec operae molestia deterreretur, nec aduersariorum consiliis impediretur, quos tantum abest vt non laceffitus laecerit, vt aequissimum se potius illis praeberet, re ipsa philosophi personam sustinere gestiens. Quantum autem inter honestae disciplinae professores nomen eius illo tempore fuerit, et quam famam illi immortalem conciliauerit eloquentia et philologiae veteris cognitio, ex censuris virorum doctorum intelligi potest, quas post TEISSIERIVM collegit KOHLIVS<sup>l</sup>. In philosophia autem nouum quid, vt erat mos aeui istius, molitus non est, sed interpretando Graecum Aristotelis textum, ostendere, quid Stagiritae visum fuerit, contentus, sectariam viam cum aliis ingressus est. Quae quoque causa fuit, cur Philippum Melanchthonem et Ioannem Caesarium, philosophum<sup>m</sup> et medicum Germanum magni faceret, eo quod vtrumque perspicue mentem Aristotelis explicuisse crederet, placeretque viro eleganter docto, quod viam atque aditum ad Aristotelis opera munire voluissent, tamque egregiam scientiam, iam pridem barbarorum commentariis et somniis inquinatam, et squalentem atque horridam quodammodo purgare et nitidior cultu exornare contendissent. Ad id vero potissimum res-

xit

i) Vid. Orat. X. KOHL. p. 16. BAYLE l. c. not. D.

k) Vid. laudati KOHLIO p. 27.

l) ll. cc.

m) Fuit is philosophus et medicus Germanus, natus in Iuliacensi comitatu anno 1460, haustisque philosophiae praeceptis Lutetiae, postea Co-

loniae vixit, et a Protestantium partibus, quas amplexus erat, ad Romanenses rediit. Scripsit dialecticam, ediditque Boethium de consolatione philosophiae, Diomedem Grammaticum, et Plinium et Celsum, obiitque anno 1551. Vid. PANTALEON Prosopograph. VAL. ANDREAS Bibl. Belgica, aliique.

xit Maioragius, ut usum dialecticae Peripateticae in eloquentiae studio ostenderet, et quo pacto ratiocinatio Ciceronis partitionibus conformiter adhibenda sit, exponeret. Quod artificium ita assecutus est, ut, iudice MORHOFIO<sup>n</sup>, suae aetatis oratores, praecipue τῶ ἐνδουμιματικῶ superaret. Eo tamen non diffidente naturalis et moralis philosophiae secundum Aristotelem mysteria non tam alte penetrauit, id quod in homine vitam breuem vni fere eloquentiae studio tribuente non magnopere mirandum. Non immerito vero culpanda in eo iactantia, et, licet aequissimus esset, neminemque laederet, exercita tamen in laedentes vindicta vsque ad conuicia progressa. Cuius impotentiae animi specimen dedit, in controuersis, quarum ferram cum Coelio Calcagnino et Mario Nicolio itemque cum Gaudentio Merula reciprocauit, quarum historiam, quae ad alium locum pertinet, heic praetermittimus. Non autem omittendae hoc loco sunt eius *Reprehensiones contra Nizolium*, ex quo libro rarius occurrente summam controuersiae accurate prolixique enarrauit doctissimus KOHLIVS<sup>o</sup>. Nempe inter acerrimi ingenii viros non sine acerbitate de pretio disputabatur, quod dialecticae statuendum esset. Quam cum superciliose contemneret et abiectam censureret Nizolius, et in eum finem veterum inuectiuas in dialecticos cumulasset, ita Maioragius defendit, ut non sine eruditionis ostentatione demonstraret, ad eloquentiae studium oratores summos dialecticam requisuisse. Quae tamen omnia ex vtraque parte disceptata si examinentur, digladiatos fuisse viros doctos andabatarum more, et de verbis pugnam fuisse, aequus iudex facile pronuntiabit. Caeterum *Paraphrasi* quoque *librorum Aristotelis de coelo, de generatione et corruptione*<sup>p</sup>, *Commentario in libros Ciceronis de officiis*, et *Interpretatione nonnullorum Platonis, Heronis et Nicomachi* philosophantium studia adiuuit<sup>q</sup>, luculento specimine, Aristotelicos huius aetatis reliquos philosophos non contempsisse, sed diligenter euoluisset. In oratione autem *de Laudibus auri*, in Belgio primum<sup>r</sup>, dein in Germania edita<sup>s</sup> satis ostendit, se de moribus pulchre philosophari potuisse, si in Italia, vbi viuebat, licuisset.

Daniel Barbarus.

§. XIV. Barbarorum gens, non sanguine tantum in nobilitate Veneta illustris, sed et viris summis clarissima, qui rempublicam ciuilem et literariam ingentibus meritis ornauerunt<sup>t</sup>, Lyceo celeberrimum dedit philosophum DANIELEM BARBARVM. Is in iuuentute philosophiae accuratius, quam in scholis fieri solebat, addiscendae intentus Aristotelemque ducem eligens, hunc legendum sibi atque eius praecepta ediscenda esse statuit. Cumque magna animi inclinatione ad scientias mathe-

n) Praef. de laudibus auri.

o) loc. cit. p. 71.

p) FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 126.

q) Conf. KOHL. p. 77.

r) Traiecti ad Rhen. 1660.

s) Lubec. 1660. g. vbi altera eiusdem argumenti adiecta est a D. G. MORHOFIO.

t) Hermolaum Barbarum inter restauratores literarum libro primo recensuimus, sed Francisci quoque nobile nomen fuit, vid. BAYLE Dict. T. I. p. 440. Alios breuitatis causa tacemus.





omnium maxime literis fauebat, virosque eruditione claros fauebat. Is enim cum domum suam Musarum domicilium fecisset, ad quod confluebat, quicquid doctrinae praestantia atque literarum cognitione inclaruisset, Sepuluedam in familiam domumque suam recepit, quo pacto illi occasio fauentissima enata est, virorum doctissimorum consuetudine fruendi, et ex eorum conuersatione eruditionis incrementa confirmandi. Et hoc loco imprimis Aldi Manutii, Petri Pomponatii, Marcique Musuri aliorumque amicitia gauisus est, et ex tantorum virorum doctrina valde profecit. Id quod eo maioribus fiebat successibus, quo diuturnior eius in Italia fuit commoratio, in qua viginti annos contriuit. Tandem in patriam redux, cum ingeniorum quandam in ea sterilitatem deprehendisset, et ipse summo labore disciplinarum semina diligentius spargere, et inopiam conuersationis literatae, commercio literario, quod cum celeberrimis Europae viris alebat, leuare fategit. Cum enim Graece Latineque esset doctissimus, et proluxa eruditione adiutus, per omnem theologiae, philosophiae, philologiae, historiae et mathematicae campum discurrens, genus autem scribendi illi esset fufum, et cum lenitate quadam abunde profluens, epistolae eius iucundissimae fuerunt viris doctis, hodieque non sine vtilitate leguntur <sup>a</sup>. Salmanticae canonicatu auctus cum omnes in id vires conuerteret, vt doctrina alios antecelleret, ita Carolo V imperatori commendatus est, vt eum sibi theologum et historiographum adscisceret; cui quoque muneri vitam maximi principis debemus. Laudandus vero magnopere Sepulueda est, quod philosophiam, quam Hispani Scholastico squalore deformare eo tempore pergebant, suo nitore restituere, et feueriori disciplinae humanitatis studia iungere felicissimo labore conatus sit, qua de re virorum clarissimorum testimonia adduxerunt NICOLAUS ANTONIVS <sup>b</sup> et ANTONIVS TEISSIERIVS <sup>c</sup>, qui videndi. Maxime vero accurata sincerioris philosophiae Aristotelicae cognitio Sepuluedae eruditionem extulit. Debemus enim illi versiones librorum *de Ortu et interitu, de meteoris, paruorum naturalium, de sensu et sensibilibus, de diuinatione per somnium, de vitae longitudine et breuitate, de iuuenta ac senectate, vita ac morte, de spiratione ac motu animalium, de eorum incessu, de optimo reipublicae statu, et de mundo* <sup>d</sup>: itemque translationem *Commentarii in metaphysicos libros Aristotelis*, quem scripsit ALEXANDER APHRODISAEVS. Quas eius versiones et notas, vt quisquis fuerit ingeniosior, ita pluris semper aestimaturum esse iudicauit GABRIEL NAUDAEVUS <sup>e</sup>. A quo tamen Naudaei iudicio discedit P. D. HVETIVS <sup>f</sup>, eo quod castigatam interpretationum fidelitatem se repudiare declarasset, et sic aditum sibi ad huius artis

a) Septem libris aliquoties seorsim et in Operibus Coloniae 1602. 4. editis prodierunt. Conf. MORHOF, Polyhist. T. I. L. I. c. 24. §. 53. p. 297.

b) loc. cit. c) loc. cit.

d) Vid. SCHOTTVS p. 465. qui merita eius in Peripateticam philosophiam fufe enarrat. MOR-

HOFF. l. c. p. 297. Tanto autem amore Aristotelem profectus est, vt de eius aeterna salute non desperaret, eo quod luci naturae conuenienter vixisset, vid. ep. 91.

e) Bibliograph. polit. p. m. 26.

f) De claris interpret. p. 289.

perfectionem obstruxisset. Notas quoque eius in opus Aristotelis politicum celebriores forte quam accuratiores esse censet IO. HENR. BOECLEERS *f*, qui tamen post Danielem Heinsium proximam eum laudem mereri asserit. Sed et ipse Sepulueda argumentum philosophiae moralis tetigit, leguntur enim eius libelli *de Regno et regio officio, de appetenda gloria, de honestate rei militaris* alique, de quibus videlicet D.G. MORHOFIVM *g*. Ceterum ut laudem meretur eius modestia, qua ductus libros suos non summorum tantum in literis virorum censurae subiecit, sed ad eorum quoque iudicium exegit, qui infra suam eruditionem erant: ita merito culpanda est, quaedam animi pertinacia, qua sententiam semel admissam etiam de meliore conuictus dimittere noluit *h*. Cuius exemplum dare potest controuersia, quam cum Bartholomaeo Casa, qui a sacris confessionibus Carolo V fuit, aluit, et in qua immanem Hispanorum fauorem haud exiguo famae suae detrimento defendere ausus est *i*. Obiit octogenario maior *k* anno MLXXII, in patria.

§. XVI. Sepuluedae iungimus PETRUM VICTORIVM, non modo Aristotelicae philosophiae peritia illo non inferiorem, sed elegantioris quoque literaturae, artisque criticae laude praefendum, quippe qui inter criticos seculi XVI tantum non primum locum meruit. Natus Florentiae, exspirante seculo XV, generosa stirpe oriundus, in prima pueritia insolitas animi dotes prodidit, pauloque aetate maturior eam elegantissimi ingenii praestantiam prae se tulit, ut alios longe antecelleret. Quibus naturae fauoribus iunxit insolitam atque insatiabilem discendi cupiditatem, ita ut haud semel dispareret, diuque quaesitus tandem in angulo quodam cum libro latens reperiretur *l*. Positis mature disciplinarum fundamentis ad Pisanam academiam conuolauit, ibique Graecae Latinaeque

*Petrus Victorius.*

Bb 3

lin-

*f*) Bibliogr. crit. p. 560.

*g*) Polyhist. liter. T. III. p. 503.

*h*) THUANVS ad an. 1572. TRISSIER. loc. cit. p. 441.

*i*) Historiam controuersiae late prosequitur ALVARVS GOMEZ in Vita cardinalis Ximenis L. VIII. breuius enarrat THUANVS l.c. Ea cum momentum in historia iuris naturalis habeat, paucis ita habet: Diu valde detestatus erat Casa fauorem, auaritiam, et tyrannidem, quam oculis suis viderat ab Hispanis in India occidentali exerceri in indigenas. Quas pessimas artes cum homines, ne dicam Christianos dedecere cernebat, sanctius regis consilium serio hortatus est, ut modum inhumanitati ponerent iramque diuinam a patria auerterent, non nisi his emendatis declinandam. Quam viri grauissimi cohortationem cum bonus quilibet probauisset, ea tamen illis displicuit, quorum emolumentum ista tyrannis promouebat, Sepulueda autem, quod mireris, quam totus orbis detestabatur, excusare probareque fauorem ausus est, causatus, Americanos iure belli seruos esse factos Hispanorum, hincque omnia his in illos licere. Id peculiari dissertatione consignata Sepulueda defendere conatus, ea vero a Casa et episcopo Segouensi suppressa est. Re post consultationes crebras ad theologos Salmanticenses delata, Sepulueda causa inferior discessit, et liber eius edi prohibitus est. Is ut sententiam theologorum eluderet, Romam librum misit typis edendum, id quod tamen ab imperatoris legato impeditum est. Quod ita offendit Sepuluedam, ut publicae disputationis aleam cum Casa subeundam exposceret; qua venia impetrata Dominicus Soto arbiter ab imperatore controuersiae datus est. Neque tamen sic peruicit Sepuluedae pertinacia, quae licet rationibus pro infanda tyrannide nihil effecisset, ipsa tamen res neglecta postea iacuit, imperatore ad alia vocato et detento, mansitque intolerabile seruitutis iugum.

*k*) Errare Thuanum 70. annos ei tribuentem ex Antonio obseruauit TRISSIERVS.

*l*) IMPERIALIS in Mus. hist. et ex eo FRASSERVS Theatr. vir. erud. clar. p. 1471.

linguae, et antiquitatibus discendis inuigilauit, philosophiam quoque more temporis illius excoluit. Parum autem eo in loco abfuit, quin a graffatoribus nocturnis interficeretur. Valde vero intra moenia sua Victorium inuitabat Roma, quae cum antiquae artis monumentis et reliquiis superbiret, ille nostro locus uisus est, in quo antiquitatis notitiam egregie augere posset. Illuc ubi venit, tanta industria in eruendis veteris magnificentiae Romanae monumentis uersatus est, tantaque felicitate, quicquid elegantiae habuit uetustas comprehendit, ut rarissima eruditione euaderet clarissimus. Tum in patriam Florentiam reuersus Cosmum Medicen, eruditorum Maecenatem inuenit sibi quoque beneuolentissimum. Is enim ubi Victorii doctrinae opes cognouerat, reipublicae interesse ratus, ut publico munere doceret, Graecae et Latinae linguae professionem ei demandauit, cumque in philosophia non minus, quam in philologia ualeret, moralis quoque philosophia publice tradenda ei commissa est. Quo in munere et loco amplissimum campum Victorius nactus est, explicatis eruditionis prolixae profundaeque latifundiis immortalem nominis famam acquirendi. Tanta enim doctrinae copia, tanta dexteritate docuit, ut qui eius institutione gauderent, felicissimi reputarentur. Quae causa fuit, cur principes quoque uiri disciplinarum praecepta tradentem audire non erubuerint, inter quos imprimis magno Victorium studio profecuti sunt Farnesius cardinalis, duxque Urbini Feltrius, Mediceae uero domus principes, saepius eum inuiserint, eius conuersatione, quae et morum iucunditate et eruditionis elegantia se commendabat, delectati <sup>m</sup>. Henricus III autem rex Galliae scriptis ad eum literis beneuolentiam ei suam offerret. Hac uero ingenti nominis claritate factum, ut et a Bononiensi et a Veneto S. P. Q. ad docendam eloquentiam et philosophiam in academiis suis magnis stipendiis inuitaretur, et principes Italiae certatim eum ad se propositis magnis praemiis uocarent. Dulce tamen Patriae solum alienis sedibus praetulit, detentus tum Cosmi Medices liberalitate, tum ciuium honoribus, quos in elegantissimae doctrinae uirum cumulabant. Satis enim nouerant, quanto is Italiae decori esset, cui potissimum reflorescentium literarum incrementa debebantur. Cuius exemplum esse potest, quod nemo eruditus Italiam transierit, qui non Victorium uelut aliquod doctorum uirorum oraculum salutauerit; nulla fere inter uiros eruditos controuersia enasceretur, in qua non arbitri partes Victorio etiam modesto deprecanti deferrentur <sup>n</sup>. Ipse uero Iulius III, pontifex maximus, cum Victorius oratoris titulo a Cosmo ad eum esset ablegatus, tanti uiri doctrinam famamque equitis comitisque dignitate coonestauit. Et tamen, licet undique exsplendesceret Victorii eruditio, summamque apud omnes nacta esset existimationem, apud bibliopolas et uulgus eruditorum ita euiluit, ut contemneretur, et uix editorem ille scriptorum summa industria confectorum reperiret, grauemque ea de re querelam institueret apud Au-

gu-

m) THEISSER Elog. T. III. p. 334. et quos laudat.

n) IMPERIALIS L. C.

gustum Thuanum, luculento exemplo saepe nihil magis contemni, quam quod singularem eruditionem spirat<sup>o</sup>. Valde vero in eo extolli videas, non modo animi continentiam nulla sorditie auaritiaque corruptam, qua magna etiam munera generoso animo contempsit<sup>p</sup>, sed et modestiam, animo potius amicorum studiis et officiis, quam propriae gloriae ac inflationi velificante<sup>q</sup>. SCALIGER<sup>r</sup> tamen, more suo, contemtim de eo iudicans, inuidiae oestro exacerbatum fuisse in illum conqueritur, de cuius tamen querelae verisimilitudine facile iudicabunt, qui Scaligeri mores norunt. Illud omnium iudicio constat, in eloquentiae Graecae atque Romanae studio, inque emendandis scriptoribus veteribus, non modo doctrinam eum atque iudicandi peritiam, sed fidem quoque atque religionem probauisse, tanta, iudice TVRNEBO<sup>s</sup>, pudoris ingenuitate, ut de existimatione amittere mallet, quam per fucum hominibus os oblinire, et dum famae consulere, verum opprimere. Vnde magnus in his literis iudex Io. GEORG. GRAEVIUS<sup>t</sup> eum non solum ob iudicium, quo valebat, acerrimum, ac eruditionem magnam, sed ob parem, quae ei coniuncta erat, modestiam, principem ingeniorum sui temporis appellare nullus dubitauit. Alia virorum doctorum iudicia cum ad nostrum institutum non pertineant, praetermittimus, legenda apud THOMAM POPE-BLOUNT<sup>u</sup>, et ANT. TEISSIERIVM<sup>v</sup>. Fatendum tamen, scribendi rationem prolixam et circumductam, quae in Italia eo tempore regnabat, et quandam in dicendo negligentiam nonnullos offendisse<sup>w</sup>, et quandam illi obscuritatem peperisse. Quemadmodum autem in emendandis auctoribus veteribus praestantissimum se Victorius exhibuit, ita quoque in iis interpretandis doctrinam probauit atque ingenium. Et hoc quidem nomine inter Peripateticos philosophos de Aristotele non indiligenter meruit; vnde laudat P.D. HVETIVS<sup>x</sup>, *eximiam Victorii facultatem, qua ad auctoris arbitrium ita se componit, ut mutatus, recoctus, pene alter credi possit, alieno ori loqui, propriamque indolem exuisse videatur*. Qua ratione Aristotelem interpretari aggressus inter optimos eius interpretes, licet utcunque obscuros, referri meruit<sup>y</sup>. Vtrum autem Victorius in plagiariorum illorum censum, quod IAC. THOMASIVS<sup>z</sup> iudicat, referendus sit, qui ambitione quadam accessit deperditos eoque nunquam sibi visos citant auctores, eorum suppresso nomine, a quibus notitia talium ad nos peruenit, lectoris arbitrio decernendum relinquimus, id monuisse, contenti, non solum hoc fecisse Victorium, sed communem eam seculi XVI fuisse consuetudinem, moremque a nemine tum quidem culpatum, iudicando sufficere, si primi fontes aperirentur.

§. XVII.

o) Vid. TEISSIER l. c.  
 p) Exemplum adest IMPERIALIS loc. cit. quo magnum munus respicit, quod a viro quodam nobili offerebatur, si dedicatio Rhetoricae ei a Victorio inscriberetur.  
 q) Ibid.  
 r) Scaligerana secunda p. m. 251.  
 s) Aduersar. L. XIX. c. 28.  
 t) Praefat. in Epist. Ciceronis.

st) Cens. cel. auct. p. 673.  
 u) loc. cit.  
 v) Vid. BALZAC Lettres a Chapelain L. III. ep. 21. MORHOF. Polyhist. T. I. p. 924.  
 w) De claris interpret. p. 271.  
 x) Vid. BLOUNT l. c. TEISSIER l. c. MORH. l. c. BORCLER. Bibliograph. crit. p. 34. 91.  
 y) De Plagio n. 573. p. 252.

*Jacobus Zabarella.*

§. XVII. Magnum quoque inter philosophos sincerum Peripateticum sequentes nomen est IACOBI ZABARELLAE, qui Patavii Non. Sept. anno MDXXXIII editus est, ex familia celebri, quae complures viros clarissimos protulit <sup>y</sup>. Adolescens humanitatis studia, linguamque Latinam atque Graecam didicit a Ioanne Faseolo, et magno illius aetatis critico Francisco Robortello, de quo infra dicendi suppeditabitur occasio. Horum praeceptorum institutione factum, ut et eleganter scribere et Graecorum scriptorum libros legere satis posset, sicque veterum philosophorum, maxime Aristotelis scripta sine interprete intelligeret. Quibus praesidiis munitus, dum philosophiae studium excolendum sibi sumit, dialecticam imprimis accurate perdiscendam statuit <sup>z</sup>, magistris ea in parte usus Petro Arquano et Bernardino Tomitano, cuius in rationali philosophia eo tempore eruditio maxime eminebat <sup>\*</sup>. Philosophiae iunxit mathematicarum disciplinarum cognitionem, et imprimis astrologiae, in qua singularis eius peritia enituit <sup>a</sup>. Habuit in hoc eruditionis genere praeceptores Petrum Catenam, et Franciscum Barocium. Ita ad abstrusiora philosophiae Peripateticae mysteria rite praeparatus, physicam, metaphysicam et ethicam Aristotelis, consultis ipsius Stagiritae fontibus tanto iudicii acumine, tanta ingenii felicitate didicit, ut omnium calculo inter celeberrimos Lycei philosophos suo tempore referretur. Quae doctrinae philosophicae praestantia illum patribus conscriptis reipublicae Venetae ita commendavit, ut, cum Bernardinus Tomitanus logicae professionem deponeret, illi successor in ea dari anno MDLXIV meruerit. Quam spartam quindecim annis ita ornavit, ut dubium esset, vtrum vel doctiorem, vel profundiorum artis rationalis interpretem unquam habuerit Patavina cathedra. Dignus itaque habitus est, cui postea philosophiae professio extraordinaria cum Archangelo Mercenario Pisano, tandemque ordinariam philosophiae docendae munus crederetur, fieretque

<sup>y</sup>) Franciscum Zabarellam cardinalem, qui seculo XV eminebat, et in concilio Constantiensi magna nominis celebritatem consecutus est, commendavit magna iuris ecclesiastici eruditio, laudata scriptoribus concilii Constantiensis et historiae iuris canonici auctoribus. Imprimis videndus BERNARDIN. SCARDEONIVS de claris Patavinis L. II. cl. 8. p. 168. ubi multa de eo ex epistola Petri Pauli Vergerii, qui eius discipulus fuit, adducuntur. Conf. BAYLE Dict. T. IV. art. Franc. Zabarella. Comitum Palatini dignitatem a Maximiliano I. accepit Iacobus, ad posteros Ferdinandi I. gratia propagavit Iulius Zabarella.

<sup>z</sup>) IMPERIALIS in Museo p. 115. TOMASSINI Elog. P. I. p. 139. quos excerptit FREHERVS in Theatr. p. 1483. BAYLE Dict. T. IV. art. Jaques Zabarella p. 527.

<sup>\*</sup>) Fuit is philosophus et medicus Patavinus, qui diu logicam in ista academia docuit, artemque simul salutarem exercuit. Tandem Lo-

gicae professionis pertaesus, philosophiae docendae ordinariam munus a senatu Veneto frustra expetiit. Quod ita Tomitanum offendit, ut deposito professorio axiomate priuatus ex artis medicae praxi viveret. Sobrietatis, quam tanta sedulitate excoluit, ut semel tantum in die, nempe coenans cibum sumeret, beneficio senectutem attigit, ereptus rebus humanis peste anno 1567. Patavii. Scripsit Animadversiones in primum posteriorum Aristotelis. Introductionem ad Sophisticos elenchos, Aristotelis, Breuem methodum diluendorum paralogismorum per diuisionem, Solutionem contradictionum in Auerroë et Aristotele, et alia quoque ad eloquentiam et medicinam pertinentia, vid. MERCLINVS Linden. renou. p. 127. IMPERIALIS, TOMASSINI, FREHERVS II. cc.

<sup>a</sup>) Multa thematum genealogiarum ab eo descriptorum euentum probauisse nonnulli referunt, vid. KECKERMANN. Praecogn. log. p. 131. TEISSIER Eloges T. IV. p. 26.

que tam carus, reipublicae proceribus, quos facundia et prudentia eius, demonstrata multoties orationibus publice ad senatum de grauiſſimis argumentis habitis ceperat, vt ſummo eum loco haberent, et munificentia quoque inſolita doctrinam eius ornarent <sup>b</sup>. Ipa vero ſtudioſa iuuentus tanto fauore applauſuque ſubtiliſſimi ingenii philoſophum proſecuta eſt, vt auditorum turbam Zabarellae phrontiſterium non caperet <sup>c</sup>. Quae exiſtimatio, qua eruditionem eius proſecutae ſunt Muſae Venetae, eum permouit, vt cum ingenii eius ſublimate et philoſophiae laude illectus Poloniae rex Sigismundus illum ad ſubeundam philoſophiae profeſſionem magno ſtipendio promiſſo inuitaret, paternos fumos igni alieno praeferret. Vultu ſpectabilem fuiſſe ait TOMASSINVS <sup>d</sup>, tetricam vero oris ſpeciem ei adſcribit IMPERIALIS <sup>e</sup>, quam ſcriptorum horum contradiccionem miratur P. BAYLE <sup>f</sup>, tolli autem ea poſſe videtur, ſi illum de vultus grauitate, hunc de faciei et oris ſpecie ſeueritatem prae ſe ferente intelligamus. Minus facile inter ſe conciliari poteſt vterque, narrante TOMASSINO: *Nactum eum eſſe Mercurium feliciter ſtatem, eamque ob cauſam celeres habuiſſe ingenii motus, et ad quaeuis excogitanda faciles et expeditos in omni vita.* IMPERIALE autem ſcribente: *Carpſiſſe in eo plurimos memoriae labem et quendam in agendis torporem, quibus ad priuata vel publica negotia minus redderetur idoneus, ſegniorem pariter, quam ferret ingenii claritas in quaestiōnibus inopinate ſoluendis praedicauit, cum eum ſcholarium theſibus non niſi per interpoſitas horas reſpondere ſolitus dicerent.* Neque tamen haec nullam conciliationem admittunt, ſi dicamus, Zabarellam ingenii quidem felicitate reſponſiones excogitare facile potuiſſe, ſed proferre in medium, apteque cogitationes diſponere ac eloqui diſſiculter, et non niſi ſpatio interpoſito, et praeparatione adhibita valuiſſe, idque praecipue eueniſſe, vbi de rebus ciuilibus, quas mediocriter attigerat, eſſet diſſerendum. Ita enim Imperialem intelligendum eſſe, ex alio eius loco <sup>ff</sup> ſatis veriſimiliter colligi poteſt, vbi Franciſcum Piccolominaeum collegam eius cum Zabarella comparat, *illumque facilitate quadam dicendi praeditum, iuncta comitati morum ac eximiae humanitati fuiſſe, hunc ſermone durioſem, blaefum, incomum, ciuilibus in ſtudiis inopem potius, quam redundan-tem extitiſſe*, aſſerit. Haec enim inſacundi oris diſſicultas non obſtat, vt non celeres ingenii motus habere potuerit, quos vero torpor linguae impediēbat, quo minus protruderentur foras. Quod magni ingenii viris nonnullis accidiffe teſtis eſt haud vno exemplo erudita Hiſtoria. Quod vero ori decedebat, largiter reſpondit meditationis profunditas, iudicii acies, et inſo-

lita

b) Dotem vni filiarum mille aureos ſoluebat reſpublica. Citati.

c) ANGELVS PORTENARI de Felic. Patavii apud TEISSIER l. c. p. 27.

d) loc. cit. P. I. p. 138.

e) loc. cit.

f) loc. cit. nota D.

ff) loc. cit. p. 115.

lita quaedam perspicacia, qua in nexus ratiociniorum alte penetrabat. Quibus mediis ita usus est, ut imprimis in scribendo insolitum demonstrare robur posset, et validissime alios refelleret. Hinc IMPERIALIS de illo: *Neminem facile quis dixerit aequare Zabarellae scriptorum venustatem atque elegantiam, quibus accedit incredibile argumentandi robur, et opinionum firmitas, quo nomine vix alius in euertendis aliorum placitis vberior, in adstruendis propriis felicior unquam est habitus.* Neque in hac censura partium studio aliquid dedisse Imperialem fatendum est, ea enim, quae de philosophia rationali secundum praecepta Aristotelis edidit, qualia sunt, *Tabulae logicae, de natura logicae, apologia de doctrinae ordine, de conuersione demonstrationis in definitionem, de speciebus demonstrationis, commentarius in analyticorum libros priores etc.* magnam auctoris eruditionem philosophicam et accuratam Peripateticae doctrinae cognitionem spirant, sic ut Zabarella meruerit, aliis Aristotelis interpretibus in argumento logico praeferi <sup>e</sup>. Attigit tamen physicam quoque Aristotelis editis *Libris triginta de rebus naturalibus, commentariis in libros Physicorum Aristotelis, in libros de anima, de naturalis scientiae constitutione, de misti generatione et interitu, de prima materia, de qualitatibus elementariis, de natura coeli, de motu ignis in orbem, de accretione et nutritione, de visu et mente humana,* aliisque, quae iunctim edidit IO. LUDOVICVS HAVENREVERTERVS, medicus et philosophus Argentoratensis <sup>b</sup>, oppugnauit aliquot dissertationibus IOACHIMVS IVNGIVS, rector Hamburgensis <sup>i</sup>. In his scriptis eius physicis cum Stagiritae systema physiologicum sibi sequendum proposuisset, et sinceram eius philosophiam tradere constituisset, non potuit non errores physicae Aristotelis doctrinae proprios exponere, adeoque de mentis quoque immortalitate ea tradere, quae a sana doctrina discessum facere videbantur. Inde factum, quod IMPERIALIS narrat, *ut impensius aliquanto impugnaret immortalitatem animae, deterrimam Alexandreorum sententiam palam professus, licet non neget, hos de eo rumores forte ab exulceratis animis excitos ita vel illusisse posteritatem, vel admirabili ac prope diuina virtutum fama compensauisse.* Nobis satis verisimile videtur, Zabarellam genuinam Peripateticismi Alexandrei rationem secutum statuisse, si is sequendus sit, immortalitatem ex rationis lumine demonstrari non posse. Tum quia ita schola Patauina per integrum fere seculum docebat, illique, qui immortalitatem animae defendebant, absurda Auerrois hypothesi de intellectu vno et externo nitentur; aliter quoque statuere non poterat, quisquis Aristotelem presso pede sequendum esse putaret. Tum quia ad Zabarellam potissimum prouocat CLAVDIVS BERIGARDVS <sup>k</sup>, ostensurus, pertulisse S. officium, ut in academia Patauina doceretur systema Aristotelis physiologicum, quamuis aliam, quam

g) Vid. KECKERMANN. l. c. p. 184. BOK-  
LER Bibliograph. crit. p. 685.

h) Argent. 1623, 4.

i) Vid. MORHOF. Polyhist. T. II, Lib. I.  
c. 14 p. 104.

k) Praef. ad Circul. I. Pisanum.



putat P. BAYLE causam habuerit Berigardus ista scribendi'. Nam quod ad Zabarellam attinet, non in hoc solo de animae immortalitate argumento Aristotelem a recepta Christianorum doctrina discedere ostendit, sed et demonstrationem Dei primi motoris nullam ex motu aeterno dari, quod tamen Aristotelica philosophia supponit, defendit. Edidit enim librum *de Inuentione primi motoris*, in quo, enarrante BERIGARDO, docuit, *unicum medium philosopho naturali ad demonstrandum dari, primum motorem a materia abiunctum esse motus aeternitatem, quae quia non detur, ut fide diuina certi sumus, sequi primum motorem demonstrari non posse naturaliter, sed ad hoc opus esse, Dei contactu peculiari.* Nimis tamen acerbi in Zabarellam sunt, qui ea propter impietatis maculam ei affricant<sup>m</sup>. Recte enim laudato viro obseruatum, *propterea Zabarellam non putauisse, eam quam vocat demonstrationem primi motoris ex motu aeterno, esse veram demonstrationem, utpote cuius medium falsum est, sed loqui ex falsis principiis Aristotelis, nempe si verus esset motus aeternus, inde solum ostendi posse motorem primum.* Quaecunque itaque Zabarella ea de re disputat hypothetica sunt, et physiologiam Aristotelis supponunt. Ex quibus prudentiores quidem, qualis Berigardus, concluderunt, deterrimos esse fructus philosophiae Peripateticae, ut infra demonstrabitur, qui autem Peripatetici *γρηγοροι* videri volebant, nec Aristotelem improbare totum audebant, intulerunt, superare has assertiones humanae rationis notitiam, et ex Dei reuelatione vel contactu speciali addiscendas esse. Qua ratione non solum Zabarellam, sed et Caesarem Cremoninum, et Andream Caesalpinum philosophatos fuisse, infra dicemus. Nemo tamen his non obstantibus, Zabarellam viuum impietatis arguit, qui teste TOMASSINO ita vixit, ut a nemine reprehendi posset. Ceterum habuit philosophus noster uxorem Elisabetham Cauaceiam, quae eum sex filiorum patrem fecerat, inter quos natu maximus Iulius mathematicarum disciplinarum peritia prorsus singulari famam sibi comparauit nobilissimam, quam tamen lasciuia tandem in fatalem morbum degenerante commaculauit. Mira sunt; modo vera, quae de eius vitae fine narrat IMPERIALIS, Zabarellam vespere aliquo stellam ostendisse iuuenibus studiosis, eamque sibi fatalem esse, praedixisse: et post paucos dies vehementi morbo correptum XV Cal. Nou. anno MDLIX, annos natum quinquaginta et sex decessisse<sup>n</sup>. Nisi enim nos coniectura turpiter fallit, haec excogitata sunt ab illis, qui a peritia astrologiae, quam habebat Zabarella, et qua haud raro certos euentus praedixisse dicitur, vanitati astrologiae praesidium quaerunt. Innumera enim huius furfuris ab audacissimo hominum genere ad decipiendos incautos mortales excogitata sunt.

Cc 2

§. XVIII.

l) Nempe, non ut frigidam Aristoteli suffunderet, sed ut ineptam eius philosophiam esse ostenderet. Qua de re infra plura dabimus.

m) Vid. IMPERIALIS l. c. p. 117.

n) Fuit alius quoque Iacobus Zabarella, eques S. Georgii, seculo XVII medio clarus, qui Elogia illustrium Patauinorum scripsit, et Centum stemmata originum Polonicarum edidit; cum philosopho non confundendus.

*Alexander  
Piccolomi-  
nacus.*

§. XVIII. Illustrissima Piccolomineorum gens tot magnorum viro-  
rum ferax<sup>o</sup> celeberrimos philosophorum Peripateticorum choro viros  
addidit ALEXANDRUM et FRANCISCUM PICCOLOMI-  
NEOS. Alexandrum Sena dedit, genuit Angelus Piccolomineus, pe-  
perit Hippolyta Sanctia<sup>o</sup>, anno salutis restitutae MDVIII. Cum diu  
nobilissima familia sanguinis decora cum literarum ornamentis felicissimo  
connubio coniunxisset, auitam gloriam sequendam filio esse rati Alexandri  
parentes, eum praeceptoribus tradiderunt doctissimis, ex quorum institu-  
tione et linguae Latinae, Graecae atque Hebraicae exactam hausit noti-  
tiam, et honestarum disciplinarum circulum feliciter absoluit, tumque  
seueriores disciplinas theologiam, iurisprudentiam, medicinam, philoso-  
phiam, mathematicam, et quodcunque fere literarum genus, ita excoluit,  
vt admiratione esset cunctis, paucosque habere pares censeretur. Demon-  
strant id elogia, quae in eum cumularunt IMPERIALIS<sup>o</sup>, TOMASSI-  
NVS<sup>o</sup>, GHILINVS<sup>o</sup> alique, ex parte laudati P. BAYLE<sup>o</sup>, inter quae  
tamen sunt, quae modum excedunt. Illud autem certum, inter primi  
gradus atque generis eruditos Alexandrum retulisse omnes, quotquot  
eo tempore pretium statuere literis norant. Quae caussa fuit, cur vnani-  
mi eum consensu suo albo inscriberent academiae inflammatorum focii<sup>o</sup>.  
Iunxit vero Alexander eruditioni supra modum inclarescenti et maximam  
illi famam comparanti tum morum seueritatem atque grauitatem tum con-  
uersationis iucunditatem atque quandam dulcedinem, id quod teste noui-  
mus AVG. THVANO<sup>o</sup>, qui virum veneranda canitie senem cum Paulo  
Foxio, regis Galliarum Caroli IX oratore inuisit. Diu autem oratoriam,  
rationalemque atque naturalem philosophiam et disciplinas mathematicas  
tanta perspicuitate et dexteritate docuit, vt maxime sub tanto praeceptore  
iuuentus studiosa proficeret; tanta autem morum continentia vixit, vt  
dignus haberetur, qui sedi Patrensi praeficeretur, et socius quoque adde-  
retur Senensi praesuli. In qua dignitate senex vitae honorumque satur  
anno redempti generis humani MDLXXVIII, IV Id. Mart. mortalitatis  
exuias deposuit. Dici non potest, quanta is studiorum assiduitate, quan-  
ta eruditionis applicatione, quanta virium contentione Aristotelem no-  
cturna diurnaque manu versauerit, quantoque eius philosophiam amore,  
teste THVANO, complexus sit: adeo, vt ecclesiastica infula splendens et  
senii incommoditatibus grauatus, otia sua, narrante, qui eum ita offendit,

o) Dedit orbi literato Piccolominea gens Ae-  
neam Syluium Bartholomaeum Piccolominaeum,  
praeter eruditionis claritatem diademate quoque  
pontificio, quod Pii II nomine gessit, illustrem.  
Franciscum Piccolomineum, Pii III nomine P.  
R. Lepidum Piccolomineum, iurisprudentiae  
laude celebratum ERYTHRAEO Pinacoth. II. p.  
128. et tandem Societatis Iesu theologum, quae  
et alium eius nominis Franciscum in album  
suum retulit, qui ordinis sui generalatum ges-  
sit, postquam diu philosophiam et theologiam

docuerat. Caelius Piccolomineus autem cardi-  
nalem collegio adscriptus est. Alios tacemus.  
p) THVANOVS ad an. 1578. TEISSIER Eloges  
T. III. p. 158 seq.  
q) In Museo p. 83. 115.  
r) Elog. P. I. p. 209.  
s) Theatr. vir. erud. P. I. p. 86.  
f) Dict. T. III. art. Piccolomini p. 712. 713.  
ff) GHILINI loc. cit.  
t) Ad an. 1518. FREHER Theatr. p. 1474. TEIS-  
SIER Elog. T. III. p. 158. BAYLE l. c.

dit, eodem scriptore, Aristotele suo, hoc est, a se diuersis explicationibus illustrato recognoscendo falleret. Addit his historicus: multa eum, quem ita offendissent, de studiis suis disseruisse, eorumque se demum in ea aetate dulcissimum fructum capere dixisse, aliis oblectamentis deficientibus, quibus aliae aetates innocenter et citra offensam gaudere possent. Maxime vero ideo Alexander memorabilis est, quod primus fuit, qui in vernacula Peripatetice philosophari ausus est. Plerique enim libri eius, quos GHILTVS recenset, lingua Italica scripti sunt. Id quod valde quidem displicet IMPERIALI <sup>u</sup>, rato, ita et philosophiam et linguam Latinam in contentum adduci, recte vero laudauit TRAIANVS BOCCALINVS <sup>v</sup>, qui multo saepe sui temporis mores perfricuit, quod hanc consuetudinem improbaret. Scripsit plurima vir diligentissimus et elegantissime doctus, inter quae est *Philosophia moralis* vernacula scripta. Latino autem sermone *Paraphrasin in mechanicas quaestiones Aristotelis*, et *Commentarium de certitudine mathematicarum disciplinarum* edidit: quo utroque nomine valde eum laudat G. I. VOSSIVS <sup>w</sup>, et *Philosophum plane eximium vocat, tum ob ingenium et industriam, tum quia feliciter adeo mathefin et philosophiam coniunxerit, et in utraque excelluerit*. Sunt quoque qui ei versionem commentarii ALEXANDRI APHRODISAEI in *Libros meteororum* tribuunt. Obiter autem hoc quoque loco notandum, edito libro de *Emendatione temporum*, siue de calendario, quod vocant, reformando, quem iussu Francisci Medices magni Hetruriae ducis scripsit, praeclarum sibi nomen comparauisse <sup>x</sup>.

§. XIX. Alter ex Piccolomineorum gente, qui philosophiam Peripateticam doctrina sua nobilitauit, fuit FRANCISCVS PICCOLOMINEVS, itidem Senensis <sup>y</sup>. Natus is est anno M DXX, et in ipsa pueritia praeclaram indolem ingeniumque praecox demonstrauit. Absolutis humanitatis studiis philosophiae se tradidit, Marcum Antonium Zimaram <sup>z</sup>, philosophum et medicum celeberrimum praeceptorem nactus,

Franciscus  
Piccolomi-  
naeus.

C c 3

ex

u) In Museo loc. cit.  
v) Relat. ex Parnasso Cent. I. Rel. 73. p. m. 312.  
w) De Scient. math. c. XLIX. §. 21. p. 302.  
x) IMPERIALIS l. c.  
y) IMPERIALIS, TOMASSINI, BAYLE II. cc.  
z) Fuit is Medicus et philosophus magni nominis, qui vero Aristotelis physiologiam ad magiam more seculi XVI transtulit. Cuius testis esse potest Antrum eius magico-medicum, liber rarissimus, in quo, ut habet titulus, „totius tractationis, et generis philosophandi, quod adhibuit, luculentus interpretes arcanorum magico-physicorum, sigillorum, signaturarum et imaginum magicarum, secundum Dei nomina et constellationes astrorum, cum signatura planetarum constitutorum et et curationum magneticarum et characteristarum ad omnes corporis humani affectus curandos thesaurus locupletissimus, nouus, reconditus, cui medica-

„menta etiam varia chymica ex mineralibus et „vegetabilibus conficiendi methodus, tractatus „item de rebus, quae humano corpori eximiam, „et venustam formam inducunt; de variis etiam „metallorum et mineralium praeparationibus et „experimentis plurimis tractatio subiungitur. „Accessit motus perpetui mechanici absque vilo „aquae vel ponderis adminiculo conficiendi do- „cumentum“. Francos. 1625. 8. Eiusdem quo- „que fursuris pars altera est, in qua „Arcana na- „turae, sympathiae et antipathiae rerum in „plantis etc. omniumque corporis humani mor- „borum, imprimis podagrae, hydrophis, pestis, „epidemiae et cancri exulcerati cura Hermeti- „ca, specifica, characteristica et magnetica con- „tinentur. Accesserunt portae intelligentiarum „et canones Hermetici de spiritu, anima et cor- „pore maioris et minoris mundi“. Franc. 1626 8. ex hoc vngue cognosce leonem.

ex cuius institutione ita profecit, vt licet vix adolescentiam efflet egressus, probantibus et plaudentibus cunctis rationalem in patria docere au-deret, id quod TOMASSINI <sup>a</sup> testimonio constat, quamuis id taceat IMPERIALIS <sup>b</sup>, qui narrat, annos natum viginti quinque Maceratam abi-isse, ibique tantum eruditionis eius opinionem valuisse, vt primarium philosophiae publice docendae munus ipsi crederetur. Quod cum per annum gessisset, tanta eius inde per Italiam fama dimanauit, vt in nobil-ius theatrum vocatus, occasionem vires doctrinae suae latius explicandi nancisceretur, tradita ei apud Perusinos cathedra philosophica, quam quo-que ita per decennium, quo ei praefuit, ornauit, vt anno MDLX ad Pa-tauinam philosophiae professionem extraordinariam, et quadriennio post ad ordinariam senatus Veneti iudicio inuitaretur, cui primario docendi muneri mille et quadringentorum aureorum stipendio summa cum laude praefuit. Cum autem ad moralem et ciuilem philosophiam industriam suam traduxisset, et praeterea tum prudentia, tum eloquentia plurimum valeret, aliquoties legatus reipublicae ad principes Italiae missus est, vnde magni ad eum honores et reditus amplissimi confluerunt <sup>c</sup>. In ea vero academia cum collega Iacobo Zabarella eum haud raro digladiatum, cum argumentorum ponderibus interdum esset inferior, dicendi disputandique volubilitate superiorem discessisse, supra iam narrauimus. Dabimus ipsa verba IMPERIALIS, quoniam characterem philosophi luculenter expri-munt: *Vtitur, ita scribit, Piccolomineus oratione quidem expedita, graui, et illaborata, ceterum sententiarum nexu frequentior, quam forte conueniat, excurrit enim vero, nec in conclusionibus haeret, no-uis at subinde doctrinae cumulis vrget, vt libanda potius quam gustan-da propositorum veritas offerri videatur.* Quae si cum Zabarella char-actere supra delineato comparentur, facile intelligitur, cur lentorem eius in disputationibus vicerit Piccolomineus, caussa interdum inferior. Disputatum autem praecipue inter celeberrimos philosophos est, de philosophia qui-dem morali, verum non de argumento ethico sed methodo; de qua in morali philosophia adhibenda in *uniuersa de Moribus philosophia* <sup>d</sup> Pic-colomineus differuerat; quam tractationem aggressus Zabarella, qui in rationali philosophia plurimum valebat, Piccolomineo apologiam extor-sit, quam titulo: *Comes politicus aduersus Iacobum Zabarellam* euulga-uit. Summa controuersiae, quam P. BAYLE <sup>e</sup> tetigit quidem, non vero exposuit, haec est: Statuit Piccolomineus, ethicam tradendam esse methodo synthetica, nempe progrediendo a simplicioribus ad composita magis, a principiis caussisque ad conclusiones, a mediis ad finem; cuius rationem ex Aristotele defumfit, quo auctore hic artis naturam imitantis ordo esset, vt progrediendo a simplicissimis ad composita opera construat sua. Regessit huic hypothese Zabarella, niti eam falso fundamento; alium enim

a) loc. cit. p. 208.

b) loc. cit. p. 114.

c) Citati, et ex his FAKHERVS in Theatro P. 1493.

d) Adiecta tractatione de Methodo, vid. BAY-LE l. c. nota H.

e) loc. cit.

enim esse ordinem naturae rerumque ipsarum, alium doctrinae et cognitionis nostrae, vtrumque autem a Piccolomineo confundi. Nec cognoscere hominem ea via, qua natura res producit, sed inuersa; indeque Aristotelem distinguere inter id, quod natura prius est, et quod a nobis; monuisseque prudenter, incipiendum esse ab iis, quae notiora nobis sunt, vndeque in *Nicomachicis* ordinem resolutionis adhibuisse, explicito primo fine, qui in actionibus rationem principii habet: semperque cognitus fit atque velut defectus scopus definiatur; illique subiectum introducere per media etc. Ex quo breui conspectu huius controuersiae patet, mere eam Peripateticam fuisse, cum ratiocinatio omnis eo tendat, qua via in habitu practico, si secundum Aristotelem philosophandum, incedendum sit. Rem enim ipsam si spectes, non minori commodo, via ista compositionis in argumento morali vti nos posse, vna iuris naturalis constitutio satis euincit; hucque respexisse videtur Piccolomineus, qui cum tam superstitiose, quam a Zabarella factum, Aristoteli non inhaereret, sed Platonem quoque confuleret, qui *συμπερικατὰ* in libris *de Republica* et *de Legibus* raro processit; vellet autem doctrinam moralem ampliori fundo donare, ab Aristotele sibi recedendum esse putauit. Quod ferre non potuit Zabarella, ratus methodologiam Aristotelicam omnes alias eius generis longe superare. Verum haec *ὡς ἐν προόδῳ*; iam ad ipsum Piccolomineum reuerſi, id imprimis notandum de eo est, illum syncretismum inter Aristotelem et Platonem nouo consilio suscepisse, eo quod crederet, in primariis doctrinae capitibus verum inter vtrumque philosophum dissensum haud esse; reliqua vero aut ferri aut emendari facile posse. TOMASSINI ea de re verba haec sunt: *Platonicam disciplinam fere collapsam et legendo et scribendo in integrum restituere conatus est, illud imprimis enitens, vt Platonem cum Aristotele in pluribus conciliaret.* IMPERIALIS autem, eum, ait, *pluribus honoribus auctum amoenissima Platonis philosophia vacare coepisse, quam etiam commentariis exornare suscepit, ipsum namque dicere solitum esse, Platonis et Aristotelis philosophiam duos quasi oculos humani animi, aciem intellectus dirigere, quorum alterutro si quis careat, Cyclopum instar in hac rerum vniuersitate labatur, necesse esse, sed communia fata praeclaros hosce eius conatus intercidisse.* His potissimum laboribus occupatus, cum LIII. annos professorium axioma gessisset, vt vult TOMASSINI relatio, (quem hoc loco magis audiendum esse putamus, quam IMPERIALEM, tradentem viginti tantum annos Patauii docuisse <sup>f</sup>) vrgentibus senii incommodis muneri se abdicauit, et quod reliquum vitae erat, in otio literario traduxit, oculorum acie tam feliciter vsus, vt octogenario maior

f) Vid. BAYLE, l. c. nota D. Cum enim ante vigesimum quintum aetatis annum iam philosophiam docere coeperit, impossibile est, eum viginti tantum annos Patauinae cathedrae praefuisse, quod vult Imperialis. Si vero ponamus,

25 annos natum Macetarae docere coepisse, et 78 aetatis anno publicum docendi munus deposuisse, recte omnia cohaerent. Tomassinum sequitur GHILINI Theatr. P. I. p. 62.

maior sine Chrystallo cuncta legere posset. Obiitque quarto supra octogesimo aetatis anno in patria anno salutis reparatae MDCIV, tanto ciuium suorum luctu, vt ex testimonio IMPERIALIS, insolito ciuium squalore iustitio, lachrymis funus eius efferretur: in eo vno infelix, quod discordiam inter filios moestissimus pater sanare nullo remedio potuerit. Scripsit *Commentarium in libros Aristotelis de coelo, de ortu et interitu et de anima*; itemque *systema philosophiae naturalis et moralis*. Illud hoc titulo prodiit: *Naturae totius vniuersi scientia perfecta et philosophica, quinque partibus absoluta*. Quam Piccolominei doctrinam naturalem oppugnandam sibi sumsit NICOLAUS TAVRELLVS, philosophus Altdorfinus <sup>g</sup>, scriptis libris duobus *de Coelo*, et duobus aliis *de Mundo*. Is enim, quamuis eum faciat maximi, fatetur tamen *obscurum eum esse, neque satis pure et perspicue; quid sentiat exponere, vt in rebus philosophicis eum oporteat non mediocriter esse versatum, qui ex eius philosophia fructum velit aliquem percipere*. Id quod in alterius libri praefatione repetit, et ingenii et doctrinae miram illi vbertatem esse concedit, optat autem, vt purius et magis dilucide cogitata sua nobis explicauisset, eo quod maiorem fructum et negotio minore studiosa philosophiae iuuentus ex meditationibus perciperet, quam is certe a veritate non raro recesserit. Vnde conqueritur, duplicem sibi laborem fuisse, tum vt ex obscura oratione, horridisque phrasibus, sententiam eius eliceret, tum vero vt vel maxime eius errores patefaceret. Id quod mirum videri queat, cum non solum ob dicendi genus apertum et dilucidum Piccolomineus laudetur, sed ob perspicuitatem quoque eius scripta, P. BAYLE <sup>h</sup> iudice, commendentur. Adeo difficile est eruditorum censuras inter se conciliasse. Opus vero moralis philosophiae hoc titulo Piccolominaeus ornauit: *Vniuersa philosophia de moribus, in decem gradus redacta*. Id tantis omnium coetuum laudibus exceptum fuisse IMPERIALIS testatur, vt nihil eo vel ad efformandos mores vtilius, vel ad rempublicam recte gerendam accommodatius, vel ad omnem bonorum malorumque notitiam suauius excogitari posse iudicatum sit. Vnde mire quoque Piccolominei labor placuit GABRIELI NAUDAEO <sup>\*</sup> quod *Artem moralem integram nobiliori quadam methodo et maiori vi ac copia spirituum tradiderit minus elato dicendi genere*. Aliter tamen HENNINGVS ARNISAEVVS <sup>i</sup>, qui cum Aristotelico praeiudicio impeditus cum plerisque Peripateticis statuatur, in artibus practicis locum methodo syntheticae esse non posse, sed resolutiuum tantum ordinem a fine ad media adhiberi posse, reprehendit in Piccolomineo, quod noua methodo ethicam tradere volens in summo tandem bono desierit. De qua sententia cum eandem cum Zabarella tibiam inflet, supra dicta nolumus repetere.

## §. XX. Ex

g) Dicemus de eo infra ex instituto.  
h) loc. cit.

\* ) Bibliograph. polit. p. m. 13.  
i) Praef. ad doctrin. politic.

§. XX. Ex celeberrima apud Florentinos, Strozzarum familia <sup>k</sup>, haud vulgare Peripateticae philosophiae fidus exortum est in CYRACO STROZZA, Zachariae filio. Is cum mature honestarum artium disciplinarumque desiderio flagraret, iactis domi Graecae Latinaeque literaturae, itemque mathematicae et philosophiae fundamentis, cum potissimum architectonica delectaretur, longum iter ingressus est, et potiores Europae regiones peragravit, ea attentione, qua ad augendas doctrinae diuitias, acquirendamque experientiam rerum praestantissimarum opus erat. Ita vero collecta supellectile literaria copiosissima admirabilis profusus tum in architectonica arte, tum in philosophia euasit. <sup>l</sup> Redux itaque, cum habita disputatione in patria eruditionem probauisset, lector philosophiae, et postea Graecae linguae et philosophiae professor designatus est. Dein ex patria ad Bononiensem academiam vocatus Aristotelicam philosophiam octo annorum interuallo tanta doctrinae fama docuit, ut is iudicaretur, qui Pisanam scholam eruditione sua prae aliis egregie nobilitare posset. In eo loco viginti annis vsque ad vitae finem, quem annus ei climactericus ex calculi doloribus anno MDLXV attulit, perstitit. Vixit per totam vitam caelebs, matrimonii enim curas et familiae tumultus philosophorum meditationibus plurimum obesse, et nubeculam inducere serenitati mentis credidit <sup>m</sup>. Valde autem eum bonis omnibus commendauit vitae simplicitas et integritas, qua ab omni vanitatis et ambitionis tumore remotus, philosophiam vita exprimere, honestatemque et virtutem colere sategit. Cui cum iungeret eruditionem insolitam, et colloquiorum iucunditatem atque grauitatem, qua veteres aequabat, dici non potest, quantam illi venerationem ea res pepererit. In Peripateticae philosophiae historia eo potissimum conatu, memoriam suam commendauit, quod deperditum nonum decimumque librum *Politicorum* ARISTOTELIS ex ingenio restituere, telamque a Stagirita sumtam eodem pertexere filo ausus est. Ex quo labore magna Strozzae gloria enata est, cum et lectionis copiam, et ingenii elegantiam in eo mirifice proderet <sup>n</sup>. Neque tamen ad scopum collineasse Strozza, licet doctrinam et ingenium in ea re probauerit, visus est. Fridericus Morellius enim, qui haec supplementa Graece et Latine a Strozza edita, Gallice vertit, eum monuit, abundare ea auctoritatibus poetarum, quorum loca cumulata fatis prodant, ista non ab Aristotele esse profecta. Ad quae respondisse Strozzaum narrat MASSONIVS <sup>o</sup>, studio id se fecisse, ne ad Aristotelem auctorem referrentur. Alii et scientia et iudicandi ac dicendi facultate Aristoteli

Cyriacus  
Strozza.

k) Vid. BAYLE Dict. T. IV. Art. Strozzi p. 290 seqq.

l) PAPIR. MASSON. Elog. TEISSIER Elog. P. II. p. 228. 229. FREHER. p. 1461. Vitam quoque eius praefixam esse Tomo II. Opp. Aristote-

lis p. 461. Ed. Du Vallianae monet FABRICIVS

Bibl. Graec. Vol. II. m) THVANVS ad an. 1565.

n) Vid. laudatos TEISSIER l.c. Prodiere Florent. 1562. 1563. et in Du Valliana edit. l.c. p. 461.

o) loc. cit.

concessisse, fatentur, laudant tamen Strozze diligentiam beneque de Aristotele merendi studium. Inde moderatum GABRIELIS NÁV-  
DAEI <sup>p</sup> iudicium: *Quemadmodum nullus pictorum ea felicitate potuit Veneris effigiem absoluere, quae ab ipso Apelle incepta primum fuerat atque delineata, ita profecto immane quantum eum ab ipso auctore distare, quem sibi ad imitandum proposuerit: legendum tamen esse atque laudandum, quia quantum in ipso situm fuerit, rerum pretiosissimarum iacturam sarcire conatus sit, et desideriis nostris cumulum imponere.* ANT. SCAINI <sup>1</sup>, IO. ANDR. BOSII <sup>2</sup> aliorumque censuras breuitatis causa omittimus. Non confundendus autem est Cyriacus cum

Petrus Stroz-  
za.

Petro Strozza, qui et ipse tum Peripatetica philosophia, tum architectonica arte celeberrimam famam sibi acquisiuit. Is narrante IANO NICIO ERYTHRAEO <sup>3</sup> Aristotelicam philosophiam omnem, Lazaro Bonamico monstrante, didicit, eiusque arcana, cum in Graeca lingua non mediocriter esset eruditus, quam domi a Graeco quodam didicerat, accurate perspexit. His porro disciplinas mathematicas iunxit, et nec picturam, nec architecturam contempsit, inque hac ita excelluit, ut paucos haberet pares, superiorem neminem. Ita doctrinae praestantia commendatus Leoni XI, P. M. ab epistolis sanctioribus ad summos viros principes dandis ei esse iussus est; eamque prouinciam apud eius successorem Paulum V retinuit, auctis simul insigni in aede Vaticana sacerdotio. Quo tamen, sacris nondum initiatus, se abdicauit, cum pontifici minus esse gratus coepisset, eo quod in aedificando facello quodam, cuius cura illi erat commissa, quaedam pontifici displicuissent. Itaque reuersus in patriam ibique humanissime a Cosmo magno Hetrueriae duce exceptus, magno stipendio ad docendam philosophiam in gymnasio Pisano conductus est. Sed et alium ex Strozzarum gente philosophum, Io. Baptistam idem ERYTHRAEVS <sup>4</sup> enarrat, quem ait philosophicis ac theologicis doctrinis instructum, Graecis ac Latinis literis doctum, poeticaeque facultatis ita peritum fuisse, ut cum maioribus natu poetis compararetur. Hasque illam disciplinas in instituendo docendoque prudentissimum iuuentutem edocuisse, et quotidianis domi suae disputationibus exercuisse, ac faepius quod umbratili illa institutione didicissent, in puluerem et solem coegisse educere. Ingenia quoque quae fortunae culpa, ne emergerent, oppressa cerneret, suis ipsum opibus ac facultatibus, quibus affluens erat, subleuauisse, libros, vestem, cibos, habitationem omniaque ad necessarium usum illis praebendo. Ceterum oculorum vitio laborasse multos eius familiae viros, idem obseruat.

Io. Baptista  
Strozza.

§. XXI. Ex

p) Bibliograph. polit. p. 19.  
q) In quinque Qq. ad libros VIII. de Reptu-  
blica, p. 16. qui contendit, nihil Aristotelis libro-  
rum Politicorum intercidisse. Conf. FABR. L. c.

r) De Compar. prud. ciu. §. 16. p. 6.  
s) Pinacoth. II. c. 15. p. 55 seq.  
t) loc. cit. c. 2. p. 15. 16.



§. XXI. Ex Caesenatibus oriundus fuit, qui multum Lyceo recentiori aetate splendorem addidit IACOBVS MAZONIUS, cuius vitam eleganter enarravit IANVS NICIVS ERYTHRAEVS<sup>u)</sup>, ipse vero alia de se ipso retulit<sup>v)</sup>, quemadmodum nec IMPERIALIS narratio cum illa Erythraei in omnibus concordat. Is anno MDLIII natus, ab ipsa pueritia ingenium demonstravit acutum, feruidum et supra aetatis modum literis inhians. Quod cum elegantissimis doctrinis exornare vellet, Sebastiano Regulo humaniorum literarum apud Bononienses magistro erudiendus traditus est. A quo celerius, quam sperabatur, doctiorque dimissus animum ad philosophiam, reclamantibus, ut ipse ait, parentibus et amicis, adiecit, eo fine, ut et secum habitare addisceret, et sua contentus animi tranquillitate, nihil extra se ipsum quaereret. Eo itaque consilio ad Patauinum bonarum artium literarumque mercatum aduolauit, in quo eo tempore Fridericus Pendasius<sup>w)</sup> philosophiam et Guido Pancirola iuris notitiam profitebantur, magnaeque fama iuuentutem docebant. Ibi Pendasii copiosissimam, ut ipse refert, ingenii fertilitatem admiratus, eo potissimum duce ad cognoscenda philosophiae omnia mysteria se accinxit, et biennio in isto saxo voluendo occupatus est, tanta diligentia, tamque felici euentu, ut iam tum experiri vires, et collectis ex vniuerso scientiarum orbe quaestionibus ingenium publica disputatione ostentare cogitaret. Ipse sane innuit, se omnia Platonis et Aristotelis volumina nec penitus incuriose, nec plane conuiuentibus oculis eo tempore perlustrasse, valde vero sibi aduersitates Platonis et Aristotelis, Plotini et Procli, Porphyrii et Iamblichi, Alexandri et Simplicii, Auerrois et Auicennae, Thomae Scotique obfuisse, seque in iis tollendis plurimum operis, laboris temporisque consumpsisse. Ex qua eius narratione palam est, iam tum adolescentem Mazonium syncretismum eum fouisse, quem deinde late demonstravit. Sed et mathematicarum artium praecepta philosophiae iunxit, nec a philosophiae et theologiae Scholasticae dumetis absterri se passus est, ut non illicognoscendae operam collocaret suam. Ita vix duodeviginti anno natus<sup>x)</sup>, tanta eruditionis praestantia inclaruit, ut, cum ab Archangelo Mercenario philosopho medicoque Patauino<sup>y)</sup> oppugnaretur Pendasius, teste ERYTHRAEO, licet multi se eius propugnatores futuros pollicerentur, non tamen alteri, quam Mazonio defensionem suam committendam statueret. Duodeuigesimo aetatis anno domum reuersus est, quod iter studiorum in Helicone Patauino abrumpere eum coegit repentinus Baptistae parentis interitus. Valde eam mortem studiorum suorum quietem concussisse, sublato, qui sibi vnus otia fecisset, quanta cuperet, conqueritur<sup>z)</sup>. Successit enim facultatum tenuitas, ad quam eum et patrimonii cum aliis fratribus diuisio, et ipsa studia intem-

*Jacobus Mazonius.*

D d 2

pestiuo

u) Pinacothec. I. p. 65 seqq.  
v) In Praef. vitae aetnae.  
w) Docuit is, Mantuam patriam agnoscens, Patauii circa annum 1570. Peripateticam philo-

sophiam, ediditque Censuram auscultationis physicae. x) ERYTHRAEVS I. c.  
y) Vid. MURCRL. Linden. RENOU. P. I. p. 87.  
z) loc. cit.

pestiuo diuitiarum contemptu redegerunt. Inuenit tamen inter tristissima nubila redeuntem solem in Francisco Maria, Metaurensium duce, qui eum in familiae suae obsequia retulit, eaque liberalitate fouit, vt res eius supra vota succedere inciperent. In ea quoque aula cum doctissimis viris, quos ducis illius literis fauentissimi munificentia alebat, conuersatus, studiis suis immensas copias addidit, et cum abundaret Caesena, tanquam honestarum disciplinarum asyllum, viris multiuigae et multifariae doctrinae, (inter quos valde extollit Alexandrum Martinellum, et Iosephum Gottofredum) eorum auctoritate succenturiatus, doctrinaque valde confirmatus fuit. Quod itaque consilium in Patauina academia conceperat, exsequendum ratus, principis sui aulae ob otium philosophicum valedixit, amicorumque eruditorum opera consilioque adiutus, *de triplici hominum vita actiua nempe, contemplatiua, et religiosa tribus methodis* conscriptis, *Quaestiones centum et nonaginta septem supra quinque milia* <sup>a</sup>, publice disputandas Bononiae proposuit anno salutis MDLXXVII, iuuenis annorum fere viginti <sup>b</sup>. Editus est iustae magnitudinis liber eodem anno approbante sancto inquisitionis Officio <sup>c</sup> Caesena, forma, quam vocant, quarta <sup>d</sup>, et per omnem pene disciplinarum ambitum latissime excurrit. Quem cum rarissime inuenire liceat <sup>e</sup>, pauca ex eo pace lectoris, enarrabimus, vt quam sibi eo tempore philosophiam finxerit Mazonius, intelligi possit. Omnem vero scientiarum orbem, in vitam actiuam, contemplatiuam et religiosam diuidit; et in prima quidem parte ethicam initio considerat, quidque virtus sit, quid felicitas, allatis variis opinionibus edisserit; hisque politicam subiungit, et de ciuitatis constitutione, de militia et magistratu, de poesi, de rebus publicis veterum, de rege, de sacerdotio, de saltatione, de tragoedia, comoedia, satyra, vrbis area, munitione et similibus collectanea sua et distinctiones affert. Tum oeconomicam explicat, de agricultura, de aucupio, deque munere domini, filiique, patris, matris, mariti, vxoris feruique de foeneratione, piscatione, venatoria praecipit. Dein legalem facultatem, id est, legislatoriam, quam philosophiae moralis magiam quandam vocat, considerat, et explicitis philosophorum opinionibus de legibus, veram de legibus sententiam adstruit. Simili tractatione in vita contemplatiua versatur, expositaque eius natura, grammaticam, logicam, dialecticam, rhetoricam, philosophiae diuisiones, et mathematicas disciplinas, arithmeticam, supputatricem, algebram, musicam, geometriam, stereometriam, geodesiam, prospectiuam, picturam porro, statuariam, astrologiam, gnomonicam, mechanicam; deinde physicam, et metaphysicam considerandas exponit,

a) Errant itaque Imperialis et Freherus, qui 5190 ponunt.

b) Hoc ex praefatione colligitur, octodecim enim annos natus Patauio discessit, et annum fere vnum post moram in aula ducis istam disputationem suscepit, annos natus circiter viginti.

Falsus itaque est Imperialis, qui ei 27. annos tribuit.

c) Ita tamen, vt nullo pacto conclusiones pertinentes ad aeternitatem animorum possint disputari.

d) Anno 1577.

e) Debemus eum liberalitati celeberrimi I. I. ZIMMERMANNI.

exponit, et tum omnis ferme aetatis philosophorum opiniones affert, tum varias ex iis quaestiones cumulat, easque miro inter se connubio iungere, tollereque dissenfum et contradictionem satagit. Et hac quoque methodo vitam religiosam contemplatur, ad quam tamen tractationem omnem trahit idololatriae veritarumque artium considerationem, et religionis quoque Hebraeae et Muhammedanae ad demonstrandam religionis Christianae veritatem momenta varia: tum haeresium et errorum philosophicorum cumulum adiicit. Et hoc quidem pacto infinitum pene argumentum incredibili labore exhaurire satagit. In qua Mazonii tractatione, fatendum quidem est, eum vastam lectionem, et ingenii copiam supra iuuenilem aetatem longe excurrentem ostendisse. Verum, ut praematura plerumque solent, fecit iudicii lectionis copia suffocati defectus, et ineptum male cohaerentia conciliandi studium, ut nihil tanto conatu dignum referret, veterum opiniones confunderet, distinctiones afferret praeter rem excogitatas, et nec pleno tractandi modo, nec decenti ordine rem exponeret. Quamuis enim iuuenili ambitione se concordiam inter Platonem et Aristotelem, Stoicos et Peripateticos, Cyrenaicos et Peripateticos, et omnis fere aetatis philosophos, ne Thoma quidem Scotoque exceptis ostendisse gloriatur, et omnibus fere paginis syncretismum inter academiam et Lyceum introducat, lecto tamen libro fatis obscure et confuse scripto succurrit nobis illud HORATII:

*Quid dignum praestet tanto promissor hiatu?  
Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.*

Patienter itaque raritatem huius libri ferimus, eoque, nisi sponte occurrat, facile caremus. Condonanda tamen haec sunt iuueni nondum annis maturo, fatendumque, si prolixam lectionis copiam solam consideres, verisimile esse, quod ERYTHRAEVS refert, cum hoc specimen edidisset, qui illum noscent, exhorruisse, qui vero suo ex ingenio ceteros existiment, cachinnos extulisse. Sed ut ad historiam Mazonii reuertamur, ingentem assertionum et distinctionum harum numerum cum in Bononiensis scholae frequentia publica disputatione ventilandum proposuisset, responsum, exorata venia, tulit, fas esse nemini disciplinarum doctoribus literarium bellum indicere, nisi cui philosophorum theologorumque libros publice interpretandi facultas esset concessa. Doctoris itaque axioma et facultatem expetiit, et cum sex tantum menses in theologiae studio se triuisse assereret, impudentiam eius et audaciam mirante Cyrillo Seruita; qui tum studiis illis praeerat, periculum ut de se fieret, rogavit, et examine quoque suscepto, ita in iis quaestionibus, quae ad sacras et philosophicas disciplinas pertinebant, doctus inuentus est, ut doctoris ei locus, ac nomen omnium calculo tribueretur. Ita locum in cathedra occupans per quadriduum, ad omnia quae ponerentur in percontando, (verba ERYTHRAEI iterum damus) homo abundanti doctrina copiose respondit

ex tempore ; nullam rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnauit, quam non euerterit. In quo ab ingenio, quod foecundissimum habebat, et a memoria, quam vastissimam alebat, admodum adiutus est. Si enim fides ERYTHRAEO, nihil vsquam consignatum est literis, quod non legisset, nihil legit, quod comprehensum memoria non continuit; vnde tanquam ex promptuario aliquo, cum esset opus, singula proferret, et suo quaeque loco collocaret. Inde factum esse, idem asserit, vt in disputationibus, cum auctoritatibus decertandum esset, integras ex sanctorum patrum, Platonis, Aristotelis, aliorumque doctorum hominum libris paginas ita memoriter referret, vt ne vnam quidem syllabam peccaret. Ita vero dum mirum in modum incrementa caperet, quam viri eruditi de eius doctrina fouebant, opinio, non summis solummodo viris commendatus est, qui amicitia illum sua sunt dignati, sed et rerumpublicarum in Italia principes et moderatores ad Scholas eum suas certatim vocarunt, vt docendi munus subiret. Et, si IMPERIALIS quidem audiendus, Romae primum, tum Maceratae, et dein per decennium Pisis, docuit, tandemque gymnasio Ferrariensi moderator datus est. Aliter tamen eius munera publica ordinanda esse, suadet ERYTHRAEI narratio, ex qua constat, Petrum cardinalem Aldobrandinum, qui tum potiebatur, tandem a Ferdinando Hetruriae duce impetrauisse, vt Romam mitteretur, ibique cardinali carissimum, et officiis beneficiisque omnibus ornatum, mille aureorum stipendio conductum fuisse, vt Aristotelis de philosophia libros in gymnasio Romano extra ordinem interpretaretur: ab eo autem principe iustum se Ferrariam sequi, illuc cum eo abiisse. Quae melius cohaerent, quam Imperialis narratio. Quia tamen hic refert, eum occasione anni iubilaei Romam venisse, conciliari vtriusque biographi relatio ita potest, vt dicamus, primo quidem Mazonium priuatim Romam abiisse, indeque commendata eius doctrina Mediceae genti, quae summo studio viros doctos eo tempore complectebatur, Pisanae academiae doctorem datum, et tum demum Romam ab Aldobrandino cardinali vocatum ibique docentem in Ferrariense gymnasium translatum fuisse. Tanta autem huius purpurati patris aduersus Mazonium gratia fuit, vt et sua illi consilia crediderit, et eum solum ex familia sibi conuiuiam abduxerit, et occasiones ei sexcentas exhibuerit, summa cum nominis et eruditionis laude doctrinae latifundia pandendi. Cuius exemplum esse potest, quod inter coenam cum Iacobo Critonio <sup>f</sup> philosopho Scoto, cuius praecocis inge-

f) Iacobus Critonius filius Roberti, ex regia Stuartia gente apud Scotos prognatus, inter ingenia praecocia referendus est. Annos enim natus viginti et vnum duodecim linguas doctus, in theologia, philosophia, mathesi et humaniori disciplina exercitatissimum demonstrauit animum, et magnam lectionis copiam in scriptoribus sacris et profanis ostendit, ita vt de omni

scibili disputare auderet, immo versibus quoque ex tempore suis responderet. Patriae vero tumultus pertimescens ad Veneros abiit, et in academia Patauina magna celebritate aliquandiu vixit. Venetiis quoque theses publice ventilandas proposuit, et ad certamen omnes eruditos prouocauit. Et tum factum, vt cum instinctu quorundam nobilium Critonius cum Mazonio coena-

ingenii tum erat summa existimatio, telis philosophicis congruens victor abierit. Valde vero et heri sui gratia, et qui inde conseqebatur, principum virorum fauor Mazonio damnosus, tandemque exitiosus fuit, mortem enim illi accelerauit. Nam cum parce admodum ac tenuiter usus esset cibo atque potione, eaque perpetua eius consuetudo fuisset, Romam abductus inter aulae plausus, et prandia opipara, cum plus se cibis vinoque ingurgitare cogere, quam Stomachi vires ferre possent, tandem lethalem ex cruditate Stomachi morbum contraxit <sup>g</sup>. Cardinalem enim Ferrariam ad bellum proficiscentem secutus, vel, ut habet IMPERIALIS, illuc ab eo copiis pontificiis praefecto missus, ut Ferrariam reciperet a Venetis, et ab his ob prudenter rem gestam torque aureo ornatus, academiae moderator datus est, at exitiali morbo, quem erysipelatem fuisse ille tradit, stomachi vero inflammationi adscribere videtur Erythraeus correptus, obiit: praedixitque magnus Hetruriae dux cum eum Aldobrandini precibus expugnatus dimitteret, vereri se, ne tempestiua aulae ipsi blandientis conuiuia frugalissimum sibi virum eripiant, auditoque eius obitu exclamasse dicitur: verum euenisse, quod ipsi praesagiuerit animus, importunos eius admiratores non antea quieturos, quam ipsi vitam ademissent. Et ita quidem vix quinquagenarius anno MDCIII obiit. Quamuis autem Peripateticam philosophiam publice docuerit, inter syncretistas tamen, id est, conciliatores inter Aristotelem et Platonem numerandus est. Tribuitque illi IMPERIALIS librum *de Consensu Aristotelis et Platonis*, id quod ERYTHRAEVS confirmat, narrans: *Postremo post multas orationes a se editas anno, antequam excesserit ex vita, egregium volumen emisisse, in quo doctissime eruditissimeque concluderet, Platonis et Aristotelis inuenta, ab vno eodemque sapientiae iugo, veluti plura ex vno capite flumina deriuari, atque defluere, ac propterea mire inter se conuenire, congruereque.* Quod si verum est, nec confunditur ab his auctoribus liber supra recensitus, qui totus in eo vertitur, ut hanc inter Platonem et Aristotelem concordiam demonstraret; intelligenda sunt eius in *Aristotelem et Platonis vniuersam philosophiam praeludia*, Venetiis viuo auctore MDXCVII edita, in quibus, teste MORHOFIO <sup>h</sup>, similiter demonstrat, Platonis Aristotelisque principia ex vno eodemque fonte hausta esse. Illud vero conciliationis inter vtrumque philosophum studium, eum cum Francisco Patricio commisit. Cum enim Dantis poetae patrocinium contra Castrauillam editis duobus voluminibus suscepisset Mazonius, in quibus enata occasione Franciscum Patricium reprehendebat, eo quod acerbe illum in Aristotelem inuehere ferre non posset, edi-

to

coenaret, ambo inter se committerentur. Cum autem Critonius multa, sed superficialia eruditione turgeret, Mazonius subactam haberet rerum notitiam, facile Critonius ab eo superatus est, ita ut se ex instituto literis operam non dare fateretur. Quo nomine eum contempsit BAIL-

LET. de Pueris praecoc. c. 34. p. 107. quamuis mire eum laudauerit Scaliger, Scaligeran. p. 58. Mantuae demum a Vincentio, Gonzagae ducis filio, noctu gladio confossus periit, annos natus 22.

g) ERYTHRAEVS l. c.

h) Polyhist. T. II. L. I. c. II. §. 19. p. 59.

to is libro se aduersus Mazonium defendit. Quod ita Mazonium exasperauit, vt nouo scripto plurimorum eum errorum fati acerbe postularret. Quod cum edita responsione negauisset Patricius, demonstrando non in his, quae obiiciebantur, locis se esse lapsum, non quieuit Mazonius, sed contentiosius controuersiae ferram reciprocauit, non quieturus, nisi Patricius scribendi finem fecisset <sup>l</sup>.

*Hubertus  
Gifanius.*

§. XXII. Inter Belgas praeter artis criticae peritiam philosophiae quoque Peripateticae laude inclaruit, HVBERTVS GIFANIVS <sup>k</sup>, iureconsultus, ille enim de ethica et politica Aristotelis haud parum meruisse visus est. Fuit is Burensis ex Geldria <sup>l</sup>, natus anno MDXXXIV, ex Gifaniorum <sup>m</sup> familia haud ignobili, quae Romanae ecclesiae communioni haecenus adhaeserat. Literarum elegantiorum atque philosophiae et iurisprudentiae praecepta hausit in scholis Louanienfi, Parisienfi et Aurelianenfi, in qua postrema honores in iurisprudentia summos consecutus est, et de gente quoque Germana in ea academia libris impallescens eo nomine meruit, quod bibliothecae in eius vsus colligendae initium fecerit. Ita absoluto studiorum cursu cum legato Gallico in Italiam profectus est; et redux Argentorati sedem fixit. In quo bonarum artium emporio cum iuris doctrinam traderet, adeo commendata est eius eruditio, vt initio quidem ethices et politices professio ei demandaretur, dein autem institutiones publice docere iuberetur; ex quo constat, eum desertis Romanis coetibus ad Protestantium partes transiuisse. Adeo vero fama doctrinae eius inualuerat, vt cum thori sibi fociam deligeret <sup>n</sup>, non cunctaretur Io. Marbachius, primarius tum theologiae apud Argentoratenses professor, virque magnis in ecclesiam meritis conspicuus, filiam illi suam elocare. Argentorato Altdorfium vocatus est anno MDLXXXIII, ad suscipiendam professoris iuris spartam, in qua ornanda eandem famam atque religionem obtinuit <sup>o</sup>. Cum autem in academiam Angelopolitanam vocaretur lautis conditionibus iuris interpretandi munus subiturus, religionis Protestantium tesseram deseruit, et ad Romanensium castra defecit. Qua mutatione vxorem quoque pristinae religionis professioni inhaerentem a se dimisit, quae tantum inde dolorem concepit, vt aegritudine confecta praematura morte obiret, eo quod mariti perfidiae ferendae impar esset: Haec enim et testium fide dignorum assertis et historiae vitae Gifanii circumstantiis melius consonant, quam quae SCALIGER <sup>p</sup> tradit, eum ideo vxorem dimisisse, ne familiam alere in aula Caesarea cogeretur. In eam autem ob famam eruditionis praecipue in iurisprudentia, cum in ea Cuiacio haud inferior existimaretur <sup>q</sup>, a Rudolpho II. vocatus,

i) ERYTHRAEVS l.c.

k) Alii, Obertus Giphanius scribunt.

l) VALERIVS ANDREAS Biblioth. Belg. p. 587. SWERTIVS Athen. Belg. p. 703.

m) Vocabatur a Giffen.

n) Conf. B. IO. ESCHTIVS in Appar. ad epistolas Marbachianas s. supplemento ad H. E. fec. XVI. TEISSIER, Eloges T. IV. p. 468.

o) Vid. Vitae professorum iuris Altdorfinorum.

p) Scaligerana fec. p. m. 94.

q) IO. STRAVCHIUS de Beryto c. 4. §. II.

catus, imperatori a Consiliis et epistolis esse iussus est, quo loco septuagenario maior Id. Quint. anno MDCIV <sup>r</sup>, vel vt alii volunt <sup>s</sup>, MDCIX, obiit: quamvis hi non magnopere fidem mereantur <sup>t</sup>. Celebratissima vero fuit Gifanii eruditio, tum ob iuris peritiam, tum ob elegantiores literas et philologiam, tum ob philosophiam Aristotelicam, cuius famae illius celebratissimae testimonia cum collegerint THOMAS POPE - BLOUNT <sup>u</sup> et ANTONIVS TEISSIERIVS <sup>x</sup>, eos lectori adeundos esse monemus, vt, quantus ille vir fuerit, inde discatur. Nobis sufficit vnus MORHOFII <sup>y</sup> iudicium adduxisse, cui *heros audit inter iureconsultos Romanos qui doctrinam multiplicem, multarumque linguarum peritiam, ad iuris scientiam attulit.* Tacemus SCIOPII <sup>z</sup> sententiam, qua eum *iurisconsultorum nostri temporis principem* salutatur. Nobis hoc loco maxime memorandus est, ob eximios commentarios *in libros Ethicos et Politicos* Aristotelis, in quibus textum emendauit, paraphrasi illustrauit, et non sine insigni veteris eruditionis cumulo verum exponere sensum conatus est. Quamuis enim in iis elegantiam et perspicuitatem desiderauerit HERM. CONRINGIVS <sup>a</sup>, recte tamen illi notatum, vltimam iis manum Gifanium admouere non potuisse. Ast hac, vt sunt humana omnia, labecula non obstante Gifanii lucubrationes in hos Aristotelis libros, omnium instar haberi posse, iudicauit GABRIEL NAVDAEVUS <sup>b</sup>. Alia eruditorum, quae idem affirmant testimonia breuitatis causa praetermittimus <sup>c</sup>. Dolemus itaque, Gifanium, cum veteris doctrinae haud mediocrem sibi notitiam acquisiuisset, in Lucretio, quem magno labore illustrandum sumserat, ad philologiam artemque criticam, quam ad philosophiam, respicere maluisse, eiusque obseruationes magis grammaticas esse, quam philosophicas, quo nomine eius diligentia displicuit recentiori Lucretii interpreti THOMAE CREECH, qui contemtim de hoc eius labore iudicat. Turpem vero illius famae maculam inussit fordities, qua impulsus, cum quinque et viginti millium coronatorum aureorum censu polleret, in subtegalanea tamen cella hospitauerit, liberisque feruorum instar vsus sit <sup>d</sup>. Nihil vero adeo existimationem eius optimis literarum decoribus partam adeo commaculauit, quam haud iniusta plagii suspicio, quod crimen magna, vt ferunt impudentia commissum ei obiecerunt seculi XVI critici. Dabimus THV-

ANI

r) THVANVS L. CXXXI. ad an. 1604.  
 s) VAL. ANDREAS et SVERTIVS l. c.  
 t) Id ex citato Scaligeranorum loco demonstrari potest. Ibi enim narratur, Iesuitam ei morienti aduuisse, plurimamque eius scripta surripuisse, Romamque abiisse. Scaliger autem in eunte anno 1609. ipse morte ereptus est rebus humanis. Conf. BAYLE Dict. T. II. art. Gifanius, not. A. p. 548.  
 u) Censur. cel. auct. p. 838.

x) loc. cit.  
 y) Polyhist. T. III. L. VI. sect. 7. §. 9. p. 586.  
 z) Comm. in Priapeia p. 2.  
 a) Introd. in Polit. Arist. c. IX. p. 648. „Versio Politicorum Aristotelis, saepe non satis polita, saepe ambigui sensus interdum non vna, sed duplex etc.“  
 b) Bibliographia Politica p. m. 16.  
 c) Vid. MICH. PICCART. Isagog. in Lect. Arist. c. 21. §. 22. n. 209.  
 d) Scaligerana l. c.

ANI<sup>e</sup> verba, haec narrantis. *Fruterius* (cuius historiam ipse tangit, illustratam a TEISSIERIO <sup>f</sup>) in puriore literatura cum excelleret, et iam multa commentatus esset, properata morte praepeditus, omnia ea Gifanii iudicio atque fidei commisit, qui pari fide minime vsus creditur, vixque lite a Iano Doufa mota exorari potuit, vt paucula, quae ex tanta iactura velut ex magno naufragio exiguae tabulae supererant, sint publica. Hinc graues irae et contumeliae in Gifanium, a Doufa, Gifelino, et qui laboribus eum suis spoliassent in Lucretio emendando conquestus est <sup>g</sup>; Dionysio Lambino profectae, de quibus tamen furtis Gifanii literariis hoc loco, cum a nostro scopo aliena sint, plura dicere non licet, videndi autem, qui pleraque enarrant, SCALIGER <sup>h</sup>, IAC. THOMASIVS <sup>i</sup> et PETRVS BAYLE <sup>k</sup>. Memorabile vero, scelus scelere pensatum esse, et eandem quam ipse commisit culpam, in eum admisisse, qui eius amicitia utebatur, Gasparem Scioppium. Cum enim Gifanius ex bibliotheca Bessarionis, quae apud Venetos asseruatur, Symmachi codicem msc. furto sustulisset, illum autem, vt viris doctis concederet, nemo ab eo impetrare posset, Scioppii artificio clam substractus est, et festinata comparatione cum editis, meliora surrepta et ab eo vulgata sunt; id quod occasionem dedit Scaligero <sup>l</sup>, Scioppium amare traducendi, qui se tamen non violasse fidem, sed superasse inuidiam Gifanii contendit <sup>m</sup>, qua de re alibi latius dicendum.

*Julius Pacius.*

§. XXIII. Inter iureconsultos quoque de Aristotele, et praecipue de eius organo praeclara praedicantur merita IVLII PACII, Vicentini, non minus eruditionis praestantissimae, quam vitae varietate memorabilis. Parentibus natus <sup>n</sup> Paulo Pacio et Lucretia Angioletta anno MDL, V. Non. April. maiores habuit auitis nobilitatis decoribus insignes a quibus Berigae cognomen a vicino praedio gentis suae accepit <sup>o</sup>. In pueritia praematura egregiae indolis et ingenii studiis aptissimi specimina edidit, ita vt nec eius acumen, nec fertilitatem desiderarent, qui animo eius literis formando adhibebantur. Cuius specimen esse potest, quod in pueritia mira quadam facilitate linguas Latinam, Graecam, Hebraicam et artes mathematicas didicerit, vixque tredecim annos natus libellum ediderit *de Arithmetica*. Vt itaque diligenti cultura foecundus ager iactis literarum feminibus coleretur, cum fratre Fabio, cuius postea celeberrimum inter medicos nomen extitit <sup>p</sup>, Patavium missus est, vt philosophiam iurisque

pru-

- e) Lib. XXXVIII. ad an. 1566.  
 f) Elog. T. II. p. 285.  
 g) Vid. Praef. in Lucretium.  
 h) In Epist. ad Scipionem Gentilem, inter Gudianas App. n. 25. p. 356.  
 i) De Plagio n. 445. p. 196.  
 k) loc. cit. not. C.  
 l) Vel quisquis est auctor mordacis satyrae. Vita et parentes Gasp. Scioppii p. 145.  
 m) In Amphot. Scioppianis sub OFORINI

- GRUBINI nomine editis, p. 130. vnde locum excerptit BAYLE l.c. not. E. quem vide.  
 n) TOMASSINI Elog. et ex eo FREHERVS Theatr. p. 1069. LAVR. CRASSO Elog. hom. literat. P. II. p. 86.  
 o) Ita ipse in carmine de vita sua apud citatos: *Pacis ubi et Berigae nostrae cognomina gentis; Clara per innumeros inueniantur avos.*  
 p) Partu septimestri editus est anno 1547. humaniores literas, philosophiam et medicinam supra



prudentiam disceret, id quod a praestantissimi ingenii iuvene, praecceptore Iacobo Zabarella viam muniente; ita factum est, ut omnes, quotquot sibi prodesse nouerat libros legendo deuoraret. Ita vero factum, ut, comitante virtutem et doctrinam inuidia, cum domum esset reuersus, valde suspecta esset eius eruditio, indignante episcopo Vicentino, quod prohibitorum librorum lectione cognitionem literarum augere ausus fuisset. Et carcerem non euitasset, nisi iniusti furoris tela mature praeuifa declinando ad Heluetios clam aufugisset, trans Alpes securiores latebras quaesiturus. Ibi docendae iuuentuti operam locauit suam, tanta praestantissimae eruditionis commendatione, ut ibi publicum ei docendi munus crederetur. Posita itaque eo loco fortunarum suarum sede matrimonium haud infoecundum iniiit. Neque tamen eo in munere manere illum passa est, quae ubique de doctrinae eius elegantia disseminata est, fama, quae, cum plurimum eum in Aristotelis philosophia valere dicitasset, in Heidelbergensem academiam vocatus est, ut organon Aristotelis doceret, licet omnem postea Lycei doctrinam in illa schola tradiderit. Vita tamen transultatoria delectatus haerere illo in loco diu noluit, sed vocatus in Pannoniam ad explicandas leges illuc concessit, ibique duobus fere lustris iuris scientiam explicuit. Tum ad academiam recens Sedani fundatam a duce Bulloniensi vocatus, eo quoque in loco dialecticam Aristotelis exposuit. Belli tamen tumultibus paulo post omnia miscentibus, Sedano securitatis causa in Heluetiam iterum concessit. Et ex his terris vocatus ad Nemaufenses, deinde Montempessulanum, professionem iuris regiam nactus est. Ibi magno eruditorum Moecenati Nicolao Claudio Peirescio innotescens, cum se magno viro excellentissimi ingenii dotes et elegantissima eruditio commendauisset, Aquas Sextias vocatus est, ut et magno viro praefens esset, et iuuentuti docendo prodesset. Facile tamen Valentina, quae post haec ei oblata est vocatio illum ad mutationes erebriores valde prouum permouit, ut illuc concederet. Et in ista quidem palaestra tanta gloria defudauit, ut eum Lugdunensis Batauorum, et Pisana quoque ac Patauina academia ad suscipiendum professoris munus inuitarent. Repudiatis vero istis vocationibus Patauium abiit, quo eum allexit senatus Veneti munificentia, qui et equitis S. Marci dignitate et stipendio mille ducentorumque coronatorum eum auxit, filiumque praeterea Iacobum professorem iuris ciuilibus esse iussit. Climate tamen Patauino sanitati Pacii inimico, Valentiam rediit, ubi honestissima mercede conductus ad mortem vsque perdurauit; qua humanis rebus ereptus est anno MDCXXXV, quinque supra octoginta annos natus. Ita qui inconstantis nomen in vita me-

## E e 2

ruit,

supra modum calluit, et patriam alienis vocationibus praetulit. Obiit anno 1614. IV Id. Oct. annos natus 67. vid. TOMASSIN. l. c. FREHER, l. c. p. 1333.

q) Vid. Praef. ad Organon Aristotelis. Ab hoc studium artis rationalis didicit.

r) Tacet haec Tomassinus, forte ne episcopi mores improbare cogeret. Verum autem esse hi Pacii versus probant:

*Tum fatum iniusti fugientem tela furoris  
Detulit ad finca eerra Lemanna, tuos.*

s) Apud Io. FABRICIUM Hist. Bibl. suae T. III.

ruit, fixam apud manes sedem figere coactus est. Egregie autem de dialectica Aristotelica Pacius meruit, quam non editis modo *Institutionibus logicis; Rudimentis logicis, et Disputationibus logicis* illustravit, sed imprimis accurata et eleganti editione scriptorum Aristotelis dialecticorum, quae *Organon* dici solent, adiuuit, in qua textum ad fidem codicum Msc. emendavit, adiectisque in margine observationibus luculentis, obscuris locis medelam attulit. Cuius Organi editio prima, qua nos utimur, Graeco-Latina, Morgii anno MDLXXXIV et XCII prodit, altera emendatior et auctior apud Wecheli haeredes Francof. an. MDXCVIII lucem vidit<sup>u</sup>. In id vero connisus est Pacius, ut quem usum dialecticae Aristotelis in aliis disciplinis, maxime in iuris scientia habeat, ostenderet. Neque tamen a reliquis philosophiae Peripateticae partibus abstinuit. Debemus enim Pacio *Libros de coelo et de anima* Graece et Latine, *Physicorum libros octo*, Graece et Latine cum commentario; itemque *Doctrinae Peripateticae Tomos tres*, nempe logicum, physicum, politicum. In quibus cum et magnam Aristotelicae philosophiae peritiam ostenderit, et perspicuitatem valde sectatus fuerit, meruit, ut inter optimos Lycei recentioris philosophos numeraretur.

Andreas  
Caesalpinus.

§. XXIV. Alio nomine tituloque, quam, quos haecenus recensuimus, ob Peripateticam philosophiam memorari merentur ANDREAS CAESALPINUS et CAESAR CREMONINUS, quorum uterque impietatis Aristotelicae suspectus factus, accusatusque est, quod diuinis veritatibus impios Stagiritae errores praetulerit. De Caesalpino autem tenues sunt, quae inter acta literaria occurrunt memoriae<sup>x</sup>. Aretinus is fuit natus anno MDXIX, et post humaniorum literarum studia philosophiae Peripateticae et arti salutari totum se tradidit, eo euentu, ut eum recentiorum primum et pene postremum cepisse, quid Aristoteles velit, SAMUEL PARCKERVS<sup>y</sup> iudicauerit. Talis cum esset, magna eius apud omnes, qui *γυναικός* secundum Aristotelem philosophari cupiebant, fuit existimatio, sic ut apud Germanos quoque summa de eius eruditione philosophica esset opinio. Videturque Caesalpinus, qui per Germaniam iter fecit inter philosophos Aristotelicos quosdam habuisse sibi amicissimos, certe Philippo Scherbio, Altdorfino philosopho, familiariter innotuit<sup>z</sup>. Hinc factum, ut plurimum eius libri commendarentur, magnique fierent opiniones eius licet *παράδοξοι*. Testem damus, qui in eum insurgere coepit NICOLAVM TAVRELLVM, qui Caesalpina dogmata conqueritur<sup>a</sup> maiore apud Germanos fuisse in pretio, quam olim apud Graecos Apollinis oracula. Cum autem tanta eruditionis fama inclaresceret, ut inter

III. p. 458. annos tantum septuaginta attingisse dicitur: quod falsum, si natus est anno 1550. quod biographi eius asserunt. t) FREHERVS l. c. u) Vid. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 109. x) Oppido pauca sunt, quae habent FREH. p. 1313. TEISS. T. IV. p. 439. BAYLE T. II. Art.

Caesalpin. p. 117. et scriptores de atheismo itemque Bibliothecarum medicarum conditores. y) De Deo disp. I. §. 24. p. 64. z) Vid. Vitae selectae, quae Vratislaviae 1711. prodierunt p. 583. conf. Epp. Richterianae p. 23. a) Praef. ad Alpas Caesias.

inter maxima ingenia numeraretur <sup>b</sup>, munera quoque splendida deesse illi nullo modo potuere. Pifis enim diu philosophiam artemque salutarem magno applausu docuit; huius autem eximia, quam possidebat, peritia eum Clementi VIII, P. M. commendauit, qui ei inter medicos suos primum locum tribuit, et sanitatis suae curam demandauit, in collegio sapientiae autem publice docere iussit <sup>c</sup>. Quo in munere occupatum mors prauehit, ereptum rebus mortalium VI Cal. Mart. anno MDCIII <sup>d</sup>, cum annum quartum supra octogefimum attigisset. In arte vero medica celeberrimum sibi tum libris doctissimis multaue eruditione refertis <sup>e</sup>, tum ea potissimum obseruatione nomen fecit, qua sanguinis circulationem ante Harueum detexisse visus est. Ita enim nobilissimus medicus <sup>f</sup>: „Idcirco „pulmo per venam arteriis similem ex dextro cordis ventriculo feruidum „hauriens sanguinem, eumque per anastomosim arteriae venali reddens, „quae in sinistrum cordis ventriculum tendit, transmissio interim aëre fri- „gido per asperae arteriae canales, qui iuxta arteriam venalem protendun- „tur, non tamen oculis communicantes, vt putauit Galenus, solo tactu „temperat. Huic sanguinis circulationi ex dextro cordis ventriculo per „pulmones in sinistrum eiusdem ventriculum optime respondent ea, quae „ex dissectione apparent. Nam duo sunt vasa in dextrum ventriculum „definentia, duo etiam in sinistrum, duorum autem vnum intromittit tan- „tum, alterum educit, membranis eo ingenio constitutis <sup>g</sup>. Quae tamen vtrum ad eripiendam Harueo hanc inuentionis gloriam sufficiant, medicorum filiis definiendum relinquimus. In philosophia non minori quidem celebritate Caesalpini eruditio inclaruit, cum autem Aristotelem presso sibi pede sequendum esse statueret, et idcirco a communi interpretum Aristotelicorum sententia recederet, physiologiam autem Peripateticam ita explicandam sibi sumeret, vt quae erronea viderentur et aduersa Christianis dogmatibus, non reselleret ipse, sed theologis confodienda relinqueret, valde inquinata Caesalpini memoria, et plerisque ante Spinozam in hoc impietatis luto haesisse visus est <sup>h</sup>. Editis enim *Quaestionibus Peripateticis* <sup>b</sup> de primariis philosophiae naturalis et transcendentalis apud Aristotelem dogmatibus ita praecepit, vt non solum Aristotelicam impietatem de Deo eiusque motione et intellectu, et de intellectu hominum vno etc. seruauisse, sed deteriora quoque, ipso Stagirita protulisse visus esset. Inde factum, vt certatim a viris summis Caesalpinus atheismi insimularetur, quibus omnibus praeiuit Taurellus, qui atroci accusatione et acerrima disputatione contra Caesalpinum editis *Alpibus Caesalpinis*

E e 3

fis

b) H. BOECLER Bibliograph. crit. p. 604.  
 c) Patiniana p. 60.  
 d) TRIVANVS ad h. a.  
 e) Vid. MERCLIN. Linden. renou. p. 40.  
 f) Qq. Perip. L. V. c. 4. p. 125. apud BAYLE  
 I. c. not. E. conf. LEIBNIZ Theodicée praef. §. II.  
 Conringiana p. 192.

g) PARKER, loc. cit. BAYLE I. c. not. C.  
 REIMMANN. Hist. atheismi S. III. c. 4. §.  
 12. p. 368. BVDDEVS Thes. de Atheismo c. 1. §. 24.  
 et de Spinocismo ante Spinozam §. 16. Anal.  
 Hist. phil. p. 337. LEIBNIZ I. c.  
 h) Venet. 1571. 1593. fol. conf. Relat. innoc.  
 1703. p. 755. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. II.  
 p. 61. BVDDEVS. Isagog. in theol. p. 264.

*sis* surrexit, et impias eius opiniones demonstrare conatus est. Dolemus nos, factam nobis copiam *Quaestionum Peripateticarum*, quas, cum Pifis doceret, Caesalpinus edidit, haud esse, ut de ipso philosophum *ἐναντι* Caesalpini nexu *αὐτότροτοι* iudicare possimus. Quoniam autem Taurelli liber, non minus rarus paucisque obuius, nobis ad manus est, dabimus, accusationis summam, fide Taurellistantes, qui in hac disputatione, in qua ipsa ubique aduerfarii verba affert, potiora dogmata, quibus in deuia se abripi et impietati praelusisse Caesalpinus visus est, retulit. Quod tamen prius quam faciamus, Lectorem monemus, ut eorum memor sit, quae de systemate Aristotelis physiologico suo loco dicta sunt. Sine iis enim tota philosophematum Caesalpini connexio intelligi non potest. Haec autem, interprete Taurello, potissimum in Caesalpino reprehendenda sunt; „quod cum magnum affectauerit nomen, et „se velit haberi Peripateticum, ab Aristotelis tamen decretis faceffat longissime, et ut fucum faciat, nescio quae Aristotelis loca perperam intellecta vel studio in alienos contorta sensus suis applicet nouis et falsis „dogmatibus; et ita libros quinque nouis compleuerit opinionibus, partim valde noxiis, partim etiam impiis. Praecipue autem monet, nequam illa ferri posse, quae de Deo et hominum animabus asserere et tueri pertinaciter Caesalpinus ausus sit: deque his Christianae fidei procuratores, quos haereticae vocant prauitatis inquisitores fuisse monendos. Caesalpini enim de animabus humanis opinionem multo magis et „absurdam et impiam esse, quam Auerrois. Quod enim hic de intellectu „assistente dixerit, hoc ad animas hominum ceterorumque animalium, et „ipfius adeo mundi totius transfulisse Caesalpinum, vnam asserentem „per se esse animam pro corporum animatorum numero multiplicatam; „cuius scilicet participatione corpora sint animata et substantiae. Quod „si quaeratur, quis sit illa anima vniuersalis; respondendum esse, Deum „eam esse Caesalpinianum, quem in tot discerpat particulas, quot in hac „rerum vniuersitate putet esse substantias. Quo posito non tam Deus „efficiens rerum causam fuerit, quam constituens. Ut vero per se est Deus, et ab omni materia separatus, vere illi dici esse vnum; at nihil nisi „se ipsum intelligere, nihil etiam curare aliud, atque ita omnem Caesalpinum Dei prouidentiam tollere. Nec ea quidem opus esse, si Deus ipsemet „sit rerum animatarum omnium substantia. Esse vero hos fructus Aristotelicae philosophiae, partim non recte intellectae, partim etiam non „emendatae; nam utroque modo peccauisse Caesalpinum: Cum enim „docuisset Aristoteles omnem rerum multitudinem a materia proficisci, „magnum hinc dogma Caesalpinum instituisse, vnicam videlicet esse substantiam incorpoream; ne vero vel corporeas faceret animas vel earum „cogeretur admittere multitudinem, has vnus illius incorporeae substantiae partes aliquas esse, professum fuisse, quae pro subiecta materia multitudine

i) Franc. 1597. 8. dicemus de Taurello infra ex instituto. Etiam hic liber rarius occurrit: vid. Ven. Vogt. Cat. libr. rar. p. 562.

„titudinis subeant rationem. Sed et in sequentibus conqueritur Taurellus, ideo quoque peccasse Caesalpinum grauius, quod non modo quae debebat, non emendauerit, sed ex iis etiam approbatis multo deteriora produxerit, tum quod recte dicta perperam intellexerit, et exposuerit. Axiomate enim Aristotelico, *Ἡ δὲ νόσις ἢ καθ' αὐτὴν τῆ καθ' αὐτὸ ἀρίστη*, quod in se optimum, id se ipsum intelligere, assumpsit Caesalpinus, ut diuinam tolleret prouidentiam, curamque rerum humanarum. Similia in phycis quoque Taurellus Caesalpino obiicit, nempe, sustulisse substantiae et accidentium discrimen; praedicamentorum usum adeo eleuasse, ut nihil haec ad demonstrationes rerumque scientias, sed ad logicas duntaxat dissertationes facere velit. Expungere quoque eum ex substantiae praedicamento differentias, et velle, ut in definitionibus differentiae ex accidentium ordinibus petantur, sic ut qualitates, actiones, passionnes, fitus et cetera non iam accidentia sint amplius, sed substantiae, in abusum tracta *ἐντελεχείας* voce, quasi hanc Aristoteles solis attribuerit substantiis: hincque rei cuiusque finem substantiam eius complere censuisse.“ Haec Taurellus, graui indignatione Caesalpino succensens, quod veritatem corrumpere, quam vindicare maluisset. Non tamen ei magnam rerum subtiliter et ingeniose inuentarum copiam et affluentiam denegat, admirandam potius eius solertiam et mentis varie excultae acumen extollit; laudat etiam, quod Caesalpinus Peripateticorum suorum barbariam, obscuritatem, contentiones, erroresque inextricabiles deploret; dolet autem, acutae mentis foecunditatem, et rerum inuentarum vbertatem, illi saepe confusionem peperisse, non adhibito tantae copiae conuenienti iudicio. Saepe enim veri speciem fraudem parere; quae etiam Caesalpinum decepisse videatur, quam plurimos ingenii sui foetus in lucem edere nimia properantem auiditate. Improbatur quoque, quod praeclaras ingenii sui dotes non ad exquirendam in rebus difficillimis veritatem potius quam ad sophisticas huiusmodi fraudes, adhibuerit. Ex quibus, quid Taurellus de impietate et *ἑρεροδοξία* Caesalpini iudicet, facile rerum intelligens capiet. Quamuis autem, quo iure haec aduersario Altdorfinus philosophus obiiciat, vix sine libri ipsius inspectione accurate definiri queat, fatemur tamen, iis in locis, quae ex Caesalpini *Qq. Peripateticis* adduxit, et propriis verbis descripsit Taurellus, confirmari nos in ea opinione, Taurellum viri boni officio non defuisse, et Caesalpino nihil, quod non reuera ab eo assertum sit, inuidia duce affinxisse: pleraque etiam, si recte considerentur, talia esse, ut a philosopho, Aristotelem presso pede sequi apud se constituto, aliter dici vix potuerint. Cuius ut lector specimen habeat, ecce quam *παρεδοξως* Caesalpinus Peripatetice statuat, *praeter animata et animatorum partes nullas esse substantias*; vel quae ipsius verba sunt: *Nullam esse substantiam praeter animae naturam*. Ex quibus error ille, quem Taurellus Pisano philosopho obiecit, fuit, *cum multitudo a materia tantum oriatur, unicam tantum in mundo esse substantiam*.

*stantiam.* Quae caussa fuit, cur vnanimi fere consensu Spinocifmum viri docti ei exprobrauerint. Quod, licet praeter fas fieri putemus, eo quod vnica Spinozae substantia alterius generis est: quam Caesalpiniana, cum haec ad solam animam pertineat, illa ad materiam quoque, cui Peripateticis rationibus vsus Caesalpinus vnitatem substantiae denegauit, fatemur tamen, haud leuiorem impietatem eam sententiam fouere, et Stoicos errores recoquere, re ipsa Deum euertentes. Verum quoque, Auerrois eum hypothesin de intellectu vno vniuersali non emendasse, sed adhuc magis corrupisse: ait enim, *Omniū animatorum animam communem quandam et vnā esse animam, quae pro varia subiectorum materia varias efficiat animatorum species.* Haec enim non ad intelligentiam infimam, sed ad supremam ipsumque Deum Caesalpinus retulit. Ita, vt eundem de vna substantia errorem in crustet, contendit, *quia actus simplicissimus ab omni materia separatus non sit quantus, impossibile esse, multitudinem recipere; vnā igitur tantum fore huiusmodi substantiam.* Recte enim hic quaerit Taurellus, vbi sunt angeli, vbi daemones? Nempe falso hoc supposito nitebatur Caesalpinus, *quod materiam non habet, vnum esse omnibus modis necesse esse, eo quod ipsius partes non sint.* Ex his sequuntur, quae Caesalpinus porro affirmat: *Primam substantiam per se quidem vnā esse, sed quia res multae sunt, quibus ipsa communicatur, multas videri: Vniuersi substantiam supra omne corpus existentem, et ab omni materia separatam pro multitudine corporum multis modis participari absque eius diuisione:* id quod absurdum est, et impium, Deum esse mundi substantiam, eamque constituere, nec tamen esse in mundo, id quod ne quidem Peripatetice dici potest. Porro, *infinitum de iis tantum posse dici, quae quanta sunt continue vel discrete, siue per se, siue per accidens: adeoque id dici proprie infinitum, quod possit esse finitum, et ob id asserendum esse, primi motoris virtutem neque finitam neque infinitam esse. Esse quoque primum motorem, intelligentiam speculatiuam, non actiuam, cuius rationem ab Aristotele petiit, quia substantiam separata ideo mouet, quoniam desideratur et appetitur; id est, intelligitur vt bonum; motionum autem naturalium actiuus intellectus esse nequeat.* Nec de primo motore aliter Caesalpinus statuit, quam Aristoteles, ait enim: *Sufficientem esse speculatiuum illum actum simplicem et perfectissimum, non alicuius gratia existentem, sed ipsummet finem omnium, vnde habent cetera et esse et viuere.* Et, si hoc verum, *speculatiuum intellectum substantiam existentem per se non alterius gratia appetibilem, ea quae apta nata sunt appetere, perficere, non agendo quippiam, aut introducendo in materiam aliquid, hoc enim laboriosum esset, sed per sui praesentiam educendo ex potentia materiae formam ad quam apta nata est.* Qua ratione Deus instar incubantis ouo gallinae esse, Taurello visus est, quae suo calore formas in ouis delitescentes educit. Rectius interna vi educere formam ex potentia, quamuis nihil

nihil ipse agat, dixeris. His similia sunt, quae porro habet: *Principium motus in patiente solum non in agente esse, quae natura dicatur vnius-cuiusque; vnam tantum esse intelligentiam, quae sit Deus, cum implicet contradictionem plures esse intelligentias, id est substantias. Vnicam hanc intelligentiam omnium rerum intelligentiam continere: esse enim tanquam mensuram omnium, ita ut ab vno multitudo descendat.* Nec meliora habet de aliis rebus, e. g. *Cum impossibile sit potentiam aliquam esse sine subiecto, impossibile etiam esse, huiuscemodi intellectum seiunctum esse ab omni materia. Quod igitur immixtus dicatur a corpore, non significare a corpore separatum esse, sed eius esse non in corpore esse; non enim corpore uti dum operatur, licet inseparabilis sit a corpore. Materiam primam esse corpus, quaecumque ex semine fiunt, eadem posse fieri sine semine; foeminam non solum materiam tribuere conceptui, sed et formam, materiam autem formam solum; animam non in singulis partibus esse, neque totam in toto, sed totam in corde &c.* Et huiusmodi quoque paradoxis ex Caesalpino Qq. Peripateticis collectis plenus est liber Taurelli, qui ea ipsis Caesalpini verbis exposuit, cuius *πεῶρον ψεύδος* fuit, non esse substantiam, nisi quod sit vnum, multitudinem autem absolute a materia tantum esse: licet haec vna substantia valde a Spinozae substantia vnica differat. Qua in assertione, et in iis, quae ex illa consequuntur Caesalpinus Aristotelem deseruit, vnde notatus est G. I. VOSSIO <sup>k</sup>, quod contra Aristotelis mentem intelligentias motrices non esse per se multas, sed tantum ob coelestes sphaeras statuerit: qua ratione ipso Aristotele deterior omnem in substantialibus multitudinem negavit, et ad vnam omnino substantiam sensu Stoico, vel si mauis Pythagoreo, reuocauit. Ex quibus larga manu datis, nisi nos omnia fallunt, clarissime patet, Caesalpinum rationibus Peripateticis de vno et multo vsu et fascinatum isto praeiudicio multitudinem a sola materia proficisci, omnem veritatem et ipsa principia Aristotelica nonnunquam euertisse. Et hinc summa illa doctrinae Caesalpini, quam SAMVEL PARCKERVS <sup>l</sup> *ὡς ἐν συνόψει* exhibuit, iudicanda est, qui licet detestabilem Caesalpini hypothesein esse recte putet, eumque impietati praeluxisse obseruet, et Aristotelicas quoque nugae recepisse demonstrat; tantum tamen, quantum Caesalpinus aberrauit, non attulit, cum ipso Aristotele discipulus Caesalpinus sit deterior. Et ex his intelligi potest, cur monstrosa et superba dogmata Caesalpino tribuat Ven. REIMMANNVS <sup>m</sup>, qui recte obseruat, ex Taurello impietatis eius luculentam delineari posse faciem.

## §. XXV.

k) De Orig. et progressu idololatriae L. II. c. 4. p. m. 531.

l) loc. cit.

m) Hist. Atheismi p. 369.

Caesar Cremoninus;

§. XXV. Eiusdem commatis fuit CAESAR CREMONINVS, editus in lucem Centi, oppido in ducatu Mutinensi sito, anno MDL. Quantis is a natura ingenii dotibus auctus fuerit, quam egregie maturis eruditionis fructibus profecerit, inde argumentum capi potest, quod Ferrariae in aula ducis Atinensis gratiosus fuerit, et annorum viginti atque vnius iuuenis meruerit eo in loco cathedrae philosophicae praefici. Quam spartam non obstante iuuentute ita septendecim annis ornauit, vt summa eruditionis eius esset existimatio, et fama eius passim per Italiam innotesceret. Quae causa fuit patribus patriae apud Venetos, vt Patainae eum scholae doctorem deligerent, collegamque adiungerent Francisco Piccolomineo, qui satis functo in professionis, quam vocant, primariae honore et axiomate successit. Magna autem inter honestarum disciplinarum studiosos, quos illa schola alebat, fuit de eo opinio, qui vt ab eius ore velut a diuino quodam eloquio pendebant, ita magno studio applausuque eum audiebant. Vnde factum, vt, quas, discipulis suis dictauerat, lectiones, maxime fierent; contrarium libris eius eueniret, quos in officinis profantes euiluisse testatur IMPERIALIS his verbis: „Illud nobis mirandum, quod elaborata ipsius opera typis excusa in officinis haecenus euilescunt, scripta vero Peripati more discipulis ab ipso deambulante dictata sic excellunt, vt nihil ad arcana philosophiae detegenda perfectius ac suauius desiderari possit“. In qua narratione, obscura causa P. BAYLIO<sup>o</sup> visa est, cur dictata Cremonini exasciatis schediasmatibus praelata sint. Nobis vt haud insolens esse videtur, magis a iuuentute studiofa extolli praeceptoris dictata, licet haud raro *αὐροσχηδίων* effusa, quam libros cum cura elaboratos, quod quotidie in academiis fieri, norunt, qui mores earum intelligunt; ita causam eam fuisse verisimile est, quod in his dictatis luculenter atque perspicue mentem Aristotelis Cremoninus exposuerit, in scriptis autem typis editis vel ob affectatam eruditionem, vel ob obscurius cautiusque exposita Lycei dogmata difficulter intelligi potuerit, ideoque etiam illa neglecta sint et euiluerint. Summo enim loco ponebat Aristotelem, et ab eius placitis discedere religioni sibi ducebat, contemnebat autem iuniores Peripateticos, quos probe nouerat multoties veram Aristotelis mentem euertisse, et nec sensus eius affectos esse, nec ab iis ornandis, comendis, pingendis et in alienam sententiam detorquendis sibi temperauisse. Vnde ad ipsum Aristotelem auditores ducere, vel ex interpretibus vnum commendare Alexandrum Aphrodisaeum, quam turba commentatorum discipulos obruere, et veram doctrinam Peripateticam illis inuidere maluit. Ita vero factum, vt cum magna esset doctrinae eius praestantia, et famae claritas, summis is quoque principibusque viris esset carissimus, sic vt reges quoque eius imaginem velut viri clarissimi secum habere praecoptarent, et in rebus arduis magnique momenti

n) IMPERIALIS in Museo p. 173. CRASSO Elog. T. II. p. 124. FRÉHER. Theatr. p. 1525.  
o) Diß. T. II. art. Cremonin. not. B. p. 224.



menti eius consiliis vterentur. Gaudebat enim acie mentis summa, ingenio vero versatili et in inueniendis rationibus mediisque foecundo, cui iungebat morum suauitatem et humanitatem supra modum iucundam, quae se facile animis insinuabat: vnde euenit, vt, licet superficialiam tantummodo in colloquiis eruditionem prae se ferret, eo quod ad differendi magis iucunditatem et elegantiam, quam ad eruditionis ostentationem in iis respiciebat, gratissima tamen et exoptatissima esset, quibuscumque illa obtigerat, eius conuersatio. His, teste NAUDAEO<sup>p</sup>, accessit, et forma corporis decora atque elegans, quae valde eum commendabat, et splendor, quem in vita, vestibus familiaeque, affectabat, cum ex stipendio lautissimo sumtus ad eam rem abunde suppeterent. Et cum more gentis suae simulare egregie nouisset, tanto consensu mores eius probati sunt, vt et iuuentus, quae se literis dederat, illius potissimum partes sequeretur, et qui illi aduersabantur, parum contra eum valerent<sup>q</sup>. Ita quadraginta annorum spatio cum innumeros in Patauino gymnasio discipulos habuisset, peste tandem octogenarius anno MDCXXX obiit. Reliquit doctrinae, quam summam alebat Peripateticae specimen, praeter alia minoris momenti scripta, librum *de Paedia Aristotelis*<sup>r</sup>, et *Diatyposin vniuersae naturalis Aristotelicae philosophiae*; itemque *Apologiam de calido innato et semine pro Aristotele aduersus Galenum*, cui aliam quoque *Dictorum Aristotelis de Origine et principatu membrorum* opposuit<sup>s</sup>. Memorantur etiam eius *Illustres contemplationes de Anima*<sup>t</sup>, liberque *de Efficacia in mundum sublunarem*; et tractatus tres *de Sensibus externis, de Internis, et de Facultate appetitiua*<sup>u</sup>. Porro Disputatio *de Coelo, cum Apologia dictorum Aristotelis de Via lactea, et facie in orbe lunae*<sup>x</sup>, et alia *de Formis quatuor simplicium, quae elementa vocantur &c.* In his quidem scriptis eruditionem atque Peripateticam doctrinam abunde probauit meruitque inter insignes philosophos et primis iure accensendos numerari<sup>y</sup>: valde vero eruditionis eius fama impietatis suspicione commaculata est, eo quod Aristotelem nimis presse sequendo, de motore primo sibi tantum intento suaeque sphaerae affixo, de intelligentiis sphaerarum motricibus, de prouidentia sublunarium et similibus, et imprimis de immortalitate animae, quam stare non posse saluo systemate Peripatetico dudum Alexander Aphrodisaeus Cremonino summopere dilectus tradidit, ea praeceperit, quae religionis Christianae decreta funditus euertunt. Haec se quidem velut Peripatetice tantum statuere monuit, nec se ideo reiicere Christiana dogmata, more philosophorum Italicorum, qui ex Lyceo familia affirmauerunt, professus est: vnde nonnullis<sup>z</sup> occasio

F f 2 enata

p) Naudaena p. 55.  
 q) IMPERIALIS l. c. Naudaena l. c.  
 r) Valde eam laudat MORHOFIVS Polyhist. T. II. L. I. c. II. p. 62.  
 s) MERCKLIN. Linden. renou. p. 135.  
 t) Vid. Cl. STOLIVS Introd. in Hist.

Lit. P. II. cap. I. §. 83. pag. 395.  
 u) Cat. Bibl. Thuanae T. II. p. 32 seqq. ed. Paris.  
 x) Cat. Bibl. Augustanae p. 459. 614.  
 y) BOECLER. Bibliograph. Crit. p. 605.  
 z) Enumerat eos REIMANNVS Hist. Atheismi S. III. c. 4. §. 14. p. 372.

enata est, ab impietatis macula Cremoninum absoluendi, inter quos, valde dolemus, nobis PAGANI GAUDENTII *Diatribam historicam*<sup>a</sup> de Caesare Cremonino, Iulio Pacio et Ioanne Barclatio vitam haud esse, ex qua sine dubio clari viri res literariae valde videntur illustrari posse. Alii autem qui Cremoninum vel nouerunt vel audiuerunt, et qua diligentia ista Aristotelis placita iuuentuti inculcauerit, audiuerunt, is visus est, qui Christianae fidei excusationem dicis tantum causa adhibuisset. Quorum loca cum indicauerit diligentissimus REIMMANNVS<sup>b</sup>, eum exscribere nolumus. Quamuis autem difficile esse videatur, deficiente nobis scriptorum Cremonini omnium copia, quorum pauca vidimus, eo quod neglecta, tandem, vt fieri solet, in plerisque bibliothecis euauerint, de genuina eius sententia pronuntiare, veroque non sit absimile, eum in lectionibus magis suis, quam in libris vulgatis ista Peripatetica dogmata, quae suspecta sunt, disseminauisse: fatendum tamen, si probabilem rationationem sequi licet, et vera sunt, quae de illo tradunt, qui philosophum audiuerunt et cognouerunt<sup>c</sup>, ab omni eum suspitione liberare vix posse. Nam non modo Imperialis atque Crassus, sed Naudaeus quoque testantur, fuisse eum sine religione, et haud obscure apud amicos interioris admissionis impiam de ea sententiam suam prodidisse, quamuis externam pietatem simulauerit. Quos tantum ei sine veritate opprobrium obiecit, cum causam calumniandi non habuerint, verisimile haud est: nosse vero facile potuerunt, quae illi mens insederit, praecipue cum Naudaeus eius consuetudine usus fuerit. Et quis, quaeso, ignorat, vt inter omnes pro dolor gentes! ita imprimis inter Italos, maxime inter eos, qui Peripateticismo ex animo addicti fuerunt, eam, quae Cremonino tribui solet, apud impietatis cultores regulam inualuisse: *Intus vt libet, foris vt moris est?* Id cum de Pomponatio, de Portio, de Caesalpino supra demonstratum sit, eadem ex causa clanculum placita Lycei Christianis decretis opponentibus, cur non, quem in eodem luto Peripatetico haerentem videmus Cremoninum, eandem quoque viam tenere probabile sit? Valde vero hanc verisimilitudinem auget, quod Cremoninus Aristotelem eiusque genuinum interpretem Alexandrum tanta fidelitate secutus sit, vt eos intus et in cute nouisse iudicatus, ideoque Aristotelis genius vocatus sit<sup>d</sup>. Inde enim recte inferitur, ab Aristotelica, quam physiologia Lycei infert, impietate eum non recessisse, et nec emendauisse Aristotelem, nec accommodauisse, vt alii fecerunt ad dogmata Christiana. Quamuis autem se, hanc Aristotelis doctrinam, tanquam philosophum modo admittere, et ecclesiae iudicio subicere, exque eius decreto falsam esse falsus sit; faciunt tamen et insignis quam in ea inculcanda adhibuit industria, et prodita apud eos, qui eum nouerunt, simulatio, vt ad euitanda tantum inquisitionis tela ita statuisse merito videatur. Hanc enim elabendi rimam ser-

uaue-

a) Adiuncta est libro De euulgatis Arcanis. Libri autem plerique Gaudentii rariiores sunt, licet accuratam eruditionem non vbique referant.

b) loc. cit.

c) Talis Naudaeus fuit.

d) Citati.

tauerunt, quotquot in Italia impietatem Aristotelicae philosophiae profumma sapientia habuerunt. Quod si verum est, quod nonnemo tradit; docuisse eum: coelum esse agens vniuersale, animamque calidum innatum, quorum vtrumque ex Peripatetico systemate fluit, facile inde allata coniectura confirmari potest.

§. XXVI. Fuere hi philosophi velut stellae primae magnitudinis in coelo Peripatetico; neque tamen hi omnes sunt, quos ex Romanae ecclesiae addictis commendauit Aristotelica doctrina, sed et alii praestantissimam in eo philosophiae genere eruditionem comprobauerunt, quas breui delineatione, quam instituti nostri limites postulant, recensere. Inter hos primum locum damus FRANCISCO VICOMERCATO, qui et Vimercatus dicitur. Is gente patricia s' apud Mediolanenses natus in Papiensi schola philosophiam, artes mathematicas et salutarem didicit, maturusque eruditione et meritis summos in arte medica honores consecutus est. Tum ad exercendam cui se deuouerat, artem sanandi in patriam redux, faustis auib' praxin medicam suscepit, tanta ob felicem curationum euentum fama, vt ad suscipiendum archiatri munus apud matrem Francisci I regis, et subeundum simul professoris publici munus ad Parisienses vocaretur. Quo axiomate auctus non sanitatem modo regiam consiliis tueri, sed lectionibus quoque publicis et scriptis disciplinas, maxime philosophicas, iuuare annis est. Huic enim, quam in Gallia fecit morae, commentarios debemus, quos in Aristotelis scripta philosophica edidit<sup>e</sup>, nempe *Comm. in libros Metaphysicorum, cum versione eorundem e Graeco in Latinum, Comm. in Meteorologica, cum versione Latina, et in Libros de Anima*<sup>b</sup>. Edidit quoque *de Principiis rerum naturalium libros tres*<sup>i</sup>, et *de Anima rationali Peripateticam disceptationem*<sup>k</sup>. Ex Gallia vero ob magnam eruditionem in Taurinensem vocatus et consiliarii intimi axiomate a Sabaudiae duce ornatus est. Discipulum is habuit LVDOVICVM SEPTALIVM, antiqua et generosa profapia apud Mediolanenses anno MDLII, vt obseruatum BARTH. CVRTIO<sup>l</sup>, prognatum. Alii III Cal. Mart. anno MDL in lucem editum esse asserunt<sup>m</sup>. Cum inter maiores magni nominis summaeque celebritatis iureconsultos numeraret, eorum exemplo vehementer ad comparanda sibi eruditionis ornamenta accensus est. Mediolani autem literarum elegantiorum et philosophiae rudimentis apud Iesuitas haustis in Papiensem academiam abiit, ibique Philelpho Amaltheo philosophiam, Paulo Cigalino medicam artem explicantibus auditorem se exhibuit acutum et industrium, Amal-

*Alii Peripatetici clari.*

*Franciscus Vicomercatus.*

*Ludovicus Septalius.*

F f 3 theo

e) Nouantiqua, p. 435.  
f) Vid. BART. CVRTIVS Notit. Script. Mediolanens. medica eruditione clarorum P. II. p. 70.  
g) Valde eos laudat MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. II. p. 57.  
h) Editi sunt Venetiis 1564 seqq. vid. Cat. Bibl. Thuanae P. II. p. 21. Bibl. August. p. 590.

i) Marburg. 1604. Vid. Cat. Bibl. Aug. p. 378.  
k) Extat ea in Collectione dissertationum de hominis perfectione, animo et ortu, Marburg. 1590. edita.  
l) loc. cit. p. 137.  
m) GHILINI Theatr. P. I. p. 151. CRASSO Elog. P. II. p. 279. ФЕХНЕР. Theatr. p. 1364.

theo vero Taurinum vocato ab Octauiani Ferrarii ore pependit, annūque vix natus vnum supra viginti doctoris honores consecutus est, tantique eius eruditio valuit, vt fati concedente Cigalino ei in cathedra successor datus sit. Exacto autem in eo munere quadriennio illud depofuit, et in patriam reuerfus arti medicae exercendae se tradidit eo successu, vt plurimis experientia eius ad salutem sanitatemque prodesset<sup>n</sup>. Horas autem subciliaf, cum varia et eleganti doctrina polleret, scribendis libris tribuit. Inter ea versio quoque est librorum Hippocratis, *de Aëribus, aquis et locis*<sup>o</sup>, itemque commentarius in *Problemata Aristotelis*<sup>o</sup>, et scripta nonnulla medica alibi enarranda<sup>q</sup>. His vero meritis tantam sibi nominis celebritatem conciliauit, vt ab aula regis Hispaniarum scribendae historiae destinaretur, quod tamen munus declinauit, patriumque solum alienis terris praetulit. In illo vero anno aetatis LIII, professor moralis et ciuiliſ philosophiae in Canobiana schola designatus est, quo in amplissimo munere constitutus artem tamen medicam exercere, consiliisque suis aegris prodesse perrexit. Et huic quidem muneri debemus elegantem pariter atque rarissimum librum *de Ratione instituendae et gubernandae familiae*: quemadmodum scriptorum quoque medicorum et consiliorum viris principibus exhibitum fama vbique locorum, vbi honos erat literis inclaruit. Inde factum, vt ad Ingolstadiensem, Florentinam, Bononiensem et Patauinam cathedram, et ad hanc quidem insigni stipendio promisso inuitaretur. Quas vocaciones tamen omnes respuit patriamque scholam et urbem illis praetulit, cum quod numerosam familiam aleret, tum quod Mediolanum affatim et honoris et opum illi exhiberet. Anno MDCXXXVIII ab Hispaniae rege ducatus Mediolanensis protophyſicus generalis designatus est: quae prouincia vt honoribus eum auxit, ita vitae adduxit periculum. Anno enim sequente inualeſcente lue pestifera dum miseris auxilia affert, ipse illa labe corripitur, quam cum artis suae praesidio a se depulisset, vis tamen mali omnis expelli non potuit. Apoplexia enim tactus linguae vſum valde imminutum ſenſit, a quo tamen malo liberatus diarrhoea quadriennio post prid. Id. Sept. <sup>s</sup> an. MDCXXXIII rebus humanis ſenex ereptus est, relictis filiis<sup>r</sup> eruditionis et famae paternae haeredibus<sup>u</sup>. Praeter scripta supra iam enarrata de philosophia quoque Peripatetica editis *Libris duobus Analyticarum et Animasticarum dissertationum; Libris porro octo Politicorum*, vernacula vulgatis; *Commentario in Politicam* et

n) Citati, CVRTIVS l. c.

o) CVRT. l. c. Cat. Thuan. P. II. p. 140. Cat. Aug. p. 348.

p) Prodiit Hanou. 1602. fol. Lugd. 1632. fol. eum „vberrimum et locupletissimum. multa rerum varietate referrum, et variis disquisitionibus disputationibusque phyſicis instructum“ vocat MORHOF. Polyhiſt. T. II. p. 58.

q) Vid. MERKLIN. Linden. renou. p. 768.

r) De eo ita NAVDAEVS Bibliograph. Polit. p. 17. „Vnus nostro tempore Ludouicus Septilius, medicus Mediolanenſis, gloriam omnem

„retulit, quae ex eiusmodi tractatione sperari poterat, edito pereleganti libro de re familiarum, in quo ita minime ac diligenter cuncta prosequitur, vt telum ferre ſemper ad intima penetraret.“ Plura de libro rarissimo paucisque viſo dabit Cel. SCHELHORNIUS Amoenit. H. E. T. I. p. 936 ſeqq. qui de Septalio quoque multa, vt ſolet, erudite atulit. Prodiit liber Mediolan. 1626. 8.

s) XIV. Cal. Sept. habet CVRTIVS l. c.

t) Habuit filios ſuperſtites ſeptem.

u) CVRTIVS l. c.

et moralem philosophiam Aristotelis, et Discussionibus Peripateticis insigniter meruit; dignus visus MORHOFIO <sup>x</sup>, quem maximi nominis philosophum appellaret.

§. XXVII. Ferrariensem inter Italos cathedram eruditione Peripatetica nobilitavit ANTONIVS MONTECATINVS, eo in loco anno MDXXXVI natus. Qui cum et doctrinae elegantiam et prudentiae alacritatem Alphonso II, duci Ferrariensi, probauisset, magnis ab eo rebus adhibitus, et ad legationes quoque obeundas aliquoties delectus est. Qua occasione talem se praestitit, vt hero suo consilia operamque fideliter demonstrauisse iudicaretur. Inde factum, vt et vrbi Regii regendae praeficeretur, et non semel vniuersam ditionem consiliarius produx administraret, et Ferrariae quoque tribunatum gereret <sup>y</sup>, denatus anno aetatis LXIII, reparatae salutis MDXCIX <sup>z</sup>. Auxit is Peripateticam philosophiam commentationibus in *Libros octo Physicorum*, et *tres libros Politicorum priores* <sup>a</sup>, itemque in *tres libros de Anima*. Has non scholliis modo et quaestionibus amplificauit, sed et digressiones in Auerroem adiunxit <sup>b</sup>. Neque vero ita Aristoteli se deuouit, vt non Platoni quoque illustrando operam tribueret suam. Eius enim *Rempublicam partitionibus et paraphrasi* explicuit, similemque laborem *libris de Legibus et Epimenidi* praestitit, cui *Collectionem legum quinque rerumpublicarum veterum* <sup>c</sup> addidit. Neque tamen in Platone commentariis exponendo aequae felix fuisse visus est, quam in Aristotele illustrando. NAVDAEO enim iudice <sup>d</sup>, libros de Republica Platonis, et Aristotelis diexodicis notis tabulis, distinctionibus explicare conatus nunquam neque sibi, neque lectori suo satisfecit. Cui plus tribuimus, quam BOECLERO <sup>e</sup>, qui opera Montecatini omnia egregia esse pronunciat. Verona Lyceo dedit IOANNEM FRANCISCVM BVRANAM, qui ex disciplina Hieronymi Bagolini prodiit, qui circa annum MDXXVII, in Bononiensi academia logicam Aristotelis, non sine laude docuit, notus quoque editis *Libris tribus SYRIANI PHILOXENI in Metaphysicam Aristotelis f.* Hoc praeceptore in dialecticis bellis egregie exercitatus Burana a studiosa iuuentute postulatus est, qui ipse se illis ducem in eo studio praeberet; id quod ita praestitit, vt et iudicium probaret et eruditionem, et auditoribus mire satisfaceret. Collatis enim interpretum fere omnium, Graecorum, Latinorum, Arabum commentariis, luculentam *Explicationem in libros priorum Analyticorum* conscripsit, quae perspicacissima audit

Antonius  
Montecatini-  
nus.

Io. Franciscus  
Burana.

x) Polyhist. lit. loc. cit.

y) AVGVSTIN. SVPERREVS Apparat. hominum illustrium Ferrariae ortorum p. 84.

z) BAYLE Dict. T. III. art. Montecatini, p. 412.

a) Conf. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. II. p. 57-58.

b) Ferrariae 1566. inde suppleri potest BAYLE l. c. not. B. qui annum editionis se ignorare ait.

c) Nempe Hippodamiae, Laconicae, Creticae, Carthaginensis, Atheniensis, contra quas Aristoteles in posteriori parte secundi politici disputauit, vt habet titulus.

d) Bibliograph. Polit. p. 27.

e) Bibliograph. Crit. p. 605.

f) Vener. 1558. 4. Latine, Graece enim lucem non viderunt, conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 451.

audit MORHOFIO <sup>g</sup>, vt ipse Burana optimus philofophus. Linguam autem Hebraeam ideo didicit, vt in illa Arabum interpretationes Aristotelis legere poffet: qua iuuante ad vertendam Auerrois expositionem fe accinxit. Exhibet titulum libri a Bagolino editi, eo quod Burana vltimam imponere manum labori huic non potuerit, P. BAYLE <sup>h</sup>, qui hic est: *Aristotelis priora Refolutoria, Latino fermone donata et commentariis illustrata a Ioanne Francisco Burana, adiecta Auerrois expositione in eosdem libros, cum Expositione fecundi feci de facultate propositiionum, et Auerrois in eosdem compendio eodem Burana interprete cum Annotationibus Hieronymi Bagolini.* Non vero fubstitiffe diligentiam Buranae in folis Analyticis prioribus illuftrandis, fed fimili eum industria etiam posteriora expofuiffe, ex titulo *Tomi fecundi operum Aristotelis, qui cum commentariis Auerrois prodierunt Venetiis anno MDLX* patet <sup>i</sup>. In eo enim continentur *Aristotelis posteriorum Analyticorum libri duo cum duplici textu, nempe veteri et Auerrois cum vtraque ibidem Auerrois Cordubensis expositione, media videlicet et magna, fingulo cuique textui, accommodata, Ioanne Francisco Burana interprete.* Publico vero docendae philofophiae muneri diu vacans, illud tandem depofuit, reliquamque vitam artis medicae praxi confumfit <sup>k</sup>. Floruiffe eum circa annum MDXXXIX afferunt KOENIGIVS <sup>l</sup> et COLOMESIVS <sup>m</sup>. Quod falsum effe monet defideratiffimus WOLFIUS <sup>n</sup>, eo quod commentarius in analytica priora primum Venetiis deinde Parifiis anno MDXXXIX lucem viderit, qui tamen poftumus a Bagolino, cui id negotii Burana moriens commendauerat, editus est. Verum nihil valere hanc rationem inde patet, quod ille liber Venetiis primo MDLXVII et deinde apud Wechelium Francofurti MDXCIII editus est: vnde typhothetae vitio apud PET. BAYLE, quem fecutus est Wolfius, pofitus annus M DXXXIX.

Ioannes Paulus Pernaumia.

§. XXVIII. In Patauina Mufarum fede vt diu multumque ad haec noftra tempora philofophia Aristotelica floruit, ita nunquam non illa celeberrimos eius nutriuit interpretes <sup>o</sup>. Inter eos ex medicorum ordine Aristoteli illuftrando infudauit IOANNES PAVLVS PERNVMIA, is enim ea in vrbe edidit <sup>p</sup> *Aristotelis philofophiam naturalem ordine definitiuo traditam, quod a nullo haftenus est factum.* In eadem academia fortunarum fuarum fedem pofuit IOANNES COTTVMIVS, homo Graecus, ex Borrhoea Macedonius teste DEMETRIO PROCOPIO <sup>q</sup>. Is barbariem patriae pertaefus ad Italorum fcholas diuertit, et phi-

Ioannes Cottvinius.

g) Polyhift. T. II. L. I. c. II. § 7. p. 57.

h) Dict. T. I. art. Burana. not. A. p. 708.

i) Recenfionem rari operis decem tomis conflantis vide in Cat. Bibl. Aug. ab ELIA ERINGERO confecta p. 579.

k) AND. CHIOCCVS de Collegii Veronenfis illuftribus medicis et philologis Sect. III. c. 2. et 3. qui liber recufus est in Thefauro Italico T. IX. Vol. VIII.

l) Biblioth. p. 143.

m) Ital. Orient. p. 57.

n) Ad h. l. not. d.

o) Conferenda COMMENI PAPADOPOLI Hiftoria Gymnafii Patauini.

p) 1570. fol. Vid. MORHOF. l. c. c. II. p. 57.

q) In Recenfione fuccincta eruditorum Graecorum, fuperioris et recentioris feculi §. 25. Bukarefta ad FABRIC. transmitta, et inferta Bibl. Graec. Vol. XI. p. 779. 780. Ex ea fuppleri poteft MORHOF. Polyhift. l. c. c. 14. §. 68. p. 104.

philosophiae atque medicinae studio lucubrationes suas deuouit; eo successu, vt dignus haberetur, cui philosophiae publicae docendae munus Patauii concederetur. Cui labori se parem non docendo modo iuuentum, sed editis quoque commentariis in plerosque Aristotelis libros ostendit, inter quos laudatur *Commentarius in Aristotelis libros physicos editus Patauii MDCXLVIII*, in quo potissimum commendandum, quod praemiserit operi quaestiones prooemiales, quarum primaria est historica de Aristotele; in qua, teste MORHOFIO<sup>r)</sup>, omnia adducit in laudem Aristotelis argumenta, additis etiam iis, quae in contrarium afferuntur, ita vt non patica obiecta a Francisco Patricio refutet; et ad minutias vsque in describendo Aristotele descendat. Aitque IDEM, diligentissimum eum esse auctorem in omnibus Aristotelicis examinandis, et cum Aristotelicis praecipue Graecis interpretibus conferendis. Sui autem apud Patauinos memoriam reliquit, condito suis sumtibus phrontisterio, siue schola Graecis erudiendis destinata, vt studiis inuigilare apud Italos natio domi a barbarie pressa possit. Cottunio Graeco alium ex ea gente iungimus paulo antiquiorem IASONEM DE NORES, Cyprium, Nicosiae ex nobili familia prognatum, et praeter philosophiam artis quoque poeticae cognitione celeberrimum, et controuersia cum Guarino de pretio tragi-comoediarum, quae pastorales dici solent, notissimum<sup>s)</sup>. Is tradendae philosophiae morali in academia Patauina destinatus, cui officio tredecim annis praefuit, illi humaniorum disciplinarum, maxime rhetoricae, in qua Aristotelem sibi ducem elegerat, elegantiam iunxit, scribendi quoque artificio et iucunditate, perspicuitate et ordine commendatissimus. Neque tamen ita Aristoteli addictum prodidit animum, vt non ad alios quoque veteris aevi philosophos diuerteret. Ex quo studio enata *Institutio in philosophiam Ciceronis*, liberque *de Constitutione partium humanae et ciuilibus philosophiae*. Neque omittendum, quod quem vsu in theatro publico philosophia moralis habeat, quibus legibus in eo philosophandum sit, exposuerit. Obiit moerore confectus anno MDXC. Tertium his iungimus in academia Patauina philosophum Peripateticum FORTVNIVM LICETVM, doctorem philosophiae et medicinae celeberrimum; natus is V. non. Octobr. anno MDLXXVII, in ditone Genuensi, apud Bononienfes artis salutaris et philosophiae praecepta didicit: auctisque animi diuitiis comparataque eruditione elegantissima, ad Pisanam et post hanc ad Patauinam cathedram vocatus est, quam magna quoque eruditionis fama ornauit, denatus anno MDLVI. Quanta is veneratione Aristotelem profecutus sit, ex *Apologia pro Aristotele atheismi accusato*, cuius *Tomus Primo* mentio facta, intelligi potest. In eo enim, quem *de Pietate Aristotelis* conscripsit, libro, omnes ingenii doctrinaeque neruos intendit,

*Iason de Nores.*

*Fortunius Licetus.*

r) Polyhist. liter. loc. cit.

s) Vid. THVANVS ad an. 1590. TEISSIER.

Elog. T. IV. p. 96. et quae BOCCALINVS ea de re differit Relat. ex Parnasso Cent. I. rel. 31.

dit, vt in Numinis venerationem cultumque non peccasse Aristotelem ostenderet. Quod qua veritate demonstrauerit, ex eo disci potest, quod suo loco de hoc argumento differuimus, quae heic non repetimus. Nos hoc vnum adiicimus, magnis eum rationum moliminibus egisse, vt librum *de Mundo* Aristoteli vindicaret: ita enim impietatem Peripateticam magis eludi posse probe pernoscebat. At inuita id veritate fieri, intelligent, qui ea expenderit, quae suo loco de hoc libro diximus. Scripsit multa vir πολύγραφος καὶ πολυμαθής, quorum historiam ipse libris duobus complexus est. Eorum scriptorum breuem dedit syllabum IOANNES HALLERVORDIVS<sup>c</sup>, qui videndus. Inter ea memorari meretur, quod *Allegoriam Peripateticam* inscripsit, in quo libro de imagine et sepulchro Aristotelis, quod Venetiis esse traditur, agit, nec non aenigma celeberrimum: Aelia, Laelia, Crispis, ad rationes Aristotelicas exponit, librumque de mundo Aristoteli vindicat. In reliquis, quae ad naturalem philosophiam pertinent scriptis, a systemate quidem Peripatetico discedere religioni sibi duxit, ita tamen iis vsus est, ne quam tanto conatu defendebat ὁρθόδοξον Aristotelis, euerteret. Inde magna ei nominis celebritas enata est, quam vel ex vna GABRIELIS NAVDAEI epistola<sup>a</sup> discas, in qua eum summis in coelum extollit laudibus, aliisque philosophis praefert. TOMASSINVS<sup>x</sup> autem clarissimum nostri aevi philosophum vocat, consentiente RHODIO aliisque<sup>y</sup>. Quod quo sensu verum sit, ex dictis intelligere est. Plura qui desiderat ei adeundi sunt IMPERIALIS<sup>z</sup> et LAVR. CRASSVS<sup>a</sup>.

Antonius  
Scaynus.

§. XXIX. Inter Brixienfes ANTONIVS SCAYNVS, Salodiensis memorabilis est, cum ob illustratam Peripateticam philosophiam commentariis editis; tum ob paraphrases, Aristotelis fauente Minerua lingua vernacula confectas. Edidit enim *Commentarios in libros Metaphysicorum Aristotelis; Expositionem in libros octo Physicorum*. Tum *Paraphrasin in quatuor libros Aristotelis de Prima philosophia*, itemque *in libros de Anima*, cum *Annotationibus, et in Politica*<sup>b</sup>. Quibus Scayni laboribus multum adiutum fuisse Danielem Heinsum, in edenda *Paraphrasi in politica Aristotelis*, obseruat HENR. BOECLERVS<sup>c</sup>. Accurate enim docteque mentem Aristotelis perspexit, vnde CONRINGIO<sup>d</sup>, aequissimo in his rebus iudici, *vir audit doctus et analytices peritus, iudicio graui et firmo perspicue et polite dicendi facultate pollens*. Inter Romanos autem in Peripatetica philosophia explananda industriam suam comprobauit ANTONIVS ROCCVS. Qui cum Romae, Perusiae, et Patauii disciplinarum cum humaniorum tum seueriorum fundamenta felici ingenio vsus posuisset, tandem Venetiis consedit, ibique philo-

Antonius  
Roccus.

c) Bibliotheca curiosa p. 79.

u) pag. 51.

x) De Donar. p. 32.

y) Conf. BOECLER. Bibliogr. crit. p. 609.

z) pag. 207.

a) Elog. P. I. p. 294.

b) Vid. KOENIG. Bibl. p. 730. MORHOF. T. II.

I. II. c. II. §. 27. p. 67.

c) loc. cit. p. 650. 651.

d) Conringiana p. 290.



fosophiam medio seculo XVII docuit, reiectis vocationibus, quae ad alia  
 loca eum inuitabant. Neque vero viua tantum voce philosophiae Aristo-  
 telicae pomperia dilatare sategit, sed scriptis quoque, paulo quidem, vt  
 talia solent, rarius occurrentibus. Edidit enim *in vniuersam Aristoteli-  
 cam philosophiam Exercitationes*, itemque *Commentationes in libros lo-  
 gicos et phisicos*, et *Tractatum de Immortalitate animae*<sup>e</sup>, quem pro ge-  
 nio Aristotelicae philosophiae egregium esse iudicat MORHOFIVS <sup>f</sup>. Le-  
 guntur etiam eius *Exercitationes philosophicae* et alia, de quibus viden-  
 dus PROSPER MANDOSIVS <sup>g</sup>. Eiusdem classis fuit FELIX AC-  
 COROMBONVS Eugubinus, medicinae et philosophiae laude cele-  
 bris. Is enim *Philosophiam moralem Aristotelis* commentario illustravit,  
 si BOECLERO <sup>h</sup> credendum, non contemnendo: et conscripta tractatio-  
 ne, cui titulum fecit: *Vera mens Aristotelis et dilucidissima in omnia  
 Aristotelis opera explanatio*, lucem obscuris Stagiritae locis accendere  
 sategit, librum quoque *de Controuersis inter Platonicos, Aristotelicos  
 et Galenum*, aliumque *de Fluxu et refluxu maris* vulgavit: in quibus  
 omnibus se Aristoteli pollicem premere demonstravit. Neque omitten-  
 dus hoc loco inter Peripateticos, quos Italia protulit, FRANCISCVS  
 ROBORTELLVS, Vtinenfis, quamuis is locum potissimum haud po-  
 stremum inter criticos seculi XVI mereatur. Nam non humanitatis tan-  
 tummodo literas et eloquentiam, sed philosophiam quoque, praecipue  
 moralem, Pisae et postea Luccae, Venetiis, Bononiae, Pataviique do-  
 cuit. De cuius in rem criticam et eruditionem veterem meritis, contro-  
 uersis, acerbitate, plagio, et quae alia ei obiici solent, quibus meruit a  
 SCALIGERO <sup>i</sup> *bestia magnusque corrasor* dici, hoc loco dicendum non  
 est, videndae autem censurae virorum doctorum parum Robortello ho-  
 norifica, quas collegerunt THOMAS POPE-BLOVNT <sup>k</sup> et ANTONIVS  
 TEISSIERIVS <sup>l</sup>. Tacemus eos, qui vitam eius tetigerunt, IMPERIA-  
 LEM, FREHERVM, GHILINVM, GADDIVM, libris notissimis. Ideo  
 vero nobis hoc loco memorandus est, quia Aristotelis ethicam versione  
 Latina donauit, quam quoque operam eius rhetoricae praestitit, ipse me-  
 lior orator quam philosophus. Simili fere ratione de Aristotele meruisse  
 censendus est, qui inter oratores seculi XVI eximium occupauit locum,  
 MARCVS ANTONIVS MVRETIVS, de cuius vita, quia operi-  
 bus eius praefixa est, tetigeruntque eam omnes fere, qui historiam eru-  
 ditam recentioris aevi enarrauerunt, nihil afferimus. Is vero *Commen-  
 tarium in libros X Ethicorum et Oeconomicorum Aristotelis* edidit, quo  
 ostendit, se non infeliciter versatum fuisse in Peripatetica doctrina, et  
 plura dare potuisse, si tantum, quantum arti dicendi impendit, studium  
 ei tribuisset.

Felix Acco-  
rombonus.

Franciscus  
Robortellus.

Marcus Ant.  
Muretus.

G g 2

§.XXX.

e) Vid. KOENIG. p. 676. f) I. c. c. 14. p. 107.  
g) Biblioth. Romana.  
h) loc. cit. p. 605.

i) Scaligerana secunda p. 205.  
k) pag. 693.  
l) T. II. p. 291.

Hispani Peri-  
patetici.

Io. Bapt. Men-  
lorius.

Franciscus  
Vallesius.

§. XXX. Non sola vero Italia Peripateticorum philosophorum ferax fuit, sed praeter Germanos nostros, quorum potiores in sequentibus enarrabimus, Hispania quoque et Gallia eruditionem et diligentiam in eo disciplinae genere demonstravit. Ex multis, facile apud SCHOTTVM et NIC. ANTONIVM inveniendis paucos dabimus, quos Peripateticae eruditionis celebritas extulit. Inter eos merito refertur IOANNES BAPTISTA MONLORIVS, Valentinus, canonicus Oriolanus. Is enim *Priores Analyticos Aristotelis libros* Latina veste induit, et *Paraphrasi atque scholiis illustravit*, librum quoque *de Entelesia et Vniuersalibus* edidit, in qua partes eum Realium secutum esse ait MORHOFIVS<sup>m</sup>. Superavit hunc Peripateticae doctrinae fama FRANCISCVS VALLESIVS, Couarrubianus, inter doctissimos suae gentis philosophos numerandus. Is cum se magno studio summoque ingenii acumine cognoscendis philosophiae et artis salutaris mysteriis tradidisset, praematura eruditione inclaruit. Iuuenis enim editis *Libris decem Controversiarum medicarum et philosophicarum cum libello de locis manifeste pugnantibus apud Galenum*, magnam gloriam consecutus est, viamque ita sibi paravit ad professionem regiam in academia Complutenfi, quam spartam summa diligentia et insolita ingenii claritate diu ornauit. Quibus eius in arte quoque medica meritis commotus Hispaniarum rex Philippus II, in aulam eum vocauit, salutisque atque capitis sui tutelam ei permisit, et cubiculo suo medicum praeesse magna gratia muneribusque auctum iussit. Testes autem eruditionis praestantissimae reliquit libros plurimos tum medicos, recensitos a MERCKLINO<sup>o</sup>, tum philosophicos et philologicos, de quibus videndus NICOLAVS ANTONIVS<sup>r</sup>. Commentatus enim diligenter est in diuersos libros Aristotelis, eo eruditorum iudicio, *ut doctrina quidem et excellenti iudicio praeditus visus esset, at nonnunquam structurae negligens, ut perspicuitatis curam nullam propemodum habuisse censeretur*. De qua eius obscuritate conqueritur, qui Patauii<sup>q</sup> commentarium eius in *Aristotelis librum IV Meteorologicorum* edidit, vir doctus. Maxime autem illustrem famam consecutus est, *edita Philosophia sacra, suae de iis, quae scripta sunt physice in libris sacris*, saepius recusa<sup>r</sup>. In qua cum lectionis copiam et interioris philosophiae Peripateticae cognitionem plane singularem et excellentissimam demonstrauisset, dici non potest, quanta virorum doctorum approbatione susceptus sit<sup>s</sup>, ita ut eum cum *multiplici reconditori doctrina refertum, magnoque iudicio confectum esse, et omnium pene industriam in eo argumento superare iudicauerint, tum nihil in eo temere desiderandum censuerint, nisi forte, quod opiniones suas non ubiuis satis idoneis argumentis vuniat, et quaedam*

m) T. II. I. I. c. 14. p. 104.  
n) Complut. 1564. Francof. 1582.  
o) Linden. Renou. p. 302.  
p) Bibl. Hisp. T. I. p. 375.  
q) 1591. 4.

r) Vtinam inter reulas nostras editione Lugdun. 1588. 8. cui addita LEVINI LEMNII tr. de Plantis sacris et FRANC. RVEI de Gemmis.  
s) Conf. Io. FABRICIVS Hist. Biblioth. suae T. VI. p. 408.

dam miraculose facta nimis ad naturales causas videatur reducere. Id quod tamen supposita, quam auctor sequitur philosophia Peripatetica intelligendum est; quam qui reiicit, ei quoque displicere ratiocinationes Vallesii necesse est. Laudandus tamen, quod Aristotelem in iis, quae ab eo perperam et contra veritatem Christianam dicta sunt, qualis est aeternitas mundi, deseruerit, et rationibus oppugnauerit: et commendandus quoque ob historiae philosophicae notitiam, quam passim spargit haud vulgarem. Tertium his iungimus inter Peripateticos Hispanos nobilissimum, PETRUM IOANNEM NUNNESIVM, itidem Valentinum natum anno MDXXIII. Qui eruditionis semina concepit Parisiis a praestantissimis viris Audomaro Talaeo, Petro Ramo et Iacobo Carpentario. Quibus ducibus illam linguae Graecae atque Latinae et philosophiae notitiam sibi comparavit, ut domum reuocatus felici Minerua Aristotelicam philosophiam explicare posset. Inde ad gymnasium Caesar-augustanum ad explicandos Aristotelis libros poeticos et rhetoricos, et tum teste MIRAEO <sup>s</sup> ad Barcinonenses vocatus est, ut magno stipendio conductus Graecas Latinasque literas et eloquentiam doceret. Otii tamen literarii desiderio captus, munere se abdicavit, vitaeque reliquum libris et amicis, cum eam caelibem ageret, tribuit, denatus anno MDCI, prope octogenarius. Praeter libros alios, quos enumerat ANTONIVS <sup>l</sup>, scripsit etiam *de claris Peripateticis*, *Scholia in organon Aristotelis*, *de Curriculo philosophiae Peripateticae*, siue *Institutiones philosophiae*, quibus orationem *de Obscuritate Aristotelis eiusque causis earumque remediis*, luculentam sane et doctissimam iunxit, multamque historiae librorum Aristotelis lucem accendit. De quo tamen scripto eius, cui *Vitam Aristotelis* ab Ammonio editam adiecit, suo iam loco *Tomo primo* differuimus <sup>1</sup>. Ceterum cauendum, ne cum aliis Nunnesiis et praecipue Lusitano medico, cui itidem nomen Petro fuit, confundatur. Is et ipse in mathematicis scientiis et Peripatetica philosophia doctrinam suam probavit, et commentatione *in Aristotelis problemata* famam meruit. Docuit mathefin apud Conimbricenses. Videndi de eo ANTONIVS <sup>2</sup>, TEISSIERIVS <sup>3</sup>, FREHERVS <sup>4</sup>, VOSSIVS <sup>5</sup>. Ex Gallis huiusmodi addimus Robertum Balfureum, gymnasiarcham Burdegalensem, inter celeberrimos Aristotelis interpretes a MORHOFIO <sup>6</sup> relatum. Edidit enim *Commentarios in libros Aristotelis ethicos, et logicos*.

Petrus Ioannes Nunnesius.

Robertus Balfureus.

§. XXXI. Haecenus fufe satis, quae fata genuina disciplina Peripatetica inter eruditos habuerit, qui Romanae ecclesiae symbola receperunt, explicuimus: iam eius quoque fortuna enarranda est, qua in illis coetibus gauisa est, qui ab ista ecclesia secessum facere coacti, protestantium nomi-

Germania inter Protestantes Aristotelis deuota.

G g 3 ne

f) De Script. seculi XVI. c. 133.

ff) T. II. p. 163.

g) Conf. Io. FABR. Hist. Bibl. suae T. VI. p. 4.

h) loc. cit.

v) T. III. p. 132.

w) pag. 1275.

x) De Scient. Mathem. c. 36. §. 17. p. 191.

y) loc. c. p. 104.

ne appellari solent. In quibus cum viri iudicii acumine et eruditionis laude summam famam consecuti vixerint, qui omnem fere aetatem in literis, et praecipue in philosophiae studio consumserunt, factum inde est, vt non minus momentum Peripateticae philosophiae historia inter eos habeat. Quamuis autem longe lateque in Europae regionibus restitutae lucis purioris femina sparsa sint, nostra tamen Germania, potissimam partem recepit. In qua cum in scholis publicis passim magni ingenii philosophi viuerent, Peripatetica quoque schola in hac maxime gente suos affectus habuit, et benignis fatis diu vsa est: Ast concussa quoque haud semel tandemque a Cartesiana, longe vero fortius ab eclectica philosophia eiecta est. Quam tamen Aristotelis fortunam in academiis Protestantium accurate describere, quamuis nobilis ea recentioris historiae philosophicae pars sit, a nostro instituto satis remotum est, et plenam tractationem postulat, qua hucusque caremus. Nobis scopi nostri memoribus sufficit, generali narratione summam rei tradere, eosque viros doctos recensere, qui Peripateticae disciplinae laude inclyti, hanc sectam prae aliis nobilitauerunt.

*Fortuna Aristotelis in academiis Protestantium.*

§. XXXII. Quanto feruore Scholasticam philosophiam, ipsumque Aristotelem reiecerint, eumque in ecclesia tolerandum non esse statuerint, qui emendandis doctrinae euangelicae corruptelis manus admouerunt, et quam acris imprimis Lutheri de philosophia Aristotelis censura fuerit, supra luculentis testimoniis exposuimus; ex quibus constat, Stagiritam hostem iudicatum esse diuinae veritatis, et philosophiam eius diuinae inimicam gratiae. Quamuis autem summus initio esset, quo in Aristotelem insurgere coepit virorum magnorum ardor, eo quod damna intelligerent, quae in ecclesiam inuexerat superstitiosa eius veneratio; remisit tamen, vt plerumque fieri solet, aliquantulum, et paulo mitior de philosophia Peripatetica opinio caput coepit extollere. Nec id sine ratione factum est, vel vertiginoso quodam spiritu impulsore accidit, sed rationes non contemnendae in causa fuerunt. Nempe philosophiae luce opus esse, viri optimi atque praestantissimo iudicio praediti et per se intelligebant, et ex rerum enascentium circumstantiis et ecclesiae fatis haud prorsus laetis colligebant. Cum enim pseudo-philosophiam vehementer reprehendissent, et Aristotelem a Scholasticis in throno collocatum ob tyrannidem, quae

in

z) Plenam de fortuna Aristotelis in academiis Protestantium tractationem adhuc desideramus, eo quod non minoris momenti vicissitudines, quam in Parisiensi, Aristoteles in illis habuit, vt ex iis intelligi potest, quae suo loco de controuersis Ramaeis, Sennertianis, Hofmannianis, Pufendorfianis, Thomasianis &c. dicentur. Dedit quidem de Varia fortuna Aristotelis in academiis Protestantium dissertationem, eamque libro IO. LAVMOII de Fortuna Aristotelis in academia Parisiensi praefixit B. HERM. AB ELSWICH, quae docta satis et iucunda est, sed nec

plena, nec accurata, et primae magis lineae, quam iusta tractatio. Quae cum suscipi nequeat, nisi aetia academiarum publica consulantur, vt factum a Launoio, optimus merito, vt in academiis Protestantium viri docti, quibus ad ea aditus pater, similem laborem suscipiant, et ex ipsis academiarum tabulariis arcanam Peripateticae philosophiae historiam depromant. Id quod hodie minori difficultate fieri potest, quam olim, cum deserint esse, quibus sacrosancta visa est Aristotelis auctoritas, et quibus piaculum creditum, talia vulgari.

in ipsas inde conscientias enata fuit, deiicere constituissent, prorepsit genus hominum enthusiasticum et ineptum, nec literis fatis cultum, nec animi probitate subactum, quod cum miris ingenii somniis miscere omnia, et imaginationis vagabundae nugis replere ecclesiam coepisset, philosophiam, ex qua infanienti ferociae repagula oriri posse intelligebat, prorsus reiecit, abusumque est iusto zelo virorum piorum, qui pseudo-philosophiam improbabant. Huius generis homines ipsa, ex qua lumen euangelii spargi coepit, Witteberga protulit, in quo agro cum tritico amara ista succreuerunt lolia, Anabaptistis in id connitentibus, ut ducibus hominibus audacissimis sacra et profana miscerent omnia, ipsamque doctrinae puritatem turbarent, et philosophiam simul ob eum, quem sibi praefixerant scopum, eiicerent. Testis eius rei est PHILIPPVS CAMERARIUS\*, qui de ista hominum turba, quae in agro Vitebergensi duce Ciconia quodam, eiusmodi errores, qui Aabaptisticorum nomine innotuere disseminauit, sermonem faciens ita inter alia disserit: *Ciconia iste se imperitum literarum esse penitus simulabat, vel erat etiam fortasse, praedicans sibi diuinitus scientiam salutare contingere. Esse tamen studebant hi in numero suo literatos aliquos. Sed et ipsi se magistros doctoresue homines habuisse habereue affirmabant nullos, et copiam scientiae sibi diuinitus conferri vniuersae. In quibus vnus erat Marcus nomine praecipuus, qui sibi a Deo hoc esse datum tributumque eximium gloriabatur, ut ipse interpretando et explicando scripta sacrarum literarum excelleret. Hic gentis, quae putabatur incolere eam regionem, quam veteres Nariscorum appellarint, cuius, aliquando fuerat discipulus scholae Wittebergensis, sed studia deseruerat, siue antea, seu posteaquam in illam societatem peruenisset. Nam et hoc erat in legibus illorum, ne quis in otio liberali bonis artibus et literis operam daret: ne aliunde scientiae cognitionisque facultatem quaereret, quam ab aeterna Dei benignitate, cui adiumentis humanis nihil esset opus. Nam cur colere aut venerari aliquis vellet Deum? si non dignaretur eo beneficio, quod datum esset patribus et sanctis viris prisco seculo. Quin etiam par commercium colloquiumque esse a Deo flagitandum, et vrgentibus tribui.* Haec cum ad perditissimum enthusiasmum incrustandum disseminarentur, probe viderunt, qui pro puritate nuper demum tantis laboribus restituta, sarte recteque conseruanda custodiendaque vigilabant, philosophiae opera retundendos esse infanorum hominum proteruiam et furorem, nec pati se posse, ut quod contra abusum philosophiae, falsumque sapientiae genus dixissent, ad euertendam ipsam rationem eiusque usum sobrium raperetur. De ponendis itaque declarandisque iustis philosophiae limitibus acrius, quam antea, cogitare coeperunt; praecipue cum inter ipsos literarum professores essent, qui artium et scientiarum iugulum suo fanaticismo

\*) In Vita Melanchthonis p. m. 43.

cismo peterent <sup>a</sup>. Et hoc quidem pacto factum, vt de philosophiae studiis iuuentuti tradendis serio dispiceretur, et ipse Lutherus de iis mitius sentiret, et rectum philosophiae vsum non modo minime improbaret, sed et sollicitis rationibus commendaret. Qua de re cum luculenta testimonia attulerint clarissimi viri CHR. AVG. HEVMANNVS <sup>b</sup> et HERMANNVS ELSWICHIVS <sup>c</sup>, breuitatis causa ad eos lectorem amandamus. Maxime vero Philippus Melanchthon ad id plurimum contulit, vt philosophia in Protestantium Scholis diligenter coleretur. Quamuis enim acriter fatis in Scholasticam philosophiam et insanos Aristotelis admiratores esset inuectus, ipsam tamen, quam cum elegantiori literatura docebat philosophiam seruandam esse, et temperandum Lutheri de ea iudicium, quod verbis magis acerbioribus pseudo-theologiae, quam sententia verae philosophiae oppositum esse nouerat, statuit <sup>d</sup>. Qua in re si eclecticam philosophandi rationem commendauisset, omne sane tulisset punctum. Quam, vt erat iudicio acri et ingenio optimo, non ita ignorauit, vt eam sectariae postponere debuisset. Cordate enim, et vt decet philosophum, scribit: *Nolo philosophando quemquam nugari, ita enim fit, vt communis etiam sensus tandem obliuiscare; sed ex optimis optima selige, eaque cum ad scientiam naturae, tum ad mores formandos attingentia*. Verum ad alia diuertit vir optimus, ratus sufficere, si Peripateticam philosophiam a fordibus, quibus eam Scholastica natio inquinauerat, purgatam restituisset. Qua in re potissimum magnorum virorum, qui in Italia cum honestis disciplinis reliquis philosophiam Peripateticam natiuo vultui redditam resuscitauerant, exemplo confirmatus est, quibus Iacobi Fabri similia apud Gallos molientis conatus iungebat sibi imitandos. Erant inter hos summos viros nonnulli, quibus carissima erat Melanchthonis amicitia, inter quos imprimis Petrus Bembus et Iacobus Sadoletus cardinales fuere, qui elegantiam ingenii atque eruditionis in Philippo admirabantur. Qui cum valde Aristotelicae doctrinae patrocinauerant, admodum Melanchthonem in amore Peripateticae philosophiae eorum confirmauit auctoritas. Neque id magnopere mirandum esse, quilibet intelliget, qui paulo attentius Philippum considerauerit. Cui licet animus contigisset placidus et ingenium optimum, quod moderate de se sentiebat, procul tamen ab ea mentis fortitudine aberat, quae ad eiiciendam philosophiam sectariam requirebatur; quaque sola de sectae praeiudicio triumphare licet. Quem animi characterem vt in tota vita demonstrauit, vt infra pluribus dicetur, ita in causa ille quoque fuit, vt sectariam philosophiam repudiare nollet, quod tamen, vt erat ingenti animo, Lutherus voluerat. Hoc itaque pacto animo affectus cum philosophiae culturam commendare, suoque

a) Id fecisse Andream Bodenstein Carlstadtium, notum est ex Annalibus huius temporis. Et hunc histriorem intelligit MELANCHTHON Or. de Doctr. phys. T. IV. p. 256. qui simulatione religionis vituperat naturae inquisitionem.

b) Act. philos. Vol. II. p. 590.

c) loc. cit. §. 10. p. 29. §. 15. p. 42.

d) Diximus ea de re, quantum satis, supra c. I §. 11.

e) Declamat. T. I. p. 507.

fuoque exemplo et doctrina iuuare vellet, in Aristotele substitit, quem, qui pulchrius philosophari cupiebant, eo tempore sequi constituerant, rati ordine, soliditate et subtilitate Aristotelem reliquos Graecis philosophis praefendum esse. Eandem sententiam tenuit Philippus, qui sufficere putauit, si retento Aristotele ex aliis demum quaedam corpori doctrinae philosophicae asuerentur. Ait enim: *Eruditam philosophiam requiro, non illas cauillationes, quibus nullae res subsunt s.* Ideo dixi, vnum quoddam philosophiae genus eligendum esse, quod quam minimum habeat sophisticas, et iustam methodum retineat. *Talis est Aristotelis doctrina.* Quibus cum adiecisset, cur reliquas sectas repudiandas censeret, addit: *Quaquam is, qui duce Aristotelem praecipue sequitur, et vnam quandam simplicem ac minime sophisticam doctrinam expetit, interdum et ab aliis auctoribus aliquid sumere potest.* His rationibus inductus Melanchthon cum reuiuiscens litteraturae florem in schola Leucorea promouere vehementer vellet, philosophiae quoque studium Saxoniae electori, auctoritate ea, qua apud optimum principem literis egregie fauentem utebatur, vehementer commendauit, cumque is esse crederetur, cuius omnium maxime iudicio ea in re fidendum esset, illa philosophandi et literas quoque elegantiores iungendi ratio facile obtinuit, et iussu principis introducta, et tota encyclopaedia ad veterum mentem restituta, philosophiae inferuire iussa est. Qua de re eleganter differit in oratione *de Studiis corrigendis* <sup>1</sup>, et quo potissimum pacto veteris eruditionis elegantia haurienda sit, prolixè exponit: gratulatur autem adolescentibus suam felicitatem, quibus benignitate optimi ac sapientissimi principis Friderici ducis Saxoniae electoris contigerit longe saluberrimis erudiri: fontesque artium ex optimis auctoribus haurire. Hunc enim natium ac sincerum Aristotelem, illum Quintilianum rhetorem, hunc Plinium tantum non ditissimum paediae ac veluti quoddam copicae ornu, illum argutias, sed arte temperatas docere. &c. Ita vero adornato in academia Vitebergensi philosophiae studio ad hunc bonarum artium mercatum inuitante Philippicae eruditionis, quae vbique per ora virorum doctorum volitabat, fama adcurrerat, quicquid literis elegantioribus et philosophiae se dare constituerat. Vt non inepte iudicauerint, qui Philippum communem Germaniae praeceptorem vocarunt, eo quod omnem fere Germaniam artium praeceptis imbuisset. Ita vero Melanchthonis cura Aristotelica philosophia a pristinis sordibus purgata et tum nitore suo restituta, tum humanitatis studiis ornata commendataque inualuit. Quae initia eius valde laeta non minor excepit felicitas, et incrementa haud parua secuta sunt. Nam ex Italia atque Britannia, vbi iam tum melior literatura et imprimis sincerus Peripateticismus inualuerat, viri nonnulli docti religionis emendationem et libertatem secuti ad Germanos discesserant,

f) De Vit. philos. l. c. p. 336.

g) Declamat. T. I. p. 505.

rant, qui cum eruditione sua tandem obtinuissent, ut publicis docendi muneribus admouerentur, eam, quam domi didicerant, philosophiam Peripateticam iuuentuti tradiderunt. Quod imprimis in Lipsiensi Schola factum ab Alexandro Alefio Scoto et Simone Simonio <sup>h</sup>. Basileensis autem academia cum Erasmi praesentia ornaretur, eiusque commendatione valde vigeret vetus eruditio et imprimis philosophia Peripatetica, publicatis Iacobi Fabri lucubrationibus, alia, quam prius, facie innotesceret, ex hoc etiam equo Traiano milites progressi sunt, qui in arena philosophica pro Aristotele strenue dimicarunt. Nihil tamen magis Melanchthonianam de eo philosophiae genere sententiam Germanis persuasit, et Peripateticos in coetibus Protestantium disseminavit, quam quod ex disciplina tanti viri innumeri viri prodierint, qui scholis et academiis praefecti, secundum praeceptoris mentem encyclopaediam omnem finxerunt, ipsamque adeo Peripateticam doctrinam barbariei Scholasticae furrogarunt. Qui cum discipulos itidem suos eundem in modum formauissent, et ex hac disciplina sua novas propagines emisissent, Philippica philosophandi consuetudine omnis Germania repleta est. Inter quos Philippi discipulos imprimis Valentinus Friedlandus Trocendorfius <sup>i</sup>, vir clarissimus et doctrinae elegantia commendatissimus, memorari meretur, qui cum singulari dexteritate et felicitate innumeros adolescentium animos, magistri sui praeceptis atque methodo vsus, formauisset, latissime inter Germanos eam disciplinarum seriem propagauit, et Peripatetica quoque doctrina hoc pacto aucta et vbique locorum introducta est. Et ex his fontibus magna illa fortuna fluxit, qua Aristoteles in scholas Protestantium post reformationem vsus est, cum suscepta religionis emendatione parum spei illi superfuisset. Nam ab illo tempore in omnibus Protestantium scholis a discipulis Philippi Peripatetica philosophia iuuentuti literarum studia aemulanti tradita est, tanto feruore, ut principum, sua gratia academias nutrientium statutis philosophantibus Aristoteles dux praefigeretur. Id quod in Vitebergensi schola factum esse, ex allato supra Melanchthonis loco patet: et sequentibus quoque annis cum in ea, tum in Lipsiensi academia obtigit, cuius testis esse potest professio organi Aristotelici hodiernum ibi durans, euincuntque philosophi inter Peripateticos haud vulgaris nominis, qui in ista academia docuerunt, inter quos seculo XVI, praeter Camerarium, Simon Simonius enituit, de quo postea dicendum, ex cuius disciplina praeter multos alios Ioannes Neldelius vir acutissimus prodiit. Sed et Victorinus Strigelius eodem in loco Philippica methodo vsus in arena Peripatetica militauit <sup>k</sup>. Anno vero MDLXXVII, Lipsiensi et Vitebergensi academiae, teste ELSWICHIO <sup>l</sup> ab Augusto Saxoniae electore constitutio praescripta, qua secundus professor philo-

h) De Simonio dicitur infra, de Alexandro Alefio consulendus IAC. THOMASIVS Orat. p. 300. et BAYLE Dict. T. I. art. Alefius.

i) Vid. MELANCHTHON. Declamat. T. V. et ex eo ADAMI Vit. philos. p. m. 167.

k) Videnda elegans et doctissima tractatio de Vita Victorini Strigelii, quam plaudentibus Musis edidit V. C. HIERONYMVS MERZIVS, collega nobis coniunctissimus.

l) §. 16. p. 64.



fophiae, nec non septimus, octauus et nonus, folius Aristotelis libros in dialecticis, physicis, ethicis, et politicis praelegere, disputationes item et examina promouendorum ex Aristotelis libris instituere iubentur. Idem in Rostochiensis academia factum, quam Melanchthonis studio et opera reformatam dederant principes Mecklenburgici. Teste enim DAVIDE CHYTRAEO <sup>m</sup>, ea in schola, contempta, quae tum inualescere coeperat, Ramaea dialectica, sola Aristotelis placita ex libris Philippi publice explicata sunt, nec passi sunt doctores publici alium praelegi. De qua philosophiae Aristotelicae institutione in academia Rostochiensis cum prolixius ipse MELANCHTHON disseruerit <sup>n</sup>, lectorem ipsum ad eum ablegamus. Similia de Tubingensi, Argentoratensi, Altdorfina aliisque inter Protestantes scholis facile dici possent, si id iam ageremus, et non ex iis, quae dicenda restant, pateret, simile vbiq; institutum obtinuisse.

§. XXXIII. Ex eo tempore magnus vbiq; inter Germanos in academiis Protestantium proventus fuit, cathedrae enim philosophicae, si Rami affectas excipias, vsque ad Pufendorfii tempora et finem seculi XVII, a Peripateticis vbiq; occupatae sunt. Catalogum itaque Peripateticorum inter Protestantes molienti, series tantum philosophorum qui logicam, physicam, metaphysicam, ethicam, politicam tradiderunt, notanda est, hi enim omnes coeco plerumque obsequio Aristotelem secuti sunt. In quo faxo voluendo tempus perdere nec institutum nostrum poscit, nec historiae philosophicae interest. Fuerunt tamen in ingenti horum hominum numero nonnulli, quos singularis Peripateticae philosophiae peritia communi reliquorum turbae exemit. Inclaruit enim in Lipsiensis academia praeter Ioachimum Camerarium, de quo supra dictum, et Simonem Simonium, de quo infra pluribus agemus, Ioannes Neldelius, Glogauio-Silesius, qui cum Simonem Simonium praeceptorem habuisset, iudicii acumine et eruditionis copia eum superauisse CONRINGIO <sup>o</sup> visus est. Admotusque publicae, quae organon Aristotelis interpretatur, cathedrae, in collegio principum maiori locum inuenit, et academiae decemuir factus est, denatus prid. id. Febr. anno MDCXII. Reliquit autem specimen doctrinae Peripateticae *Institutiones de usu organon Aristotelici in disciplinis omnibus*, recusas curante HENRICO CRELLIO <sup>o</sup>, cum praefatione CONRINGII ob vtilitatem apud Helmstadienses <sup>o</sup>, laudatas BOECLERO <sup>o</sup>, MORHOFIO <sup>o</sup>, CONRINGIO, aliis <sup>\*</sup>. In Rostochiensis schola Philippi institutione vsus Peripateticam philosophiam docuit David Chytraeus, vt ex eius epistola, ad quam supra prouocauimus constat, in qua Matthaeo Dressero, contemptum Aristotelis et dialecticae Philippeae obiciendi respondet. Cum enim iussu du-

Peripatetici  
nonnulli in  
Protestanti-  
um academiis.

Lipsiae.

Rostochii.

H h 2 cis

m) Epist. p. 824.

n) Declamar. T. IV. p. 176.

o) loc. citando.

p) Vitam eius enarrat Programma acad. Lips. in eius funere, quod exhibet WITTENIVS,

Memor. philos. Dec. I. p. 53. q) 1666. 4.

r) Bibliograph. crit. p. 884.

s) Polyhist. T. II. L. I. c. II. §. 28. p. 62.

\*) ELSWICH de Fort. Arist. in Acad. Protest. §. 17. p. 15.

cis Mecklenburgici, Arnoldus Burenus, restaurator elegantiorum inter Rostochienfes, literarum *ſ*, Vitebergam eſſet profectus, vt de emendandis eius ſcholae ſtudiis cum Melanchthone ageret, Chytraeum potiſſimum ob elegantiffimam eruditionem ille commendauit *ſ*. Qui illuc traductus, Philippi methodum in tradenda philoſophia, cum rationali tum morali ſecutus eſt, vt ex libro eius *de Studio dialectices inſtituendo* conſtat. Plurimum viri celeberrimi commendatio ad ſtabiliendum eo in loco Peripateticifmum valuit, cum et eruditiffimus eſſet, et magna eius in iſtis oris celebraretur auctoritas; de quibus tamen rebus eius cum limites nobis poſiti non patiantur differere, conſulenda eſt poſt ADAMI, REIMMANNI, TEISSIERII *ſ* diligentiam, erudita *Dauidis Chytracii* vita edita a V. C. OTTONE FRIDERICO SCHVZIO *ſ*. In Tubingeniſi academia ab ipſis reſtauratarum literarum initiis Peripatetica philoſophia docta eſt. Maxime vero Iacobus Schegkius celeberrimum inter fui temporis Ariſtotelicos nomen conſecutus eſt, quam non Tubingae modo verum etiam in aliis omnibus Germaniae ſcholis obſeruari ac vigere, ſuo tempore ſcripſit, qui ad pedes Schegkii conſedit, et ab eo philoſophiam didicit NICOLAUS TAVRELLVS *ſ*. Argentoratensis ſchola de tradenda Peripatetica philoſophia aliquando ita ſollicita fuit, vt cum idoneo profeſſore philoſophiae deſtitueretur, duo theologi Petrus Martyr et Hieronymus Zanchius Ariſtotelem interpretari iuberentur *ſ*. Quod munus eo lubentius clariffimi viri ſuſceperunt, quo magis Ariſtotelem habuerunt ſummopere carum, eumque familiariffimum eſſe debere veris theologis crediderunt. Sed et alii poſtea viri docti in tradendo hoc philoſophiae genere in hac academia induſtriam comprobauerunt ſuam. Inter quos praeter Ioannem Stürmium *ſ*, veteris literaturae apud Argentoratenses *ἐργολάωτην*, et Andream Planerum, celebritatem nominis conſecutus eſt Io. Ludouicus Haueſtreuterus, Argentoratensis, filius Sebaldi poliatri *ſ*. Is enim Stürmii Planerumque praeceptores nactus tanta felicitate in philoſophiae ſtadio praeunte Ariſtotele, cucurrit, Hieronymi Wolfii quoque apud Auguſtinos contubernio et conuerſatione uſus, a quo celeberrimo viro, intimiorem Graecae linguae notitiam et τὰ μαθήματα didicit, vt licet XXIV annorum iuuenis dignus tamen haberetur, cui publica phyſices et logices Ariſtotelicae interpretatio crederetur, praemiſſa, quae ei iniungebatur explicacione libri *de Mundo* *ſ*, quod ideo factum eſſe videtur, quoniam ἐρδοδοξωτέως in eo libro Ariſtotelem fuiſſe philoſophatum, plerique ſibi perſuaderent. Ita explicatis Ariſtotelis libris celebrioribus, et inter eos quoque,

Tubingae.

Argentorati.

f) Vid. AEPINVS de Meritis Weſtphalorum in academia Rostoch. p. 37 ſeqq. ROLLII Memor. philoſ. p. 105.

ſſ) Vid. ADAMI Vit. Theol. p. m. 681. REIMMANN. Hiſt. lit. Germ. P. IV. p. 573.

t) Elog. T. IV. p. 402.

u) Supplementum Hiſt. ecclef. imprimis Lutheranae ad dimidium ſaeculum XVI quatuor li-

bris expoſitae, quibus continetur vita Dauidis Chytracii Hamb. 1728. 8.

v) Praef. Alp. caesarum.

w) Vid. ELSWICH l. c. p. 45.

x) Vitam eius exhibet ADAM. Vit. phil. p. m. 243. y) IDEM Vit. Medic. p. 311.

z) STÜRMIUS apud ADAM. l. c. p. 443. conf. FECHT Schediaſm. p. 488.

quoque, qui de *Motu animalium* differit, dum eruditionem rerumque naturalium scientiam probat, ita doctrinae pulchritudinem commendat, ut artem quoque salutarem tradere iuberetur. Quam ita docuit, ut philosophiam tamen minime negligeret, testeque, cui vitae eius historiam debemus MELCHIORE ADAMO \*, *non lacunas putridas, sed limpidos fontes consecraretur, et quae docebat, ex auctoribus optimis, imprimis ex Aristotele depromeret, ratus neminem philosophorum doctiorem nec acutiorem, nec in rebus inveniendis diiudicandisque acriorem esse.* Inde laudes in illum congestae, et fauentissima de Hauenreutero iudicia. Inter quae eminet, quod effigiei eius adscriptum est:

*Orbis amor, morum exemplar, pietatis ocellus,  
Alter Aristoteles, alter et Hippocrates †.*

Tanto autem amore philosophiam Peripateticam profecutus est, ut, cum professoris medicinae et poliiatri munus nimis viro ob strenuos et continuos labores languenti graue esset, ideoque professionem medicam relinqueret, exorari se tamen a conuentu academico passus sit, ut denuo physicam, metaphysicam et logicam explicaret. Metaphysicam tamen professionem accrescente aetate deposuit, physicam ad vitae finem retinuit, quem subiit denatus anno MDCXVIII, anno aetatis septuagesimo. Quantum autem in Peripatetica philosophia vir fuerit, ex scriptis eius philosophicis intelligitur. Nam praeter Zabarellae opera, quae iunctim edi curauit, elucubrauit *Analysin libri primi posteriorum Analyticorum*, et *libri quinti Ethicorum Aristotelis*, tractatum de *Anima*, et *Compendium physices*. Platoniam tamen philosophiam commentando quoque attigit scripta *Explicatione ciuitatis Platonicae ex libro decimo de Republica*. In Ienensi academia praeter alios Aristotelis interpretes Victorinus Strigelius nostras, quem Lipsiae quoque philosophiam docuisse supra innuimus, nomen sibi fecit celeberrimum. Cum enim Graecam linguam satis calleret, et veteri literatura esset instructissimus, Melanchthonis autem παιδείας τρόπον accurate referret, Aristotelem ita consuluit, et iuuentuti philosophiam discendi consulendi auctor fuit, ut ad hunc vnum praeceptorem, interprete tamen Philippo, cuncta referrentur <sup>a</sup>. Quo consilio ipse quoque libros ethicos Aristotelis, interpretatus est, editos a IACOBO MONAVIO <sup>b</sup>, vel potius <sup>c</sup>, quod recte obseruatum B. FABRICIO <sup>d</sup>, paraphrasi illustrauit. Ut vero Peripateticam philosophiam latius propagaret, quam Erfurti quoque docuit, *Philippi dialecticam* et *Ethicam hypomnematis* explicuit. Accepisse Victorinum hunc Aristotelis amorem a praeceptore Ioanne Zinckio, medico et philosopho haud incelebri, cum Friburgi ab eius ore penderet, ab eoque tam alte pectori infixum esse, ut eradicari non potuerit, asserit Cl. REIMMANNVS <sup>e</sup>. Quod facile quidem

Ienae.

H h 3

\*) loc. cit.

†) Ibid.

a) Vid. IAC. MONAVIUS loc. citando.

b) Lips. 1572. 8.

c) Id factus est in praefatione editor.

d) Bibl. Graec. Vol. II. p. 154.

e) Hist. lit. German. P. IV. p. 448.

*Aldorfi.**Helmstadii.**Regiomonti.*

dem concedi potest, multo tamen magis ad commendandum Strigelio Aristotelem contulisse videtur Melanchthonis auctoritas <sup>f</sup>, quae tanta Victorino visa est, ut eius opiniones mordicus tueretur, nec calamitates inde sibi obortas metueret. Nec defunt, qui Aristotelicae philosophiae amorem nimium et praepostorum errores illi syncretisticos persuasisse contendunt, quod an verum sit, in historia viri, in actis seculi XVI ecclesiasticis satis memorabili excutiendum est, nec huc pertinet, videndus autem, qui praeclare de hoc ciue nostro meruit doctissimus HIERONYMVS MERZIVS <sup>g</sup> noster. Illud hic sufficit, certum esse, et testimonio virorum doctorum comprobatum, Strigelium inter nominatissimos Peripateticae philosophiae doctores suo tempore connumeratum fuisse <sup>h</sup>. Eandem Aristoteles fortunam inter Noricos habuit, nutritum enim Altdorfina academia Peripateticos magnae famae et summae eruditionis, Philippum Scherbium, Nicolaum Taurellum, Ernestum Sonerum, Michaëlem Piccartum. Qui cum primum fere locum inter philosophos Aristotelicos recentiori aetate tuiti sint, paulo curatius infra enarrandi sunt. Id vero hoc loco non praetereundum, ipsam hanc scholam, quae gymnasii formam initio habuit, constitutionem suam, auctoritate magistratus Norimbergensis accepisse a viris summis Ioachimo Camerario, Eobano Hesso et Philippo Melanchthone, translataque Altdorfium primum rectorem accepisse Valentinum Erythraeum <sup>i</sup> γυμνασιου Melanchthonis <sup>b</sup>, hocque pacto Melanchthoniana quoque docendi discendique ratione ipsam philosophiam Peripateticam ibi inualuisse. Quin et primus theologiae professor eo in loco Ioannes Piccardus, Michaëlis parens, totus a Melanchthonis ore pependit <sup>j</sup>, quo euenit, ut Philippica methodus in ea schola diu obtineret. Idem in Helmstadiensi accidit, quam Dauid Chytraeus ordinavit; quem Philippi discipulum fuisse supra diximus. Hinc celeberrimi Lycei recentioris doctores nonnulli eo in loco fuere, quos in sequentibus commodiore loco enarrabimus. Nec aliter in Regiomontana academia euenit. Eius enim condendae auctor cum Alberto marchioni Brandenburgico duci Prussiae fuerit Georgius Sabinus <sup>k</sup>, gener Melanchthonis, anno MDXLIV, ipseque per triennium primus ei rector praefuerit, intelligitur inde sine negotio Peripateticismum Melanchthonianum ea in schola praeualuisse. Et haec quidem Aristotelis fortuna fuit in academiis Protestantium, qui inuariatam confessionem sequuntur, rudi penicillo adumbrata. In reformatorum, qui vocantur, scholis idem obtinuit, et Aristoteles, vbique, etiam

f) Innuit id MONAVIVS l. c. scribens de Strigelio: „Quinimo Aristotelica illa, quae de aliorum non contemnendis interpretationibus, alibi didicisset, libenter tamen sese sua sponte oblivioni tradidisse confirmabat, ubi primum Vitebergam venit, et hanc Atticam apiculam, vel potius Musarum Iusciniam (Melanchthonem) audire ipsi contigit.  
ff) loc. cit.

g) Vid. BAYLE Dict. T. IV. art. Strigelius p. 284. ADAM. Vit. theol. p. 417. TRISSIER. Elog. T. II. p. 315.

h) Vid. SIG. IAC. APINI Vitae prof. philos. Altdorf. init.

i) B. ZELTNERVS Vit. prof. theol. Altdorf. p. 2. et praef.

k) Vid. ALBINVS in Vita Sabini edita iterum et observationibus auctae THEOD. CRVSTO p. 134.

etiam extra Germaniam triumphauit. Exemplo esse potest Geneua, Aristotelicae philosophiae tenacissima; in qua cum nonnemo ex professoribus Derodoni adhaereret, grauissimae inde inter doctores publicos controuersiae exortae sunt <sup>l</sup>. Maxime vero id patuit, postquam ad Geneueses Ramus peruenit; obtenturus professorium munus, nisi obstitisset Theodorus Beza, qui ea de re ad ipsum Ramum scripsit <sup>m</sup>: *Certum ac constitutum esse Geneuensibus, in ipsis tradendis logicis et in ceteris explicandis disciplinis ab Aristotelis sententia ne tantillum quidem deflectere.* Inde factum, ut Arminio, studiorum causa Geneuae haerenti et philosophiam secundum Ramum, tradenti, facultas legendi ex instigatione cuiusdam Peripatetici adimeretur, teste GER. BRANTIO <sup>n</sup>. Inter Anglos, quamuis tempus esset, quo Platonica philosophia apud nonnullos triumphauit, apud plerosque tamen Aristoteles obtinuit, summoque loco est habitus. Relinquimus vero CHRISTOPHORI ARNOLDI fidei ad Georgium Richterem scribentis <sup>o</sup>: *In priuatis collegiorum Oxoniensium disputatiunculis tantam Aristotelis auctoritatem esse, ut si quis opponendo eam infringere, aut vilipendere sustineat, solidos quinque Anglicanos, hoc est, Philippicum vnum soluere omnino teneatur.* Inter Batauos autem quanta Aristotelis existimatio fuerit, Cartesianae controuersiae satis loquuntur, cum non minus aegre tulerint eius regionis philosophi contemni Aristotelem, quam, quod credebant vim inferri scripturae. Immo inter ipsa Remonstrantium certamina ferre non potuere, qui contrarias partes defendebant, contemni ab Arminii sequacibus philosophiam Peripateticam <sup>p</sup>, ipsique infanias multas et impietates imputari.

Geneuae.

In Anglia.

In Hollandia.

§. XXXIV. Diu durauit inter Protestantes ista Aristotelis veneratio, cuius ratio ut haud vna fuit, ita potissimum ad Melanchthonis methodum referenda causa est, quae effecit, ut qui eum sequebantur, pulchrius et melius philosophari posse neminem, crederent. Illa qualis fuerit, non alienum erit, praeunte IACOBO MONAVIO <sup>q</sup> hoc loco exponere. Nempe ea non inhaerebat singulis verbis, neque immorabatur explicationi omnium argutiarum atque λεπτολογημάτων, quae in Aristotele reperiuntur, sed explicabat res meliores et magis etiam necessarias, quam sunt alicubi Aristotelicae, et quod est potissimum vsum atque fructum illarum artium atque doctrinarum demonstrabat luculenter. His vero adaptatum genus orationis, ut Lucianus nominat, *εὐπύριζον*, hoc est proprium, disertum, planum, perspicuum, significantissimum, ad omnem docendi rationem maxime accommodatum et directum. Accedebat ordo ac via docendi Ariadnaeo filo *μεθοδικώτερος*; tum delectus ex immensis artium atque auctorum cumulibus, quo ea solum depascerentur et feligerentur,

Causae Peripateticismi inualescentis methodus Philippica.

l) Conf. ELSWICH l. c. p. 71.  
m) Epist. 34 p. 153. ep. 36. p. 156.  
n) In Vita Arminii p. 12. Sectabatur autem Arminius Ramum, obseruante Cel. MOSH. ad h. l.

o) Epist. Richter. p. 487.  
p) Vid. Epistolae Remonstrantium editae a LIMBORCHIO p. 959.  
q) loc. cit.

tur, quae et maxime essent necessaria, et quae usum potissimum ad rationem dicendi scribendique et ad formandum mores atque iudicium haberent, reiectis ac repudiatis iis omnibus, quae nec scienti profunt, nec ignorantibus nocent, et in quibus non est, ut ille ait, *κρείττιστον παιδευσαδάι*. Tria haec in scriptis doctrinaeque Philippi omni inueniri, illi, qui eius *γνήσιον παιδευμα* esse cupiebant, conueniebant; ratiq̄ ideo sunt, philosophiam, quae est *καθ' ἀλήθειαν*, soli Philippo tribuendam esse, et qui hunc ex alto despicerent, eique nescio qualia praeferebant, illis comparabant, qui inuentis frugibus glandes tamen comedere mallent. Hac vero opinione ducti a Philippo recedere eiusque semitam relinquere piaculum credebant, eiusque scriptis velut coelesti rore cicadae victitare aliquae gaudebant. Et hinc genus illud disciplinae Melanchthonianum ortum est, quod diu floruit, quodque praecipui post Philippum viri docti propagauerunt, qui vna eademque omnes via inceserunt. Et floruisse illa methodus philosophiae Philippica, (hoc enim nomine insigniebatur) diutius, si intra philosophiae limites subsistere, nec ad theologiam nouo labore nouisque opinionibus eam illi transferre maluissent. Ita enim magnam illam inuidiam declinauissent, quae in eorum postea capita conflata est, et tandem disciplinam Melanchthonianam extinxit. Nec filendum, quamuis praeclara multa tradidisse in scientiis philosophicis Melanchthonem, et de philosophia quoque optime meritum esse faterentur, quotquot literas nouerant, illisque pretium statuebant, displicuisse tamen multis hanc Philippicam secundum Aristotelem philosophandi methodum. Licet enim ex affectu fraterno, quo se inuicem excipiebant discipuli Philippi, fieri, ut vnus alterum saepe numero ad verbum exscriberet, censerebant, qui aequius iudicabant, eo quod id commune videbatur reliquisse praceptor, quod ex eius eruditionis haereditate ad vniuersos peruenisset, quo nomine a plagii crimine forte possunt absolui; recte tamen illis exprobrabatur, nihil ita noui, nihil quod philosophiae studium magnopere iuaret, afferri, et intra compendiorum cancellos nimis angustos et repetita magistri placita et verba consisti, contemni vero et iuuentutis manibus eripi Aristotelem, viamque parari ad eruditionem quandam leuem et superficialiam. Qua de re acerbè conquestus est, magni nominis theologus POLYCARPVVS LYSERVS, cuius verba digna sunt, quae hic legantur *f*. Porro, ita scribit, *ut quoque de Aristotelis philosophorum principis scriptis quid sentiam, scribam, tantum abest, ut illa ex scholis releganda esse statuam, ut nunquam dissimulauerim, me mirari, qui fiat, quod in hac schola nostra (Vitebergae) quae cum reliquarum in Germania academiarum quasi communis mater esse statuatur, tantum*

com-

r) Memorabilia sunt, quae de auctoritate, quam dialectica Philippi obtinuit, narrat MATTHAEVS in Vita Lutheri, conc. VII. p. m. 65. Similia de eius ethica traduntur Declamar. T. VI. Quae Hospitalius de ea iudicauerit, recenset

WENDLERVS de Meritis theolog. sec. XVI. §. 21. p. 109.

s) Conf. IAC. THOMAS. de Plagio §. 199. p. 82.

f) Collect. Epist. Lyfer. p. 287.

compendia philosophiae studiosae iuuentuti praelegantur, Aristotelis autem libri prorsus negligantur. Ego omnino iudico, D. Philippum initio compendia philosophiae saltem pro incipientibus scripsisse, idque non hoc consilio fecisse, ut Aristotelis libros ex manibus discipulorum prorsus excuteret: sed tantum ut eosdem ad legendum ipsum Aristotelem introduceret, et quasi viam sterneret. Iam vero, dum Aristoteles ab aliis negligitur, ego insimulor, quasi eius libros ceu inutiles reiiciam: cum statuan, ex dignitate academiarum esse, ut in illis iuniores a compendiis ad fontes ipsos ducantur. Recte ratiocinatum esse Lysium, agnosceret, quisquis Melanchthonis commentationes de studiis instituendis, corrigendis, tradendis, legerit, et imprimis expenderit, quae pro Aristotele dixit in oratione de *Utilitate philosophiae*. Aliter evenisse, mirandum quidem haud est, et facile fuit relictis fontibus Aristotelicis riuulos Melanchthonianos consulere. Illi enim et obscuritate sua et difficultate tum dicendi generis tum argumenti iuuenes, et forte nonnullos professorum deterrebant, hi facilitate sua et discendi compendio valde se commendabant. Quo aliter fieri non potuit, quam ut desertis scriptis Aristotelis sola ista summa consuleretur, quam de praecipuis philosophiae partibus secundum Aristotelem Melanchthon reliquerat.

§. XXXV. Ita vero, quod surrexit et laeta incrementa habuit, Aristotelicae philosophiae studium sua mole impeditum est, et a genuina facie deflexit: Cuius causa partim in infaustas lites, quae Philippi affeclas cum aduersariis diu commiserunt, partim in studium metaphysices Scholasticae, quod exoriente seculo XVII inualefcere coepit, conicienda est. Et innumeris quidem controuersis Synergisticis, Adiaphoristicis, Crypto-Caluinianis et similibus, cumulatam fuisse Protestantium ecclesiam in Germania nemini ignotum est, qui annales ecclesiasticos huius temporis consuluit. Eae autem cum Philippicae philosophiae praesidio gererentur, valde autem istis dissidiis suspecta fieret et exosa Philippi factio, odium illud in ipsam philosophiam, cuius se custodem iactabat, conuersum, magnaque inde ipsum Aristotelem inuidia secuta est. De quibus enim disceptabatur, eorum praesidium haud raro petebant ex philosophicis notionibus; quo factum, ut qui Philippi partibus infensi essent, acriter in ipsum Aristotelem, quin immo in ipsam philosophiam inueherentur. Cuius luculentum exemplum adduxit *ELSWICHIVS* \* ex disputatione Vinariensi, in qua de *ἐπιιώσεις* humanae naturae beneficio vnionis hypostaticae facta inter alia disputabatur. In ea qui, prout vocabant, Crypto-Caluinianismum fouere credebantur, cum ad argutias philosophicas confugissent, ita pars altera in philosophiam Aristotelicam exacerbata est, ut *MATTIAS FLACIVS ILLYRICVS* \*\*, Aristotelicam philosophiam inter ista *Φιλοσοφία*.

*Causae de-  
crescentis Per-  
ripateticismi  
genuini inter  
Protestantes.*

*Philippica  
methodus su-  
specta.*

t) loc. c. §. 20. p. 52.

u) Clau. Script. P. I. p. 893. v. Philosophia.

σοφόμενα referret, a quibus Christiano cauendum esse D. Paulus monuit; isque reuocato in memoriam Lutheri de Aristotele iudicio eum plane in super habendum esse contenderet, eo feruoris delapsus, ut Dei cognitionem ex philosophia naturae lumine haberi non posse statueret. Taceamus alia, in quae virum cetera doctum, sed praefereuidum et nimis acrem disputatorem praecipitem egit philosophiae, qua ad corrumpendam doctrinae puritatem abuti Philippi sequaces credebat, odium. Alia Flacianae partis loca, digna quae legantur, attulit, laudatus ELSWICHIVS v ex quibus constat, metuiffe eam, ne eo redeat studium theologicum, ut pro Paulo Aristoteles sit concionaturus, quod antea inter Scholasticos erat factum.

*Altera causa corruptae inter Protestantes Peripateticae philosophiae, metaphysica Scholastica renouata.*

§. XXXVI. Altera, quam inquinati inter Protestantes Peripateticismi genuini causam esse diximus, ratio quaerenda est in studio logicae et metaphysicae, siue ontologiae Scholasticae, quae oriente seculo decimo septimo caput iterum efferre, et ex puluere se attollere coepit. Quamuis enim ipsa doctrinarum theologicarum systemata seculo XVI inter Protestantes, maxime Germanos, edita, inter quae reliqua eruditione, perspicuitate et celebritate facile vincunt PHILIPPI MELANCHTHONIS et MARTINI CHEMNITII *Loci theologici*, non careant disciplinae philosophicae colore atque methodo, simplicitas tamen quaedam vtriusque libri, qui in plerisque academiis sacrae doctrinae studiosis praelegebantur, obstitit, quo minus fartago ista Scholastica posset immiseri. Aliter autem factum ineunte seculo XVII. Tum enim citatis pedibus, qui philosophiam ancillari theologiae cupiebant, ad id concurrebant, ut argutias logicae et metaphysicae Scholasticae postliminio reuocarent. Quod quidem non ideo euenit, ac si stramineam hanc sapientiam esse, et recte a reformatoribus et praecipue a Lutero, graui Scholasticae philosophiae aduersario, damnatam eiectamque ignorauissent: ast coegit eos, qui haec suscipiebant, necessitas quaedam, ex seculo, quod tum exoriebatur fatali deriuanda periodo. Nempe illud totum ut in orbe ciuili bellicosum, ita in ecclesia orbeque literario eristicum et contentione plenum fuisse, neminem latet, qui acta ecclesiastica huius aetatis vel per transennam inspexerit. Cum itaque cum aduersariis congregiendum saepiuscule theologis Protestantium esset, qui Scholasticae philosophiae telis ex logicae et metaphysicae pharetris desumptis acriter pugnabant; ad idem armorum genus descendendum, et ea ipsa Scholastica philosophia ad retundendos hostes frangendamque insultantis suae armaturae praesidio hostis aciem in partes vocanda fuit. Quod non potuit non plerorumque, qui philosophiae studium sibi ad iuuandam theologiam elegerant, diligentiam excitare, ut hanc iterum Venerem deperirent. Cuius infausti fideris, quod philosophiam afflauit occasionem dedisse colloquium Ratisbonense, recte viris doctis obseruatum est w. Cum enim in eo auctoritate iussuque principum Pala-

v) loc. cit. p. 53.

w) BVDDEVS *Isagog.* L. I. c. 4. §. 28. p. 244. ELSWICH. l. c. §. 26. p. 75.



Palatinorum inter Iesuitas et Protestantés apud Sueuós theologos disputa-  
tio inita effret, illorumque *πρόμαχοι* Andreas Tannerus, Balthasar Hage-  
rus, et qui reliquos eruditione et acumine vincebat Iacobus Gretferus,  
cum vim facere aciei Protestantium et aperto Marte eorum phalanges  
retundere non possent, ad caligines metaphysicas et Stratagemata philo-  
sophiae Scholasticae confugerent; terminis et distinctiunculis ex hoc ar-  
mamentario velut telis acutis defumtis hostium copias reprimere conten-  
derunt. Id vero magno, si fatendum quod res est, damno cum theolo-  
giae, tum philosophiae factum est. Cum enim infaustarum litium exem-  
pla vbique iactarentur, theologiae simplicitas, quae satis haectenus casta  
floruerat, et in prosternendis aduersariis aliis telis vsa erat, tota corrupta,  
ipsaue doctrina diuinior polemica facta, et controuersiarum subtilitatibus  
repleta est; sic vt eae fere solae tum in ecclesia personarent. Cum autem  
istae lites theologicae cum Neo-Scholasticis reciprocarentur, qui suismet  
armis erant aggrediendi, vehementer se commendauit Scholasticae philo-  
sophiae, praecipue in rationali et transcendentali parte, studium\*. Quod  
excolentes et iuuentuti tradentes, qui isto seculo in academiis philoso-  
phiae docendae praerant, in id vires contulere suas, vt Aristotelem a  
Scholasticis suum factum suisque acuminibus armatum in cathedris philo-  
sophicis explicarent: quo pacto veram Lycei faciem corrumpi, et a natuo  
Aristotele recedere oportebat. Et hinc magna illa moles librorum logi-  
corum et metaphysicorum orta est, quos seculo decimo septimo protru-  
sere academiae Protestantium; in quibus licet nec ingenii acies, nec eru-  
ditio desideraretur, Aristotelis nomen autem vbique praefigeretur, vera  
tamen Peripateticae philosophiae effigies non apparuit.

§. XXXVII. Nec tamen omnes hoc seculo a veteri Peripati discipli-  
na ita deficiebant, sed passim in cathedris philosophicis personabat doctri-  
na virorum eruditissimorum, natuam Aristotelis philosophiam explican-  
tium: qui vel peregrinorum Peripateticorum libros iuuentuti exponebant,  
vel suas interpretationes ei tradebant. Prius Nunnesii, Vallesii, Caesal-  
pini, Riccoboni, Portii aliorumque ex recentiori Lyceo virorum celes-  
tiorum scriptis accidit, quae apud Germanos eo fine recusa sunt, vt  
hermathenae instar iuuentuti literis operam nauanti essent, et praelectio-  
nibus philosophorum illustrari possent. Posterius exemplo philosopho-  
rum Altdorfinorum, Helmstadiensium, Giessensium, Ienensium, Liplien-  
sium, aliarumque academiarum apud Germanos professorum luce meridia-  
na clarius patet. In his enim Musarum sedibus omnibus non deerant viri  
acuti, docti, graues qui posthabito Scholastico sterquilinio, puriorem  
Aristotelis philosophiam excolerent. Et ex Altdorfina quidem Schola  
inter celebriores Peripateticos Scherbium, Taurellum, Sonerum et Pic-  
cartum infra nominatim producemus. Laudandumque nobilis Heliconis

*Seruatus ta-  
men passim  
Peripatetici-  
smus purior  
seculo XVII.*

*Altdorfii*

I i 2 istius

x) Conf. Cel. CHR. MATTHAEVS PFAFFVS Diff. Anti-Baeliana I.

istius studium, quod iuncta philologiae veteris cura Aristotelem nativum tradere summopere contendit. Cuius causa potissimum quaerenda est in optimo consilio generosissimorum eius scholae curatorum, qui illustris senatus Norici auctoritate vsi, cum ipsi literas essent egregie docti, viros, quos nancisci poterant, eruditissimos illuc, vocarunt, quorum imprimis Graecae linguae et historiae philosophicae nota esset et celebrata cognitio. Quae anfae duae cum sint nativae philosophiae Aristotelicae cognoscendae, mirum non est, talibus professoribus cathedrae philosophicae praefectis iisque statoribus et vindicibus Lycei existentibus philosophiam eius a barbarie, quae recrudescere incipiebat, Scholastica assertam fuisse. Multa quoque ad hunc Lycei florem eo in loco conservandum contulit Philippi Scherbii diligentia, qui cum Rami factioni latissime tum inter Germanos grassanti se opponeret, ad ipsa Stagiritae oracla Graeca confugere, et *καλοφιλία* prurientis seculi veteris literaturae Peripateticae elegantiam opponere coactus est. Cui cum accederet prudentissima illustris reipublicae Norimbergenfis constitutio, Musis Altdorfinis data, quae arcto inter se nexu mathesin cum philosophia coniungebat; hoc ipso philosophis eius scholae medium suppeditatum est felicissimum, gnauiter in lectione Aristotelis proficiendi, quae hominem postulat mathematicarum disciplinarum haud imperitum. Quibus causis conspirantibus factum est, vt philosophiae Altdorfinae in Lyceo recentiori non minor fama esset, atque Conimbricensis, Complutensis vel Burgundicae inter Scholasticos, eiusque magna esset inter Aristotelicos huius aetatis *γνησιος* auctoritas. Quae commouit Io. PAVLUM FELWINGERVM eius scholae professorem, vt collectionem scriptorum philosophicorum a SCHERBIO, SONERO et PICCARTO editorum, philosophiae Altdorfinae titulo vulgaret. Ex hac vero schola postea, velut ex equo Troiano alii quoque praeter istam trigam, philosophi Peripatetici genuinae notae multaeque eruditionis prodierunt, de quorum meritis et doctrina cum praeclare differuerint, doctissimi viri et praematureo fato nostrae amicitiae erepti, G. G. ZELTNERVS<sup>z</sup> et SIG. IAC. APINVS<sup>\*</sup>, lectorem ad eos, ne nimii hoc loco simus, dimittimus. Quorum ille quoque de hac philosophiae Altdorfinae celebritate \*\* vna cum illustri Io. IAC. BAYERO<sup>a</sup>, Noricis Musis et orbi medico intolerabili vulnere subtracto est legendus. Durauit hic Peripateticae philosophiae cultus flosque egregius vsque ad tempora Cartesii, et discipulorum eius, quibus aliam et iucundioram planioremque viam naturalis et rationalis philosophiae ineuntibus philosophia quoque Altdorfina a tramite Peripatetico coepit deflectere, obstetricante in physica parte celeberrimo

y) Titulus libri est: Philosophia Altdorfina, i. e. Phil. Scherbii, Ern. Soneri et Michaelis Piccarti Disputationes philosophicae in vnum fasciculum collectae, et ab interitu vindicatae Norimb. 1644. 4. vid. МОХОВ. Polyhist. T. II. L. I. c. II. p. 62. Io. FABRIC. Hist. Bibl. suae T. V. p. 509.

z) Vit. Theol. Altdorf. p. 344.

\*) Vit. philos. Altdorfens.

\*\*\*) In Hist. Crypto-Socinismi Altdorf. P. I. §. 10. p. 24 seq.

a) Pec. progr. de Praeferentia philosophiae Altdorfinae quod praefixum est APINI Vitae phil. Altdorf.

rino Ioanne Christophoro Sturmio, in logica, Georgio Paulo Roetenbeccio, quorum ille *Physicam eclecticam* hic *Logicam, in qua veterum iuxta ac recentiorum philosophorum utilissima praecepta colliguntur*, edidit<sup>b</sup>, eamque philosophantibus viam patefecit, quae hodie ad eclecticae philosophiae cognitionem studiosa iuuentus successu ducitur felicissimo.

§. XXXVIII. Post Altdorfinam Iulia potissimum academia, quae *Helmstadii* floret, operam nauavit diligentissimam, ne Aristotelicae philosophiae decora Scholasticis sordibus iterum conspurcarentur. Viros enim aluit in eo doctrinae genere exercitatissimos, et de Lyceo praeclare meritos. Inter quos cum singulari fama excelluerint Cornelius Martini, Conradus Horneius et Hermannus Conringius, infra paulo planiorem inter celeberrimos Protestantium Peripateticos eorum dabimus notitiam. Praeter hos non contemnendum in hoc philosophandi genere nomen consecuti sunt Samuel Rachelius, Henricus Iulius Scheurlius, Henningus Arnisaeus, Andreas Froelingius, Henricus Rixnerus RACHELII diligentiam in philosophia veteri probauit praeter *Commentarium in Officia Ciceronis*<sup>c</sup> bonae frugis plenum, *Introductio in philosophiam moralem* quam subiunxit libris ARISTOTELIS<sup>d</sup> *de Moribus ad Nicomachum* Graece et Latine a se editis. Qui si iudice CLERICO<sup>e</sup> paulo minus Aristotelis auctoritati detulisset, vtilissimum iuris naturalis apud veteres interpretem se praestitisset. In eodem morales doctrinae Peripateticae studio cucurrit HENRICVS IVLIVS SCHEVRLIVS, cuius *Bibliographia moralis*<sup>f</sup> valde laudari solet<sup>g</sup>, et historiam ethices literariam haud ineleganter enarrat. Is imprimis ob penitiorem cum Peripateticae tum Stoicae philosophiae notitiam clarissimorum virorum laudes meruit, de quibus praeter eius biographiam quam exhibet HENR. WITTE-  
NIVS<sup>h</sup>, videndi quos laudat IOANNES FABRICIVS<sup>i</sup>. HENNINGVM ARNISAEVVM, Halberstadiensem, Francofurtum ad Viadrum primo habuit moralium professorem, tum Iulia academiae medicinae professorem, tandem in aulam Christiani IV, Danorum regis, ad tuendam regis salutem translatum, viuisque ereptum anno MDCXXXV. Is praeter scripta eruditissima; quibus artis salutaris incrementa praeclare adiuuit enarrata MERCK-  
LINO<sup>k</sup> et P. BAYLE<sup>l</sup>, imprimis de metaphysica et Politica philosophiae Peripateticae parte egregie meruit. Illius specimen est edita ab ARNISAEO *Epitome metaphysicae, in qua fundamenta Aristotelica ordine scientifico explicantur, et postea controuersiae pleraeque suis deciduntur argumentis &c. omnia composita ad mentem Aristotelis, et ex*

Ii 3 an-

b) Lips. 1709. 8. conf. APINVS l.c. p. 284 sq. qui eius vitam enarrat.

c) Francof. 1668. 8. Amstelod. 1686. 8.

d) Helmstad. 1660. 4.

e) Bibl. vniuers. T. V. p. 266. conf. BVDDE. l.c. p.

L. I. c. 4. §. 31. p. 308. STOLLIVS Hist. Lit. P. III.

§. 1. §. 33. p. 602.

f) Helmst. 1648. 1686.

g) BVDDEVS l. c. p. 292.

h) Memor. philos. Dec. V. T. II. p. 106.

i) Hist. Bibl. suae T. V. p. 289. conf. REIMM.

Hist. Lit. Germ. P. I. p. 64. 301.

k) Linden. Renou. P. I. p. 390.

l) Dict. T. I. Art. Arnisaeus not. D. p. 349.

antiquitate Graeca ac Latina longe secus, quam ab hodiernis nonnullis nouatoribus fieri solet, deducta <sup>m</sup>: huius, scripta politica plaudentibus viris doctis edita, inter quae eminet *Doctrina politica in genuinam methodum, quae est Aristotelis, reducta, et ex probatissimis quibusque philosophis, oratoribus, iurisconsultis, historicis breuiter comportata et explicata* <sup>n</sup>. In quo libro architectonicam partem philosophiae practicae Aristotelis illustrare aggressus multa lectionis copia ex optimis scriptoribus congeffit, quicquid lucem accendere argumento aptum nouerat. Vnde multa in eo libro inueniuntur, quae in alijs ipsoque Aristotele frustra inquiras. Eiusdem commatis sunt tractatus *de Auctoritate principum in populum semper inuiolabili, librique tres de iure maiestatis*, itemque *Relectiones politicae*, de quibus eius laboribus eruditus praeter P. BAYLE <sup>o</sup> consulendus Cl. REIMMANNVS <sup>p</sup>. Ita vero meruit, insigni elogiorum cumulo ornari, quae cum collegerit MAGIRVS <sup>r</sup> ipse adeundus est. Instituto nostro vnus sufficit CONRINGIUS <sup>r</sup>, cui audit *aeternum Iuliae Academiae et incomparabile ornamentum; in quo fuit ingenium capacissimum, industria sine exemplo, iudicium nullo non Aristotelicae philosophiae aliarumque artium genere subactum*. Displicent tamen MORHOFIO <sup>t</sup> controuersiae iuridicae nimis large admixtae, BOECLERO <sup>u</sup>que <sup>v</sup> visum, laudandum quidem Arnisaicum, eo quod Aristotelem sequatur: eum tamen antiquos scriptores non satis interdum intellexisse, et contra sensum ipsorum laudasse. Addimus censuris virorum doctorum, nimiam Arnisaicum affectare lectionis copiam et locorum veterum et recentiorum congestione lectorem obruere magis, quam iuuare. Quae licet ita se habeant, fatendum tamen, plurima eum doctissime annotauisse, mereturque veniam, si interdum lapsus fuerit, cum a medicae professionis viro ista scripta sint <sup>s</sup>. Ceterum hoc quoque nomine in historia philosophiae recentioris memorari meretur, quia principiis monarchomachorum se fortiter opposuit, Althusium frigidam iis suffundentem aggressus <sup>t</sup>. In rationali vero parte philosophiam Peripateticam Helmstadii illustrauit ANDREAS FROELINGIUS, Calenbergensis, logices professor et posthaec superintendens generalis. Aristotelis *Organon* enim Graece et Latine cum prolegomenis haud contemnendis edidit, artemque rationalem tractatu *de natura Logicae* explanauit, denatus anno MDCXXXII <sup>t</sup>. Tandem his iungendus quoque est HENRICVS RIXNERVS, Helmstadiensis, philosophus et theologus eius scholae celeberrimus, qui post cathedram metaphysicam et physicam, et dein theologiam Halberstadiensibus ecclesijs praeful datus est. De cuius vita videndus HENRIC. PIPPINGIUS <sup>u</sup>

Is

m) REIMM. l. c. P. IV. p. 17.  
 n) Saepissime prodit. Vniuers. editione Francof. 1606. 4. o) loc. cit.  
 p) l. c. P. V. p. 153 seqq. BOECLER. Bibliogr. crit. p. 656.  
 q) Eponymol. crit. p. 82.  
 r) De C P p. 14.

s) Polyhist. T. III. L. I. §. 3. p. 491.  
 t) l. c. p. 658.  
 u) Conf. BARTHOLINVS de Script. Danor. p. 52. MOLLER ad h. l. p. 233.  
 v) In libro de Auctorit. principum.  
 w) Vid. WITTE in Diario ad h. a.  
 x) In Memor. theolog. p. 459.

Is hoc loco memorandus est ob tractatum *de Usu metaphysicae*. Ex eo enim discitur, qua ratione isto tempore metaphysicam ad reliquas scientias diuinas pariter et humanas transferendam esse iudicauerint, qui *γνῶσκος* Peripateticam philosophiam excolere sibi sunt visi. Et hac quidem ratione per integrum fere seculum XVII Aristotelica philosophia in celeberrimo hoc Athenaeo exculta est, donec circa finem eius, et initia seculi XVIII, eclectica philosophia caput extolleret. Cuius initia si non primus excepit, certe insigniter promouit B. IO. ANDREAS SCHMIDIVS, cuius venerabilis theologi memoriam bonis omnibus carissimam debitis laudibus celebravit, dignus in eius cathedra successor, illustris IO. LAURENTIVS MOSHEMIVS, in quo habet alma Iulia, quicquid veteris recentiorisque philosophiae mysteriis, quicquid sanctioris disciplinae arcanis recludendis aptum, iuuandisque literis natum est.

§. XXXIX. Non difficilis labor esset, eundo per omnes Germanorum *Gießae.* academias, similem Peripateticorum catalogum colligere, si id ageremus, vt specialem Lycei recentioris historiam conderemus. Verum nec id institutum nostrum postulat, nec dicenda quae restant, permittunt, quae cum innumera adhuc sint, breues nos esse iubent. Damus tantum speciminis loco ex Gießensi schola Christophorum Scheiblerum, ex Leucorea, Iacobum Martini, ex Ienensi Daniele Stahlum et Paulum Sleuogtium. Qui enim Regiomontanam academiam ornauerunt Christianus Dreierus et Melchior Zeidlerus, quique praestantissimo eruditionis cultu Lipsiae eminuit, Iacobum Thomasium, sequenti Peripateticorum inter Protestantes insignium indici seruamus. CHRISTOPHORI SCHEIBLERI vitam ex FREHERO \*, SCHVMACHERO †, ROLLIO ‡, aliisque disces. Waldecciae ciuis fuit Arnfeldiae natus, Gießaeque tanta felicitate studiis innutritus, vt sumta anno aetatis XVIII magisterii laurea, anno XXI professioni Graecae linguae, et paulo post metaphysicae logicaeque praeficeretur; addita postea professione physicae extraordinaria et munere paedagogiarcae. Anno MDCXXIV autem Gießa ad Tremonenses vocatus scholae isti et ecclesiae vsque ad mortem, neglectis, quae eum Brunsvicum, Hamburgum Amstelodamum aliaque ad loca inuitabant, vocationibus praefuit, humani corporis vinculis solutus anno MDCLIII †. Is ea aetate qua philosophiae adhuc elementa alii discere solent, librum *de Anima*, aliumque *sententiarum suae axiomatum* edidit, et plurimis disputationibus, tribus centuriis editis, philosophiam Peripateticam maxima industria illustravit; conscripsit quoque *Synopsin philosophiae*. Praeclarum autem in historia Peripateticismi recentioris nomen meruit

v) Addi his ex Helmstädiensibus potest Ioannes a Felde ICtus, libro de Interpretatione et Commentario in Grotium de I. B. et P. celebris, vid. MAGIRVS l. c. p. 344. STOLLIVS Hist. lit. P. III. c. 2. p. 631.  
w) In Oratione in obitum B. abbatis habita.

x) In Theatr. p. 511.  
y) In Conspectu Waldecciae literatae.  
z) De DD. academicis ad gymnasia vel scholarum gubernacula vocatis.  
§) Perperam 1623. ponitur apud REIMM, Hist. lit. Germ. P. IV. p. 23.

meruit *Opere logico de natura et praedicamentis logicae et de argumentis logicae*; itemque altero *Opere Metaphysico* <sup>b</sup>. Non immunis quidem est a subtilitatibus Scholasticorum, quas explorare eum iubebat temporis genius, quem supra prodidimus. Laudandus autem in eo est, quod ipsum tamen Aristotelem consuluerit, illorumque *παρηρημένας* ex hoc fonte interdum sanauerit. Inde factum, ut viuus adhuc inter fummos et in toto orbe celeberrimos philosophos numeraretur<sup>c</sup>, tantique fierent opera eius philosophica, ut apud Oxonienfes <sup>d</sup> eo adhuc viuo recuderentur. Plura de eius in disciplinam quoque sacram meritis dabit HEN. WITTENIVS <sup>e</sup>. In Witebergensi schola qualis seculo XVII philosophia Peripatetica fuerit ex IACOBI MARTINI libris disci potest. Is enim non theologiam modo cathedram, sed et philosophicam magna diligentia ornauit. Vitam eius cum exhibeat WITTENIVS <sup>f</sup>, eius enarratione lector detinendus haud est. Sufficit annotasse, studiorum elementa hausisse eum Helmstadii a Daniele Hofmanno, contra cuius tamen partes, de quibus suo loco dicendum, acriter postea dimicauit. Deinde in Leucorea academia Polycarpi Lyseri beneuolentia usum, reportatis honoribus philosophicis Nordam ad gymnasii rectoratum vocatum, cum Iesuitis tanta acrimonia disputasse, ut inuidiae et insidiarum declinandarum causa Frisia excedere et ad Witebergenses cum suis dilabi cogeretur: eo vero loco tribuisse illi diuinam pronocem fatis lauta, et digna eius eruditione munera, nempe logices et metaphysices professionem, et post XXI annos theologiae quoque tradendae vocationem, inque eo axiomate summis illius loci honoribus perfunctum anno MDCXLIX fatis concessisse. Ex his enim fatis constat, inter summos illius aetatis viros et doctores suos Leucoreum Pindum eum numerauisse. Quanta vero sedulitate et contentione Peripateticam philosophiam illustrauerit, omnium clarissime ex indice scriptorum eius intelligitur <sup>g</sup>. Ut taceamus enim disputationes, orationes aliasque scriptiones Aristotelicas minores <sup>h</sup>, et *Logicam per dichotomias* explicuit <sup>i</sup>, et *Systema logicum Keckermanni* illustrauit <sup>j</sup>, et *Institutiones logicas* edidit <sup>k</sup>; tum *Exercitationes de anima* vulgauit, et *Collegium physicum speciale*, publicauit. <sup>l</sup> Maxime vero metaphysicam, *Exercitationum libris duobus* <sup>m</sup>; *Partitionibus metaphysicis*, *Quaestionibus metaphysicis* <sup>n</sup> adiuuit. Nec in his aliisque ad firmanda tantum placita et opiniones Aristotelis respexit, sed reprimere quoque, qui aliter sentirent, statuit. Inde multae illi magnaeque lites cum Rami affecis, et inter eos praecipue cum Clémente Timplero, Bartholomaeo

Kecker-

b) Nassou. 1617. 8. Marburg. 1636. 4.  
 c) SCHVPPIVS Lucian. p. 810. REIMM. p. 24.  
 MAGIVS Eponymol. p. 736. d) 1637.  
 e) in Diario ad a. c. et Mem. theol. p. 1073.  
 f) Memor. theol. p. 714 seq. FREHER. p. 546.  
 REIMM. p. 49.  
 g) Apud WITTEN I. c.  
 h) Prodierunt in collectione, quae titulo Miscellaneorum disputat. Viteb. 1608. 1613. 8. edita est.

h) Witeb. 1613. ea Rami sectatoribus Dichotomias extollentibus opposita est.  
 i) Praelectionibus extemporaneis. Vit. 1612. 1617. 8.  
 k) 1614 seqq. saepius recusas.  
 l) Vit. 1607. 4. 1617. 8.  
 m) Ibid. 1608. 4.  
 n) Prodierunt Viteb. et Lipsiae a. 1606. ad 1617.

Keckermanno, aliisque; itemque cum hostibus philosophiae quos Helms-  
stadium tulerat, et duce Hofmanno in aciem produxerat. His enim *Specu-  
lum rationis*, lingua vernacula, vastum volumen opposuit, rectius caus-  
sae optimae, iudice Ven. REIMMANNO\* consulturus, *si his homini-  
bus respondisset breuius, neruosius, grauius, planius, moderatius, et  
se a tot citatis prolixissimis, repetitionibus item et petitionibus princi-  
pii, ac cauillis et scommatibus abstinuisset*. Ceterum nimiae subtilitatis  
affectatae vitio eum infecit seculi genius, vnde factum, vt Aristotele licet  
duce, per dumeta Scholasticorum reperet, quo potuit non vera discipli-  
na Peripatetica adulterari. Cuius exemplum qui vult, ex *libris eius du-  
obus de Loco* capere potest. Habuit autem domi quoque aemulum, Io-  
annem Scharfium, Vitebergensem philosophum, inter Aristotelicos, Scho-  
lasticos et Ramistas non sine aliorum inuidia et contumelia medium tenen-  
tem, de quo, ne nimii simus, videfis Cl. REIMMANNVM<sup>o</sup>. In Ienensi  
academia inter philosophos Aristotelicos haud ignotum nomen fuit DA-  
NIELIS STAHLII Hammelburgo-Franci, qui positus apud Argen-  
toratenses, Gieffenses, Ienenses literarum atque philosophiae tyrocinis,  
cum se ingenii acumine et perspicuitate commendasset XXXI annos ca-  
thedram logicam et metaphysicam ornauit, denatus anno MDCLVI<sup>p</sup>.  
Variis enim scriptis philosophicis, quibus iudicium in Peripatetica  
philosophia haud vulgare probauit, de Aristotelis philosophia meruit.  
Inter quae *Institutiones logicae*, et *philosophiae moralis*, itemque  
*metaphysicae*; *Regulae* porro *philosophicae* a IACOBO THO-  
MASIO Dilucidationibus illustratae, et *Compendium metaphysicae in  
XXIV tabulas redactum* valde isto tempore commendata sunt<sup>q</sup>. Acu-  
men quoque philosophicum in controuersia, quae eo tempore satis acriter  
ventilata est, de origine animae, probauit, pro animae creatione fortiter  
pugnans. Eadem in schola vixit et Aristotelicam philosophiam nobilita-  
uit PAVLVS SLEVOGTIVS, logices et philosophiae primo pro-  
fessor, quem Hebraicae quoque literaturae cognitio praeclare commenda-  
uit, laudatum ex merito, qui vitam eius enarrauit Io. ERNESTO GER-  
ARDO<sup>r</sup>, GOD. GVIL. LEIBNIZIO<sup>s</sup>, THEOPHILO SPIZELIO<sup>t</sup> aliis-  
que, qui, ne lectorem nimis moremur, ipsi videndi. Is hoc nobis loco  
memorandus est, propter *Disputationes academicas* cum philosophicas  
tum philologicas, quae iunctim post auctoris fata, quae ei anno MDCLV,  
LX aetatis annum agenti obtigerunt, editae sunt. In illis elegantissimam  
non minus eruditionem quam magnam ingenii acrimoniam prodidit, et  
quamuis Scholasticos, vt hoc seculo erat more receptum, in partes vocasset,

Ienae.

eos

\*) Cat. Crit. p. 485.

o) loc. c. p. 28.

nibus Eius academicis, insertaque WITTENII  
Memor. Phil. T. II. p. 244. Inde sua hausit FRE-  
HERVS p. 1543.p) Vitam eius exhibet WITTEN. Mem. phil.  
T. II. p. 168.

q) Ediciones enumerat IDEM l. c.

r) Praefixa est haec Biographia Disputatio-

s) Discursu praelim. ad Theod. p. m. 13.

t) Templ. Honor. referat. p. 373.

eos tamen cum ipso Aristotele diligenter comparauit, lucemque obscurissimis argumentis attulit: in eo potissimum laudandus, quod philosophiae veteris historiam in subsidium haud raro vocauerit, cuius doctum specimen nobis dedit in dissertatione *de Vniuersali antea* <sup>ff)</sup>, in qua controuersis Platonis, Aristotelis, Stoicorum, Realium, Nominalium de ideis lucem haud contemnendam attulit: distincte enim et perspicue philosophatus est, licet methodo vsus sit Scholastica, quae minus iucundam eius lectionem facit. Simili ratione complures ex Protestantium coetibus addere liceret Peripateticos, si id institutum posceret: quia vero nimium id videri queat, lectorem ad Cl. REIMMANNVM <sup>e)</sup> remittimus, qui Germanorum de philosophia Peripatetica merita diligenter enarrauit.

*Impedimenta  
philosophiae  
Peripateticae  
ex inualescen-  
te factione  
Rami.*

§. XL. Nihil vero Peripateticae philosophiae imperium, quod in academiis Protestantium obtinuit, magis debilitauit, quam bellum, quod illi intulit Ramaeae factionis vehementia. Et graues quidem atque diurnas lites, quas Rami asseclae cum Peripateticis reciprocauerunt, alio loco ad historiam innouatae doctrinae rationalis delati ex instituto enarrabimus: hoc tamen loco id notare series tractationis poscit: commendauisse Ramaeam dialecticam et in contemptum adduxisse disciplinam Peripateticam, perspicuitatem atque ordinem, quem in Ramaea philosophia omnes deprehendebant, cum e contrario grauissimis tenebris tecta videretur philosophia Peripatetica. Ea enim acutum ingenium et veteris literaturae haud ignarum requirebat, et multorum annorum diligentiam haud vulgarem poscebat; quae a paucis poterant expectari. Cui difficultati cum medelam adhibuisset Philippi Melanchthonis et sequacium industria, qui insuper habitis subtilitatibus Aristotelis, summam eius philosophiae perspicuis enarrare verbis contenderant, neglectum tamen studium haud plane contemnendum effecit, vt pristina incommoda redirent. Quibus cum se inutilis subtilitas Scholastica postea iunxisset, et ad pristina metaphysicae dumeta ingenia ducerentur, mirum non est, Ramaeam philosophandi rationem, vt plerumque noua omnia ingenii se maximopere commendant, prae Peripatetica obtinuisset. Nihil tamen magis ea in re Aristotelicae philosophiae obfuit, quam quod Ramaea dialectica, quae totam artem rationalem ad dicendi copiam et ornatum referebat, multo felicius, quam Aristotelica, scholae, quam vitae aptior, disserendi et de rebus quibuscunque claros sermones miscendi artem pandere crederetur. Ita enim in eo seculo, quod sapientiam tantum non omnem ad dicendi differendi de quocunque argumento facultatem referebat, euilescere oportebat philosophiam Peripateticam, quae cum tota metaphysico habitu incederet, a politica ista philosophia ad mores hominum se attemperante, multis in locis victa est, quamuis acerrima contra Ramaeos praelia Peripatetici suscipere, nec sine vulnere dimitterent aduersarios. Docebit autem

ff) Ienae 1656. 4.

e) Hist. Liter. Germanorum P. IV. et V.



autem tractatio suo loco plenior danda, actum fuisse de dialectica et metaphysica Peripatetica, nisi earum professores, cum disputationum vehementia victoria, prout sperabant praeoptabantque, potiri haud potuissent, ad fumos principes, sub quorum imperio academiae Protestantium vigeant, confugissent, demonstratoque periculo, quod a Ramismo metuendum esse clamabant, eos monuissent, perituras breui artes omnes et philosophiam, et intolerabilem barbariem obtenturam esse, nisi malo grauissimo ipsi principes medicinam adhibeant. Quod cum illi facile crederent, vt solet in aula minima non semper curare praetor, interesse autem videretur academiarum, vigere disciplinam haecenus receptam, sanctionibus feueris et constitutionibus principum Ramaea factio suppressa est, resque Peripateticorum restitutae sunt, quibus tamen paulo post immedicabile vulnus attulit Cartesiana, et totam denique rem perdidit eclectica philosophia, vt suo loco docebimus. Et haec quidem ad rationalem et metaphysicam Peripateticae philosophiae historiam pertinent. Tangenda iam fata sunt, quae physica quoque Peripatetica habuit. Ea multo fortius longeque periculosius conuulsa tandemque radicitus euersa et pessundata est, nec vires recolligere potuit. Cum enim seculo hoc XVII, inter Anglos primus fere magnus Verulamius ineptam naturalis philosophiae Aristotelicae conditionem detexisset, et in eadem quoque gente Kenelmus Digbaeus nouam physicam meditaretur, quem feliciori conatu et laetiori gressu innumeri postea alii secuti sunt, vt suo loco luculentis demonstrabitur speciminibus: inter Gallos autem Peripateticas nugas nonnulli claram in lucem producerent, vt a Bassono factum, maxime vero Petrus Gassendus contemptis vanitatibus Peripateticis nouam de rebus naturalibus philosophandi viam, praeunte Democrito et Epicuro fuisset ingressus, adeo omnium oculos illa lux perstrinxit, vt in ipsa academia Vitembergensi, in qua metropolin olim Peripatetica disciplina obtinuerat, Andreas Sennertus, vir doctissimus, auderet semitam Aristotelicam deserere, et comitius ornatusque de rebus naturalibus philosophari. Qui cum discipulos haberet plurimos, qui obseruationibus indies a viris doctis vbique locorum institutis philosophiam naturalem augere studebant, resurgere physica Peripatetica non potuit, immo nec medicina illa vim salutarem habuit, quam attulere, viri quidem acuti, veterem physicam Peripateticam, cum recentiorum obseruationibus conciliare conantes, quod vir summus GOD. GVIL. LEIBNIZIVS, IO. BAPTISTA DVHAMEL, aliique conati sunt, alibi enarrandi. Moralis tamen philosophia Aristotelis vsque ad Samuelis Pufendorfii tempora obtinuit. Quamuis enim magis frugifera et iucunda dederit magnus Grotius, sui tamen temporis circumstantiis inseruendum ratus, nouam iuris naturalis disciplinam Peripatetico

K k 2

cothur-

u) Vid. eius Epistola ad Iac. Thomaf. T. II. Ep. 10. p. 121. collect. Kortholt.

v) In Philos. veteri et noua. Dicitur de his conaminibus infra, vbi de syncretistis et conciliatoribus sectarum agendum.

cothurno, quantumpote adaptavit, hacque ratione meruit, ut ipsi Peripatetici in eius librum commentarentur, sicque noua quasi parte auerent encyclopaediam Aristotelicam. Ast surgente ingenti animo Esaia Pufendorfio, et omni morali doctrinae Peripateticae acerrimum praedium indidente, dici non potest, quantam stragem in academiis Protestantium Aristoteles passus sit. Quamuis enim coelum terramque cieret, et misceret omnia Peripatetica factio, et nec conuitiis, clamoribus, iurgiis, nec exilio, carcere et violentis remediis quibuscunque parceret, deiecta tamen a throno, in quo per duo fere secula inter Protestantes regnauit, resurgere et pedem figere non potuit, ut suo quoque loco docebitur. Id quod extra Germaniam, et imprimis in scholis publicis Batauorum a Cartesiana philosophia factum est, quae licet diu cum Peripatetica disceptauisset, tandem vicit, et sedem tamen fixam tueri potuit. In Anglia vero Platonicae philosophiae amor, qui se animis theologorum Oxoniensium insinuauerat, Aristotelis partibus grauis fuit et exitiosus, ut infra demonstrabitur. Donec fauente Numine in libertatem se affereret humanus intellectus, abiectoque omni sectae studio eclecticae philosophiae curam susciperet. Quod quanto molimine, quoque euentu factum sit, infra suis locis enarrabitur. Et hoc quidem pacto fortuna Aristotelis in academiis Protestantium prorsus euerfa est.

*Aliae causae  
euerfae phi-  
losophiae Pe-  
ripateticae  
apud Prote-  
stantes.*

§. XLI. Fuerunt tamen aliae quoque causae, quae non quidem in se, accidentali tamen euentu Aristotelicae philosophiae obfuerunt, eiusque interitum accelerarunt, hoc loco non plane silentio praetereundae. Inter eas Cocceianorum odium in philosophiam refert ELSWICHIVS \*, ad ANTONIVM HVLSIVM prouocans, qui Cocceianos et Cartesianos coniungat, ob arcanam necessitudinem, quae inter utrosque intercedat, qua alterum genus alterius causam strenue se agere haud quaquam dissimulet, quod ex communi commercio euidenter liqueat. Alia quoque addit vir doctus, quibus euincere satagit, Cocceianos non minus inimicos fuisse Aristoteli, quam Cartesianos, pleraque tamen ex obiectionibus aduersariorum desumpta. Nos facile quidem concedimus, Cocceianam factionem aliquid ad contemnendam philosophiam Aristotelicam contulisse; ea enim spineta et aculeos theologiae Scholasticae, quos ex Aristotelis disciplina accersere solebat, valde perosa fuit, et longe alia methodo doctrinam sacram tradidit, qua qui delectabantur, non potuere non contemnere disciplinam Peripateticam, quae nullius illis usus erat, et debuit illis fordescere philosophia, quam corrumpere sacram eruditionem crederent. Ast inuita tamen veritate fieri putamus, si ob Cartesianismum omnibus id imputetur, qui Cocceii partes secuti sunt; ea enim inter Cocceianismum et Cartesianismum societas ad excitandam modo inuidiam illis

a Vo-

w) Legenda interim THEOPHILI GALEI Praefatio ad Philosophiam generalem.

x) §. 32. p. 97.

a Voëtio obiecta est 7. Certe ad alios ex hac factione theologos non pertinet, nisi illos, qui de articulis nonnullis theologicis Cartesiana ratiocinia secuti differuerunt. Inter Lutheri vero asseclas Aristotelicae philosophiae multum nocuisse putat **ELSWICHIVS** = οὐββάζειν quam nominant, Pietisticam. Monet enim fuisse, „qui studium pietatis, semel iterumque „atque iterum in scripturis diuinioribus commendatum, sed nimis per „omnes, vt rebantur, ordines statusque collapsum restituere volentes, „cum solam diuinarum literarum lectionem sufficere sibi persuaderent, in „contemptum adduxisse philosophiam, eoque dementiae nonnullos prola- „psos esse, vt praelectiones logicas et metaphysicas, quas calamo ante „exceperint, igne combusserint. Cuius rei cum exemplum aliquod ad- „duxisset, caussam quaerit in theologiae mysticae amore, quam viri isti „boni putauerint quam maxime facere ad promouendam pietatem, eo quod „micantes quasdam inusitatae pietatis stricturas in se contineat. Quae cum „surculus sit philosophiae Platonicae, facile inde rationem apparere putat, „quamobrem Peripatetica sigillatim adeo contemptim sit habita. Eius rei „testem excitat auctorem praefationis ad tabulas hodosophicas (quem **B. „Io. IAC. SPENERVM** \* esse, nemini ignotum est) eo quod ex illa occa- „sionem inuehendi pariter in Aristotelem sumfisse alii censendi sint. In „illa praefatione haec in Aristotelis philosophiam legi ἐγκλήματα, longe „maiores noxam Aristoteles ecclesiae intulit quam Plato. Peripatetica „non est melior Platonica, sed deterior. Philosophia Aristotelis omni „alia plus nocuit. Satis ex pluribus indiciis apparet, vt ei exsequias „eatur, parum abesse, nec enim quale seculum nostrum est ingeniorum „perspicacium ferax diu amplius ferre potest prislinam seruitutem. „Dici quoque alibi a: plus boni in philosophia Stoica, Platonica, Pytha- „gorica, quam Aristotelica dari, cum illa propius ad vetustiore Iudai- „cam accedat, et quaedam eius rudera complectatur“. Ad quae strictim respondet vir doctus, ita tamen, vt nec neget graues habere Peripateticam philosophiam errores, nec huius patrocinium suscipere audeat, nisi vt demonstrat, aequè patienter ferri posse Aristotelem, quam Platonem, fanaticismi patronum, &c. Nos de momentis huius disputationis hoc loco non dispiciemus, cum id limites nostros excedat, facile ipse intelliget lector, frustra patrocinium vnus sectae ex comparatione aliarum suscipi, et rectius omnem sectariam reiici philosophiam. Id vero praetermittendum non est, iniuriam fieri viro beato, et immortaliter de ecclesia literisque merito, cum is dicitur Platoniam philosophiam reiecta Peripatetica probauisse, qui luculenter innuit, omnem sectariam philosophiam suspectam esse. Ait enim b: *Platonicam, Pythagoricam, Epicuream, Stoicam, quod attinet sectas, non solum vniuersam philosophiam ex ista-*

K k 3

rum

y) Vid. **ALBERTI** Disp. de Cartesianismo et Cocceianismo, **Io. OLEAR.** Diss. praelim. ad Controu. Cartes. et Cocceian. in Synopsi controu. p. 590.

z) loc. cit.

\*) Confil. theol. Lat. P. I. c. 2. art. 1. p. 211.

a) Confil. theol. P. I. c. 2. art. 1. f. 10. p. 410.

b) loc. c. p. 213.

rum placitis frustra quaesuerimus, sed et quae suppetunt, auctores homines olent, adeoque errori obnoxios, quorum nullum tutus sequare. Sed alia mens fuit theologo vere pio prudentique, qui, cum probe nosset Aristotelem a Scholasticis mire deturpatum per tot secula non sine damno in ecclesia regnasse, hoc iugum excuti cupiebat ex animis eorum, qui facris operantur, et ad veram philosophiam grassari eos iubebat. Quod id non vult, nullas esse veritates in Aristotele, sed id tantum commendat, Deo duce et ratione comite sobrie et sine sectae ac auctoritatis praeiudicio philosophandum esse. Hinc prudenter monet et velut σοφὸν φάσμακον luxuriantibus ingeniis haec propinat: *Hoc facturi, ac ita sua manu in sapientiae adyta sibi commissos ducturi, ipsi sibi caebunt, ne in magistri vllius verba iurent, sed quae Plato, Aristoteles, Zeno vel quaecunque prisca seu noua nomina sunt, prodidere vera, reiectis assumentis falsis, assumant, non quia illis auctoribus prodita, sed quia vera agnita, quae eclectica methodus omni sectaria longe potior et certior erit, atque adeo doctoribus atque discipulis consultior. Haec lex si stet, nulla earum scientiarum, quas sub philosophiae nomine complecti solent, fuerit, cui non in gynaeceo theologiae reginae suae concedi locus possit. Quae vt pulchra sunt et egregia, et a nemine contemni possunt, qui, quid re ipsa sit philosophari, intelligit, ita satis produnt, virum fumum non Platonicae, vt Aristoteli aegre faceret, philosophiae frigidam suffudisse, eamque damnato Stagirita commendasse, sed reiecisse philosophiam sectariam omnem et eclecticum philosophandi genus comprobauisse. Vnde dica, quam ei, nescio qua mente, scripsit Elfwichius, ad eum non pertinet. Fatemur tamen, adeo in damnando exagitandoque Aristotele desipuuisse nonnullos, qui ad sinceriores pietatem orbem perduxisse sibi visi sunt, vt non Aristotelicam modo philosophiam, sed omne quoque philosophiae genus condemnarent reiicerentque<sup>c</sup>. Quales homines ineptos eiecto ratiocinationis criterio suis nugis et ferocientis imaginationis somniis praesidium quaerentes ideo philosophiam omnem, cum Aristotelica reiicere, vt deliria sua triumphent, intelligent, quicumque eorum querelas altasque, quas de cathedra pronuntiant, voces expendunt. Quorum loca cum more suo diligentissime conquisiuerit GOTTFRIDVS ARNOLDVS<sup>d</sup>, apud eum facili negotio legi possunt. Verum de huiusmodi hominibus infra quoque, vbi de hostibus philosophiae agendum, aliquid dicendum est. Ceterum verum fuisse Vaticinium B. Speneri, fore, vt Aristotelicae philosophiae exsequias eatur, euentus comprobauit: ita enim hodierno die in academiis Protestantium euiluit Aristotelis auctoritas, vt non sit, qui vni illi sectario nomine adhaereat, et non malit philosophari eclectice.*

## §. XLII.

c) Exemplum sume ex Io. FRID. HAYGII Praef. ad Theosophiam pneumaticam.  
d) Hist. eccles. et haeret. P. II. L. XVII.

§. XLII. Haec Aristotelis inter Protestantes fortuna fuit, quam rudi haftenus penicillo adumbravimus. Dicendum etiam aliquid esset, quem locum inter Arminianos et Socinianos habuerit, nisi argumenti prolixitas locum in hac nostra tractatione respueret. Nos *ὡς ἐν παρόδῳ* heic loci monemus, repetendum esse, quod supra iam diximus, noluisse pati Geneuenses, vt Arminius, cum studiorum caussa in ea schola commoraretur, Ramaeam logicam doceret. Addendum istis, quod porro narrat GERARDVS BRANTIVS <sup>e</sup> eius negotii pertaesum Arminium tempore aliquid dandum Geneuamque aliquandiu relinquendam statuisse, sedibus Basileam traductis, ibique summum ingenio et doctrinae eius honorem habitum esse. Quod ideo obtigisse opportune monet cel. MO S H E M I V S <sup>f</sup>, quia maius Basileenses pretium doctrinae Petri Rami statuerint, apud quos iam antea Io. Thomas Freigius discipulorum Rami non postremus, docuerit, et tum Altdorfio relicto commoratus fit teste MELCH. ADAMO <sup>g</sup>. Immo ipsum Ramum Basileae versatum fuisse ex vita eius a FREIGIO scripta liquet. Idem tamen Arminii biographus in sequentibus narrat, eum Geneuam reuersum comperisse, plerosque eorum, quos defendendis circa philosophiam Petri Rami placitis non ita pridem irritauerat, multum de rigore suo remisisse; Itaque ipsum quoque, ne fautores suos hac via offenderet amplius, de impetu suo remittendum ratum, ita se porro gessisse, vt acutum ipsius excitatumque ingenium summa cum animi moderatione coniunctum quisque suspiceret et miraretur. Ex quo colligimus, Arminium, vel callidum simulatorem palpum Geneuensibus professoribus obtrufisse, vel reuera ex Ramista syncretistam factum, inter Aristotelem et Ramum conciliatorem egisse, quam viam iniisse Bartolomaeum Keckermannum suo loco dicemus. Inde vero factum esse putamus, vt Arminii sequaces non tantopere ab Aristotele abhorrent, quam ab iis fieri oportebat, qui grauem dicam reformatis scribebant doctoribus. Quamuis enim feruente schismate nonnullos satis acerbe in Aristotelem fuisse inuectos supra ex epistola Caroli Niellii obseruauerimus, fatendum tamen, plerisque satis commode cum Aristotele conuenisse. Cuius luculenta exempla duo existunt ex hac asseclarum Arminii parte magni viri Gerardus Ioannis Voslius <sup>h</sup> et Hugo Grotius. Et ille quidem adeo Aristotelis veneratione captus fuit, vt non erubuerit scribere, postquam laudes eius recitasset: *Quid multis? si non partem aliquam virtutum, sed totum philosophum consideremus, vnus ille ingenii acie ac varietate doctrinae, eorum qui praecesserant lumina tantum praestinxerit, quantum sol lunae et siderum minorum.* Grotium autem in decantatissimo *de Iure belli et pacis* opere Aristotelica multoties principia secutum fuisse, immo ne a Scholastica quidem philosophia sibi temperauisse, nemo est scriptorum eius lector non incuriosus, qui ignoret, et ipsa

*Aristotelis  
fortuna inter  
Arminianos.*

<sup>e</sup>) In Vita Arminii p. 12.  
<sup>f</sup>) Ad h. l.

<sup>g</sup>) In Vir. Iureconf.

<sup>h</sup>) De Sectis philos. c. XVII. §. 5. p. m. 83.

ipsa eruditissimi cetera libri docet inspectio. Cuius rei exemplum esse potest, quod Aristotelis errorem, non dari in morali doctrina certitudinem, non modo ipse errauerit, sed recenti quoque condimento ex eruditionis suae penu defumto gratiorem reddere et verifimiliorem fategerit. Caussam vero cur Grotius multa Aristotelis dogmata in libro de I. B. et P. retinuerit, cur maximis eum adulationibus super omnes philosophos extulerit, cur Scholasticos a modestia tantopere laudauerit, eorumque placita haud pauca receperit, eam esse vir doctissimus, qui *Grotii Manes vindicatas* eleganti tractatione nobis exhibuit <sup>i</sup>, putat, quia postquam ex Patauia in Galliam se contulit, variis hominum ingeniis sese accommodare, et vbique locorum inseruire tempori necesse habuerit, si salarium suum factum tectumque retinere, aulae gratiam conseruare, neque ecclesiasticos vsorum circulatores irritare vellet, ac in se concitare. Licet coniciat, hoc ideo quoque euenisse, quod academia Parisiensis, certa quadam ratione anno MDCXI ad Aristotelis doctrinam fuerit adstricta, illudque decretum per parlamentum anno MDCXXIV et XXIX confirmatum sit. Nos facile quidem concedimus, eo lubentius se Aristoteli et Scholasticis Grotium attemperauisse, quo gratius id fore nouisset illis, a quorum gratia eo tempore pendeat. Certi tamen sumus, Grotium, cum praeceptores Aristotelicos habuisset, et in ea philosophia fuisset educatus, isto iuuentutis praeiudicio impeditum, quod eo tempore summos quoque viros fascinabat, non ausum fuisse huius philosophiae principia contemnere, quamuis nouam disciplinam, Peripateticis magnam partem ignotam condere coepisset. Eadem enim ratione aliis quoque inter Remonstrantes idem accidisse, facile ostendi potest. Certe Simonem Episcopium, cum ad penitus eam intelligendam, verba damus PHILIPPI LIMBORCHII <sup>k</sup>, rotum se addixisset, ac triennium in hoc studio magna cum diligentia impendisset, et postremo, ubi se theologiae applicuit, non tamen omisisset philosophiam, ad quam ingenti, arcana eius penitus rimandi cupiditate subinde redibat, aliam philosophiam, quam Peripateticam, elegisse, nullibi legitur, et ex eo philosophiae genere, quod sub initio seculi XVII Lugduni Batauorum perfonuit, ipsisque qui tunc docere eius praeceptoribus, intelligitur, quos Peripateticos fuisse, acta eius academiae literaria testantur. Melius tamen hic quoque postea coetus sapuit, eclectica philosophia recepta, quae plurimum ex eo grege debet Ioanni Clerico. Ceterum nec inter Socinianos Aristoteli defuisse asseclas luculento exemplo comprobauit IOANNES CRELLIVS. Is enim cum Altdorfii praeceptores habuisset Conradum Rittershusium, Scipionem Gentilem, Nicolaum Taurellum, Ernestum Sonerum, Michaëlem Piccartum <sup>l</sup>, quorum nominibus nihil celebrius eo tempo-

Inter Socinianos.

i) p. 277.

k) Vita Sim. Episcopii p. 4.

l) Vid. SANDIVS Biblioth. antitrinitar. p. 150.

ARNOLDVS Hist. eccles. P. II. L. XVII. §. 15. p. 538.  
SAM. FRID. LAVTERBACH. Ariano-Socinian.  
Polon. c. II. n. 37. p. 351.

tempore fuit in orbe Aristotelico, ratio inde intelligi nullo negotio potest, cur Peripatetica ei philosophia tantopere arriferit, illique operam ipse haud vulgarem impenderit? Et ex hoc ipso agro, cum imprimis a Soneri ore penderet, Socinifini femina, in animo sparfa foecunda habuit, vt pulchre obseruatum Cel. ZELTNERO <sup>m</sup>. Nec depofuit philosophiae Aristotelicae amorem, cum ob doctrinae diffenfum in Poloniam recederet, Racouienfem scholam rectorus, et ministerio sacro postea functurus, in quo munere anno MDCXXXIII, vix tres supra quadraginta, annos natus obiit. Nam licet ecclesiae, cui se addixerat, pomeroiis dilatandis, eiusque placitis defendendis esset intentus summopere, scripsit tamen *Ethicam Aristotelicam ad sacrarum literarum normam emendatam, quam ethicae Christianae virtutum et vitiorum subiunxit* <sup>n</sup>. Quam Germanico quoque habitu exornatam produisse auctor est SAM. FRID. LAUTERBACHIVS <sup>o</sup>. Cur autem Socinianis Aristotelica philosophia gratiae inimica arriferit, non ignorant, qui horum hominum placita intelligunt.

§. XLIII. Haftenus, quantum licebat, strictim, breuique narratione fata philosophiae Aristotelicae in coetibus eorum, qui a Romanae ecclesiae placitis discesserunt, enarrauimus: liceret iam ad aliarum sectarum Graecanicarum restauratores progredi, ni, quem semel ingressi sumus in condenda Peripateticifini recentioris historia, tramitem deserere fas haud esset, non recensitis prius viris illis celeberrimis, quorum studio Peripatetica philosophia quam maxime seculo XVI et XVII inter Protestantes floruit. Quos licet praetereundo quasi digito tetigimus, tanta tamen fuit nominis eorum claritas, tanta eruditionis existimatio, tanta in Aristotelicam philosophiam puriorem et natiuam meritorum gloria, vt omnino aequum esse censendum sit, vt paulo plenior eorum literaria exponatur historia. Inter eos summo loco ponendum esse Philippum Melancthonem, communem Germaniae praeceptorem, ex iis, quae de meritis eius in philosophia iam tradidimus, satis quidem constat. Quia tamen verus ille primusque philosophiae Aristotelicae elegantioris et natiuae restaurator fuit, eoque duce ipsa philosophia aliam accepit faciem, digna eius vitae historia est, quatenus philosophiae fata respicit, quae accurate exponatur: cum plurima sint in ea occurrentia, quae in historia philosophiae seculi XVI negligi omittique haud possunt. Huic postea subiungemus alios de Lyceo recentiori meritissimos viros, Simonem Simonium, Iacobum Schegkium, Philippum Scherbium, Nicolaum Taurellum, Ernestum Sonerum, Michaëlem Piccartum, Cornelium Martini, Conradum Horneium, Hermannum Conringium, Christianum Dreierum, Melchiorem Zeidlerum, Iacobum Thomafium. Quibus nominibus nihil praeclarius fuisse in theatro Peripatetico-

Celebriores  
Peripatetici  
inter Prote-  
stantes.

m) Hist. Crypto-Socin. Altdorf. §. 10. p. 62.  
o) loc. cit. p. 362.

n) Tom. II. Bibl. Vnitar. f. Fratrum. Polon.

ticorum, norunt, qui Annales literarios seculi XVI et XVII paulo curatius euoluerunt.

Fontes historiae literariae Philippi Melanchthonis.

§. XLIV. Ducem caputque se praeuisse PHILIPPVM MELANCHTHONEM illis, qui relictis fordibus Scholasticis ornatus prudentiusque philosophari cupiebant, ex haecenus dictis est notissimum. Ille itaque velut ὁδηγὸς viaeque verus auctor ad philosophiam Peripateticam puriorem considerandus, eiusque historia literaria expendenda est. Tantus autem ille vir fuit, tot meritis in ecclesiam et rempublicam literariam illustre sibi nomen comparavit, tantisque nexibus arcte eius historia cum fatis, quae ecclesia seculo XVI habuit, cohaeret, vt integer liber illi scribendus sit, qui plenam immortalis famae viri historiam scribere velit. Quod cum nostrarum paginarum refugiat angustia, respuantque, qui nobis positi sunt cancelli, nihil hoc loco de actis eius meritisque dicemus, quibus indelebilem sibi in ecclesia peperit memoriam. Reperient ea, quae ad tanti viri plenam historiam comparandam facere possunt, qui his delectantur, in annalibus ecclesiasticis, iis praecipue, quos laudabili instituto summaque eruditione et accurate condidit illustris VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIUS. Vehementer autem dolemus, interceptisse mortem laborem χαλεπότερον FABRICII, quem vulganda diatriba *de Religione et scriptis Melanchthonis* suscipere promiserat <sup>p</sup>, et pauca tantum collectanea quaedam ad eam superesse <sup>r</sup>. In ea enim demonstraturum se recipit vir in his quoque literis summus, Melanchthonem et literas tum humaniores et philosophiam, tum illas grauiiores quoque ac theologicas insigniter illustrauisse ac promouisse. Hoc itaque interprete dum caremus, illi consulendi sunt, qui summi viri historiam accurate exposuerunt, et quaecumque non modo pro ecclesiae salute suscepit gessitque, sed quae etiam pro artium, et scientiarum incrementis egit, enarrauerunt. Quamuis autem complures sint, qui celeberrimi theologi et philosophi vitam exposuerunt, biga tamen virorum doctissimorum Ioachimi Camerarii, et Viti Winshemii eo magis ante alios consulenda est, quo magis testes illi sunt de rebus Melanchthonis omni exceptione maiores, qui et scire res eius potuerunt intima illi amicitia et praesentia quoque multorum annorum iuncti, et causam, cur mentiantur, non habuerunt. IOACHIMVS CAMERARIUS enim, qui multorum annorum amicitiam, consuetudinem et commercium literarium cum Melanchthone aluit, et intimas eius rationes atque circumstantias pernoit, vitam eius eleganti scriptione enarrauit, editam hoc titulo: *De Philippi Melanchthonis ortu, totius vitae curriculo, et morte, implicata rerum memorabilium temporis illius hominumque mentione atque indicio, cum expositionis serie cohaerentium, narratio diligens et accurata* <sup>r</sup>. In qua vitae Melanchthonia-

p) Centifol. Lutheran, P. I. p. 436.

q) Vid. Cl. REIMMARI Historia vitae Fabricii p. 210.

r) Lips. 1566. 1592. 3. qua editione nos vtimur. Recusa est, cura FRID. BENED. CARPZOVII Lips. 1696. 8.



nianae historia res non tantum priuatae, sed et publicae tanguntur, quibus interfuit Philippus, historia autem literaria et philosophica, quantum ad Melanchthonem pertinet, accurate exponitur, vnde calculum viro- rum doctorum ista biographia meruit, licet sint, quae non iniuste in ea desiderentur. Alteram vitae rerumque Melanchthonis enarrationem debemus VITO WINSHEMIO, theologo et professori Ebraicae linguae in academia Vitebergensi, quam solenni oratione recitauit in exequiis Melanchthonianis, qui cum intima quoque amicitia Philippo iunctus fuerit, quae vero dixit, coram frequentissima pronunciauit auditorum corona, quae res magni viri omnes nouerat, fide quauis dignus est. Ex his duabus biographiis vitam Melanchthonis duplicem confarcinauit MELCH. ADAMVS, eamque inter Vitas theologorum\* et philosophorum exhibuit, quibus locis lectoris commodo merita Melanchthonis de disciplinis sacris et profanis simul vno fasce comprehendit. De quibus cum nonnulla collegerint quoque, recentiores historiae literariae scriptores ANTONIVS TEISSIERIVS, PETRVS BAYLE, THOMAS POPE-BLOUNT, IAC. FRID. REIMMANNVS, illi quoque consuli debent, vt quanta in literis et philosophia fuerit Melanchthonis gloria intelligatur. Commendari quoque deberent, si titulo responderet tractatio, *Collectanea locorum communium, per multos annos ex lectionibus D. Philippi Melanchthonis et aliorum doctissimorum virorum relationibus excerpta* a IOANNE MANLIO. Ex eiusmodi enim libris miscellaneis haud raro de viris doctis et arcanis eorum circumstantiis iudicari feliciter posse, neminem latet, qui literariae historiae fontes intelligit. Ast non immerito fidem in ea collectione desiderant et iudicium amici Melanchthonis, ex his imprimis IOACHIMVS CAMERARIVS, recteque obseruarunt, parum ex inepta hac corraione dictorum Melanchthonis vel lucis vel claritatis accedere ad historiam viri maximi: vnde, etsi in ea nonnulla occurrunt, quae ad Melanchthoniana de philosophia merita pertinent, ad eam tamen non prouocabimus.

§. XLV. Natus est Philippus, dictus Schwarzerd, id enim Graecum Melanchthonis nomen in vernacula nostra vult, Brettiae Palatinatus superioris oppido XIV Cal. Martii anno MCCCCXCVII, domo et familia honesta, patre Georgio magistro armorum, apud principes Palatinos

Vita Melanchthonis.

L 1 2

Phi-

g) TEISSIER. Elog. T. II. p. 26. SECKEND. Hist. Lutheranism. L. II. §. 57. p. 156. MORHOF. Polyhist. T. I. L. I. c. 19. §. 34. p. 223. BOECLER. Bibliogr. crit. p. 141.

r) Vid. Casauboniana p. 29. WOLF. ad h. l. CRENIVS de Libris scriptorum optimis p. 205.

u) Extat T. V. Declam. Melanchthonis p. 283 sq.

x) pag. 327. y) pag. 154.

z) loc. cit. T. II. p. 35 seqq.

a) Diſt. T. III. art. Melanchthon p. 369.

b) Cenſ. celebr. auct. p. 615.

c) Hist. lit. Germ. Vol. III. p. 120 seq. addi potest MATTHESII Vita Lutheri, vbi multa quoque de Philippo occurrunt.

d) Basil. 1562. g.

e) loc. cit. p. 88.

f) Vid. WOLF. l. c. Praef. p. 10. Cat. Reimann. p. 110.

ff) Conf. Monumenta diem annumque natalem Melanchthonis designantia apud CHR. IVNCKERVM in Memoria Lutheri numismatica, p. 141. ed. Germ.

Philippum et Rupertum : de cuius virtutibus, quibus se ipsi Maximiliano imperatori et viris principibus aliis fecit commendatissimum, multa iucunda et memorabilia narrat CAMERARIUS<sup>g</sup>. Ex cuius obseruationibus patet, eum non inter fabrilis artis rudimenta substituisse, sed machinis quoque bellicis affabre fabricandis feliciter insudauisse<sup>h</sup>. Is cum plerumque in aulis haereret, gratosus ob artis praestantiam apud viros principes, de Philippi educatione pie prospexit auus; qui quoque, cum is patrem anno a Christo nato MDVIII amisisset, senili nostrum prudentia, grauitate et integritate cum auctoritate summa rexit educauitque. Is itaque vt agrum, quem foecundum esse mature intelligebat, sparsis literarum seminibus iusto tempore coleret, nepotem scholae patriae erudiendum commisit, et quamprimum discendis literis aetas apta fuerat, sollicitate curauit, vt, quam acceperat, indoles excellentissima iusta cultura exornaretur. Inde vero abductum, quod praeceptor lue venerea infectus esset, domestico magistro formandum tradidit, Ioanni Vngero, quem se grauem annis Phorcae vidisse virumque integerrimum puram euangelii doctrinam praedicantem audiuisse scribit CAMERARIUS<sup>i</sup>. Huius viri memoriam conseruauisse Philippum ait WINSHEMIVS<sup>k</sup>, donec vixit, singulari cum pietate et veneratione; sine dubio quod ad eum literarum optimarum rudimenta referret. Cum autem eam prae se indolem ferret Philippi ingenium, de qua optima quaeque sperari possent, et emineret illa vis animi, qua et celeriter perciperet, atque comprehenderet, quae tradebantur, et fideliter meminisset, et liquido exponere illa sciret, ad eam scholam traductus est, quam non sine laude regebat Portae Hercinae Georgius Simlerus, qui iurisprudentiam postea Tubingae docuit. Quo loco memorari meretur, quod CAMERARIUS<sup>l</sup> tradit, cum plurimis in locis, melius iam tum, quam dudum, pueritia institui et doctrina in scholis vsurpari polior coepisset, quod et bonorum auctorum scripta in manus sumerentur, et elementa quoque Graecae linguae alicubi proponerentur addiscendum, cum seniorum admiratione maxima, et ardentissima cupiditate iuniorum Simlerum initio doctrinam haud vulgandam aliquantisper arbitratum, Graecarum literarum Scholam explicuisse tantummodo aliquot discipulis suis, quos habuit carissimos, priuatim. His itaque literis dum insatiabili discendi desiderio inuigilat Philippus, linguae Graecae Latinaeque artiumque, quae ab humanitate nomen sortitae sunt elementa feliciter haurit, eaque fundamenta ponit, quibus totum postea elegantissimae eruditionis inaedificauit aedificium. Factum autem est non sine prouidentiae diuinae nutu, quae nostrum reformandis emendandisque literis destinauerat, vt in domo fororis Ioannis Capnionis, cognatione Philippo iunctae degere posset. Quo loco cum haud raro diuenteret Ioannes Reuchlinus, isque puerorum, qui ibi instituebantur, explorare ingenia foleret, facile Philippi

g) l. c. p. 2 WINSHEM. p. 286.  
h) Conf. BAYLE l. c. not. A. SECKENDORF.  
Hist. Lutheranismi L. II. §. 57. p. 156.

i) pag. 5.  
k) p. 286. Conf. B. MAII Vita Reuchl. p. 144.  
l) pag. 6.

Philippi indoles supra modum alacris bonarumque artium studiis intenta illius in se conuertit oculos. Is itaque attente considerare naturam pueri et ingenii profectus explorare coepit, qui cum omnibus responfionibus praecelleret, miratus Reuchlinus ingenii fingularem profus et mirificam praestantiam, spe fingulari de eo concepta acriter ad profequendum literarum studium cohortatus est, libellos etiam quosdam ei donauit, inter quos erant plenior Grammaticae Graecae institutio, lexicon Graecum, et bibliorum codex; imposito ei, vt honestam aemulationem accenderet, pileo purpureo, quod doctoratus insigne ipse olim acceperat <sup>m</sup>. Et heic quoque nomen eius germanicum in Graecum Melanchthonis conuertit, vt ipse ab Hermolao Barbaro Capnionis nomen pro vernaculo Reuchlini acceperat. Ex quibus constat, errare quidem MORHOFIVM <sup>n</sup>, qui Reuchlinum inter praeceptores Melanchthonis numerat, ast plurimum tamen apud Melanchthonem adolescentem Capnionis exhortationes valuisse, vt insatiabili desiderio in bonarum literarum stadio currere pergeret. Quo <sup>ἐργασίῳ</sup> cum Philippus Latinae Graecaeque literaturae se dedisset, felicissimo conatu illa tum fundamenta iacta sunt, quibus post ea tempora splendidum doctrinae Melanchthonianae superstructum est aedificium. Ita per biennium literarum elementis haustis ad pleniorum ingenii cultum et mercatum doctrinae vberiorum Heidelbergam, quae parentis eius patria erat, missus est, anno MDIX, quo vix duodecimum aetatis annum exegerat. Ibi quamuis admodum adolescens ob ingenii rarissimi praestantiam morumque suauitatem atque venustatem adeo carus bonis omnibus fuit, vt cum in domo Pallantis Spangellii theologi versaretur, isque eius integritatem, virtutem et doctrinam mire depraedicaret, comes Ludouicus a Löwenstein eum liberorum suorum praeceptorem deligeret. Meruit itaque inter pueros praecoces a BAILLETO praedicari <sup>o</sup>, eo meliori iure, quo maiori eius postea eruditio enituit, nec hanc ei gloriam ringens quidem etiam apud hostes veritatis eripuit inuidia. Plurimum autem ad augendam Philippi eruditionem contulit honesta cum viris doctissimis, qua in domo Pallantis fruebatur, conuersatio, inter quos maxime familiariter vsus est Petro Sturmio Argentoratensi, Iacobi fratre. Cui cum tunc priuatus doctor adesset Iacobus Wimphelingius, vir vt optimus et integerrimus, ita eruditissimus, et tum temporis inter literatissimos suae aetatis homines numeratus <sup>p</sup>, eius amicitia ad augendas doctrinae diuitias Melanchthoni iuueni fuit vtilissima. Sed et alios viros doctos amicos habuit, qui cum dicendi fingendique facilitate excellerent, in

L 1 3

vtroque

m) WINSHEM. p. 287. CAMERAX. p. 9. MA-  
SVS l. c. p. 145.

n) Polyhist. T. I. L. I. c. 19. p. 223.

o) De Pueris praecocibus p. 129. Conf. BAYLE  
l. c. not. B.

p) Iacobus Wimphelingius Sletstadio - Alatus  
natus est anno 1449. haustis sacrarum disciplina-

rum iurisque pontificii praecceptis in academiis  
Friburgensi, Basileensi, Erfordiens ac Heidel-  
bergenfi, Spiram ad obeundum ecclesiae mu-  
nus ob disertissimam concionandi rationem voca-  
tus est anno 1494. seculi tamen pertaesus, depo-  
situs munere Heidelbergam profectus, ibique et  
auctores optimos interpretatus est, et iuuenes  
formare

utroque orationis genere, haud segniter se exercuit, et utriusque copiam illam sibi comparauit, quam hodiernum in viro summo miramur. Neque tamen seueriores disciplinas neglexit, sed philosophiae studio se quoque tradidit, tanta ingenii, quod acute videbat, et in quaestionum nexus facillime penetrabat, facilitate, ut narrat WINSHEMIVS <sup>7</sup>, Melanchthonem quaestiones Gordio nodo difficilius explicabiles de propositionibus modalibus, itemque de vniuersalibus realibus, quae multum rixarum inter disputantes pariebant, dissoluisse, et certamina haec cum magna omnium admiratione sustulisse. Placuisse autem Melanchthoni Nominalium partes, quae in ista schola dominabantur, *praecedenti* iam Tomo docuimus, et alibi quoque eius rei testes excitauimus. Praeter philosophiam autem Graecae linguae colendae diligentiam suam tribuit, scripsitque eo tempore *Rudimenta Graecae linguae*, quae postea in publicum edita sunt. Ita supra aetatis mensuram eruditionis fructibus maturus primam, quam vocant lauream anno MDXI, quatuordecim annos natus accepit, ipsum magistrum philosophici honorem consecutus, nisi adolescentia obstitisset. Triennio ita apud Heidelbergenses exacto, cum inimica ei esset quotannis in auctumno coeli grauitas, quae febrim concitare solebat, a matre periculum metuente in Tubingensem scholam translatus est. In quo literarum mercatu cum eo tempore omnis generis disciplinarum doctores praestantissimi viuerent <sup>8</sup>, a quorum ore pendeat iuuentus, campum Philippus ingressus est patentissimum, in quo non modo animi diuitias honestarum disciplinarum studiis partas mirifice auget, sed et congestos eruditionis thesauros aliis panderet. Itaque audiuit ibi et theologos, et iurisconsultos et medicos, et libros omnium professionum optimos inspexit, et ex omni eruditionis apparatu sibi copias comparauit affluentissimas. Cum autem elegans ingenium nutriret, quod et perspicuitatis esset amantissimum, et ad certum vitae humanae fructum omnia referret, valde illi displicuerunt obscurae et spinosae intricataeque quaestiones, quorum nugatoria, ut ait CAMERARIUS <sup>9</sup>, subtilitate exercebantur et defatigabantur ingenia. Idem narrat WINSHEMIVS <sup>7</sup>, testatus, solitum Philippum

formare paedagogumque selectis ingeniis se praebere non erubuit. Inter quos adolescentes fuerunt optimi, Petrus et Iacobus Sturmii, et comites Leonistenii. Monachorum vero persecutionibus molestissimis expugnatus in patriam rediit vitam otiosam egit usque ad annum 1528. quo obiit. Vid. Vita eius apud ADAM, Vit. theol. p. 21. et scriptores Hist. lit. ecclesiast. DYPNIVM T. XIV. p. 117. CAVEVM p. 117. add. STRVVI Bibl. antiq. T. I. p. 237. Non imparatum habuisse animum a philosophia, ex libris de Conditione boni principis, et de Adolescentia liquet. Vtus est ТРИНЕМЮ familiariter, quem de eo vide de Vir. illustr. Germ. c. 263. et de S. E. c. 925. p. 222. 223. 263.  
q) pag. 288.

r) Hist. de Ideis sect. II. §. 4. p. 207.

s) Inter eos amicitia imprimis Philippo intercessit cum Henrico Bebelio, et Ioanne Brassicano, vid. CAMERAR. p. 14. Henricus Bebelius autem Iustingo-Sueuus, historiae peritia tum maxime enitebat, ut ex scriptis eius constat apud SCHARDIVM, GOLDASTVM et FREHERVM in notissimis Collectionibus scriptorum rerum Germanicarum. Alia enarrat SIMLERVS ad Gesneri Bibl. conf. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. II. p. 492. Hinc Melanchthonis diligentia in studio Historico.

t) pag. 15.

u) p. 289. Valde tum arrisisse Ethicam Aristotelicam hominibus, mirum haud est, inter coecos enim luscus imperabat, et inter nugatores egre-

lippum de his ineptis et inutilibus disputationibus in rebus grauissimis multa ridicula ipsorum deliramenta commemorare. Inter quae hoc quoque fuisse ait: monachum quendam pro concione omiffa euangeliorum doctrina ethicam Aristotelis explicasse, non paruo audientium studio, qui cupidius Aristotelica cognouissent, quam fabulas aniles, quibus implere templa illius barbaricae superstitionis temporibus vsitatum fuerit. Philippus autem, quem non nisi solida delectabant, ingenii aciem potissimum ad sacram scripturam conuertit, quam cum aliquando in templo in manibus tenens legisset, ideo suspectus factus est, adeo diuinioris sapientiae studium eo tempore refrixerat. Post haec veterum potissimum auctorum lectioni se tradidit, et praecipuos in quouis disciplinarum genere scriptores veteres attente legit. Tum viuentium doctorum optimos sibi magistros elegit, et praeter Henricum Bebelium et Ioannem Brassicanum, Franciscum Stadianum in philosophia audiuit, et hunc praecipue coluit et dilexit. Cuius haud obscurum reliquit MELANCHTHON<sup>n</sup> testimonium hoc loco non omittendum, eo quod ex illo constet, Stadianum ad refuscitandum elegantiorum Peripateticae philosophiae habitum, auctore potissimum et instigatore Melanchthone multum tribuisse. Narrat enim, „Stadianum, eruditione ac vitae genere tali fuisse, vt a bonis doctisque „omnibus certatim diligi mereretur, adeoque eo se vt fratre semper familiarissime vsu esse. Eum Analytica posteriora Sueuicae iuuentuti anno „superiori praelecturum accepisse a se Themistii libellos Latine redditos „ab Hermolao Barbaro. Addidisse se quaedam e Philopono transcripta, „admonuisseque illic ab Aristotele rhetorica doceri. Legisse haec Stadianum, relegisseque, et quo fuerit iudicio, protinus ad scopum aduertisse „animum, ibi re penitus cognita et pro ingenii sui felicitate aucta illustrataque tot notabilibus, acceptionibus, distinctionibus exauctoratis, causam „integram vellet recuperatorio iudicio restituisse, scholae simpliciter ac candidissime summam rei τὸ ἄλφα καὶ ὠμέγα traditurum. Adhaec male precatum „nugis obnixae a se contendisse, Aristoteli purgando socias manus adiicere; „ret; conaturum omnia sese pro viribus, vt artium elementa vindicta „barbarorum liberarentur. Primi nominis studia a sordibus recipi non „posse, nisi purgatis adolescentiae rudimentis. Id fere quemque in summis posse, quod in infimis affueuerit. In summa omnia sibi de grandioribus polliceri, si exercendae iuuentae ratio melior iniretur. Placuisse „amici consilium et negotium vna literarium se suscepisse. Ex quo loco

memora-

egregie sapiebat Aristoteles. Vnde factum, vt ipsi Melanchthoni atque Luthero mirifice illa placeret, vt ex testimoniis Aët. phil. Vol. II. p. 589. allatis manifestum est. Non vero Tubingae tantum sed Heidelbergae quoque Aristotelem pro concione explicatum esse obseruat MELCH. ADAMVS, Vit. philof. p. 186. Itcundamque simili de re narrationem ex GASMERI Vita Lampadii recitat ELSWICHIUS de Fortuna Aristotelis in Academ. Pror. §. 12. p. 33. dignam, quae

ibi tota legatur. Lepidum enim fuit, Ioannem Grouium Brunsvigae in concionibus ad Aristotelem saepius prouocantem, cum orationem sacram his verbis incepisset: Sic dicit Aristoteles, excitato per futorem quendam campanae sono ad silentium redactum, exque suggestu sacro ipsaque vrbe cum Aristotele suo expulsus fuisse.

n) Orat. de Studiis corrigendis Declamat. T. I. p. 502.

memorabili clarum est, Stadianum inter primos referendum esse, quibus cum Melanchthone debetur purgati restitutiue inter Germanos honoris Peripatetici gloria, inque eo iam tum versatam fuisse Philippi adhuc iuuenis industriam, vt natiuam Aristotelis philosophiam barbariei Scholasticae situ plane obductam ex squalore puluereque resuscitaret, sicque planiorem philosophandi viam restitueret. Praeter philosophiam mathematicarum disciplinarum praecepta Melanchthon a Ioanne Stoefflero \* didicit, cuius tunc maxima in hoc eruditionis genere erat fama atque existimatio. Neque vero a solo praeceptorum ore pendendum esse statuit, sed et Graecos scriptores assidue legendos sibi sumisit, in quo labore socium habuit Ioannem Oecolampadium. A quo Rudolphi Agricolae dialecticam dono accepit, quo monstrante laetorem ipse postea viam in dialectica tenuit. Et haec quidem studiorum philosophicorum et philologicorum Philippi tyrocinia fuere, quibus rite positis et absolutis anno aetatis XVII, qui erat a Christo nato decimus tertius supra millesimum trecentesium, magistri philosophiae titulum atque iura suscepit.

*Melanchthonis de literis et philosophia merita docendo Tubingae acquisita.*

§ XLVI. Hoc axiomate auctus Melanchthon cum indefessa hactenus diligentia animi diuitias congefisset, ad explicandos communicandosque eum aliis thesauros eruditionis animum applicuit. Priuatim vero Virgilium atque Terentium adolescentibus exposuit, eo quod in humaniori disciplina egregie valeret. Quod cum publice innotuisset, lectio illi oratoria demandata est, quod commouit eum, vt Cicero- nem quoque atque Liuium, quos optimos Latinae linguae dicendique auctores nouerat, praelegeret. Et vt ex omni se parte vtilem reipublicae eruditae praestaret, molestam quoque officinarum typographicarum inspectionem non refugit; cumque eo tempore Thomas Anselmus typographus Tubingensis editione librorum eruditione praestantium rem literariam iuuare pro virili constituisset, illi operam Philippum addixit suam. Et tum grande illud historiarum volumen a N A V C L E R O corrasum magis ineptarumque fabularum farragine corruptum, quam accurate conscriptum, recognouit, infinita, quae vel superuacanea erant, vel fide indigna, resecuit, confusa in ordinem redegit, corrupta emendauit, mutila compleuit, alium-

x) Etiam hic Iustingae in Sueuis natus fuit, Vid. ADAMI Vit. philos. p. 73. BAYLE Dict. T. IV. Art. Stoffer p. 285. et qui passim eius meminit M. CRYSIVS, in Ann. Sueuicis. Cum naturali inclinatione ad matheos studium ferretur, pro suae aetatis conditione in eo plurimum profecit. Fatiale eius Bibliothecae, chartis instrumentisque mathematicis incendium fuit, quod omnem supellestem eius librariam consumpsit. Quia autem Sebastianus Munsterus eius Msc. et quaecunque ille inuenerat, sibi descripserat, hac ratione diligentissimi viri labores conseruati ad posteros sunt, Munstero tamen egregie eo vitulo

arante. Obiit octogenarius anno 1533. XIII. Cal. Mart. relictis Ephimeridibus, ratione compositionis astrolabiorum, Comm. in Procli Sphaeram, Tr. de duplici proiectione terrae in planum, aliisque de quibus post GESNERVM videndus VOSSIVS de Scient. mathem. p. 186. Inclauit praedictionibus astrologicis: Diluuium enim in annum 1524. mundiue finem in annum 1558. definiebat, in vtroque falsus. Vid. BAYLE l. c. not. B. Si CALVISIO ad ann. 1531. fides, mortis genus ex camerae corruentis vel potius repositorii collapsi conuassatione sibi quoque praedixit. Alii tamen peste extinctum esse referunt.

aliumque prorsus et concinniore multo vultum libro reddidit, effecitque, ut maiori in posterum vtilitate liber ille legi adhiberique posset, et a multis adpeteretur. Eo vero sexennio, quod in Tubingensi academia Melanchthon exegit, frequentissima ei multaque fuit occasio, cum Capnione conuersandi, quae res studia Melanchthonis literaria valde adiuuit. Quotiescunque enim Stutgardia Tubingam diuertebatur Capnio, in Scholastico apud Philippum diuersorio commorari, quam commodiorem locum deligere maluit. Cumque in eodem cum illo collegio cibum caperet, fauentissima illi occasio inde enata est, ex abundantissimae viri illius celeberrimi doctrinae penu sua horrea locupletandi. Sed et alia illi ratio Capnionem deuinxit. Feruebant enim eo tempore certamina, quae Reuchlino cum monachis quibusdam ex familia Dominici et Colonienfibus theologis Iudaeomastigis intercedebant, de quibus infra in Reuchlini vita plura commemorabimus. Quae cum valde molesta Reuchlino accidissent, qui crudeliter ab iniquissimo bipedum genere vexabatur, suam pariter atque literarum, maxime philologicarum, quibus exitium parabatur, causam strenue defendit, multaque scripsit, partim Romam, partim ad imperatorem missa. Haec pleraque Philippus ipse manu sua descripsit, causamque bonam quibus potuit rationibus adiuuit. Plurimum tamen eo tempore in philosophiae studiis versata est Melanchthonis diligentia. Quae cum nugis tricisque detestandis ea aetate in academia Tubingensi mire discinderentur, tantaeque inter Nominales et Reales orirentur controuersiae, ut ad dimicationes quoque et pugnas haud raro partes discederent, concertationibus non tantum pertinacibus verborum, sed manuum quoque violentis; indignatus Philippus, contubernium bonarum artium et philosophiae studiis destinatum, in contentiosam inimicamque factionum acerrime praeliantium arenam conuerti, ad sananda ista dissidia, melioremque philosophiae sensum iuuentuti instillandum animum adiecit. Quod qua ratione fecerit, ita narrat CAMERARIUS: *Philippus, qui certam docendi differendique rationem probaret, et Aristotelica in hoc genere primas tenere intelligeret, magnificas et splendoras et amplas alteras disputationes non amabat. Quamuis autem in verborum contentione sua sententiam ita asseveret, ut aduersantes facile refelleret; id tamen eximia humanitate, et parata omnibus, qui uti vellent, opera perfecit, ut sua auctoritate interfectas illas odia restinguerentur, et quamuis studia discreparent, voluntatum tamen maneret coniunctio.*

## §. XLVII.

y) CAMERARIUS p. 16. WINSHEM. p. 290. ex his BAYLE et BAILLET. II. cc.

z) Videndus ipse MELANCHTHON. Or. de

Capnione T. III. Declam. p. 294. add. MAIUS Vita Reuchlini p. 148.

a) p. 22. 23.

*Melanchthonis  
Vitebergam  
vocati merita  
de philosophia.*

§. XLVII. Ita confecto per sexennium artium et philosophiae cursu in academia Tubingensi ad aliam literarum sedem munusque amplius Melanchthon vocatus est, cum eius dotibus et doctrina vti diuina prouidentia constituisset. Nempe cum academiam recens Vitebergae fundatam optimis et eruditissimis magistris ornare cuperet Fridericus Saxoniae dux et elector, cui a prudentia sapientis nomen haesit, isque anno MDXVIII in comitiis Augustanis Capnionem et per literas et coram interrogauisset, qua ratione nouae literarum sedi prospici conductis viris doctissimis posset, Melanchthon optimo principi a Capnione vehementer commendatus est, quippe quem ea doctrina illoque literarum cultu praestare nosset, quo non possint non ad scholam recentem magna ornamenta et vtilitas haud parua accedere <sup>b</sup>. Quo de consilio Capnionis digna sunt lectu, quae annotauit illustris SECKENDORFIVS <sup>c</sup>. Quamuis autem adhuc iuuenis esset Melanchthon, ita tamen iudicium Reuchlini apud principem valuit, vt postquam de eo conducendo ille cum Philippo egisset, is ad docendam linguam Graecam ab electore vocaretur. Cui vocationi, quae amplissimum Melanchthoni campum aperiebat orbi literato inseruendi, paruit, inque ea vrbe VIII Cal. Septembris, vt obseruatum MELCH. ADAMO <sup>d</sup> appulit. Magnis iam eo tempore successibus vsa erat reformatio doctrinae a Martino Lutero instituta, qui eiectionis indulgentiarum, quas vocant nundinis castiorem euangelii professionem reuocauerat: adeoque in theologiae studio cuncta nitorem spirare coeperant et emendationem prae se ferebant. Ast in philosophia artibusque liberalibus atra nox ingeniis adhuc incumbibat, cunctaque barbarie situque obdlexerat. Cuius testem habemus *ἀντίπτην* WINSHEMIVM <sup>e</sup>, narrantem, *adeo difficile fuisse huic calamitati mederi, cum omnia foeda barbarie ceu densa caligine obruta iacerent, vt multi barbarico coeno sepulti etsi propter principis auctoritatem palam aduersari minus auderent, tamen clam vel contemnerent, vel obtreffarent, deessent praeterea exempla Graeca, et officinarum typographicarum inopiam, ita vt auditores describere cogentur propter exemplorum inopiam, quae explicabantur.* Neque haec ad solas literas Graecas et Latinas pertinebant, sed in philosophia quoque melior lux ingeniis non affulserat. Explicabatur enim *expositio magistri PETRI TARTARETI super summulas PETRI HISPANI, cum allegatione passuum Scoti doctoris subtilissimi*, cuius editionem procurauit Martinus Mellerstadius Pollichius, sumtus editionis suppeditauit ipse princeps elector <sup>f</sup>. Ex his de reliquis iudicari et ex hoc vngue leo cognosci potest. Valde haec philosophandi barbaries offendit Lutherum, qui quam male consultum esset

<sup>b</sup>) CAMERARIUS p. 24. 25.

<sup>c</sup>) Hist. Lutheranismi L. I. §. 33. add. 2. p. 44.

<sup>d</sup>) Vir. Theol. p. 330. SECKENDORF. l. c. p.

43. Non itaque hic primus fuit, qui hunc aduentus Philippi diem designauit, quod putauit Co-

LERVS in Epist. ad Cel. HEYMANNVM Act. phil. Vol. II. p. 604. inserta, qua memoriam huius aduentus vir doctus recoluit.

<sup>e</sup>) p. 292.

<sup>f</sup>) Vid. ELSWICH. l. c. §. 8. p. 17.



effet ingenis iuuenum philosophiam affectantibus, vt erat iudicio maximo, probe perpexerat, vt supra luculentis testimoniis demonstratum. Cum ergo Vitebergensibus Musis iunctus esset Melanchthon, mox amicitiam cum eo iniiit vir magnus, illumque eo permouit, vt emendando quoque artium et philosophiae curriculo manum admoueret, eiectisque illis purgamentis Parnassi castiorem doctrinam et elegantiores libros introduceret. Quod licet innumeris, vt dictum, premeretur difficultatibus, intra paucos tamen annos, teste iterum, qui tum studiorum formandorum causa ab ore Philippi pendebat WINSHEMIO, Philippus eam lucem non tantum linguarum, sed et ceterarum optimarum disciplinarum ibi extulit, vt vnus huius viri ingenio et opera haec schola facile ceteras in Germania academias celebritate superaret. Ipse vero Philippus cum manum operi admouisset, ad condenda noua et artium, et disciplinarum philosophicarum systemata animum adplicuit, illudque disciplinae philosophicae genus introduxit, quod in antecedentibus accurate delineauimus. Quod cum elegantia, ordine et perspicuitate se egregie commendaret, densa illa barbariei caligo, quae ingenia obfederat, suppressa, et doctrinae elegantioris lux restituta est. Ab eo tempore arctissima inter Lutherum illumque intercessit amicitia, qua communi cura laboreque restituendae veritati, profligandis erroribus, ordinandae ecclesiae, defendendae euangelii doctrinae, leuandisque, quae ex omni parte coetui puriori imminebant calamitatibus et periculis manus iunxere focias, et cum temperamento gauderent diuersissimo voluntatum tamen consensione et mira inter vtrumque concordia maximum illud saxum felicissimo successu voluerunt, quod ringente licet inuidia, immortalem fecit heroum incomparabilium memoriam <sup>ε</sup>. De quibus tamen Philippi conatibus et laboris industria, ecclesiam quouis modo iuyandi, cum in annalibus ecclesiasticis dici soleat, pleraque etiam accurate profecutus sit SECKENDORFIVS, hoc loco, vbi alia agenda sunt, nihil addimus. Illud tamen scriptionis nostrae scopus notare iubet, plurimum Lutheri profunditati et immenso, quo vtebatur, iudicio profuisse perspicuitatem et lucem illam ingenii, qua excellebat Philippus, eiusque elegantiam doctrinae soliditati Martini plurimum luminis addidisse. Quamuis audiendi non sint, qui Lutherum nobis barbarum et ab omni humaniori disciplina imparatum sistunt, contenduntque, Melanchthonem solum medicam manum Lutheri scriptis admouisse, elegantiam et dicendi nitorem addidisse, et ita lectori commendauisse, quod post alios insigni mendacio repetit HADR. BAILLETVS <sup>h</sup>, ipsum enim Lutherum suo cortice nauauisse satis euictum est atque exploratum. Illud autem verum est, Lutherum consiliis Melanchthonis vsu esse, si quid fa-

M m 2

cra-

g) Confer. quos laudat FABRICIVS Centifol. Luther. P. I. p. 436. P. II. p. 823. De hac amicitia extat Georgii Sabini epitaphium Melanchthonis:  
*Hic inuicte tuus, collega Lutere, Melanchthon  
 Non procul a tumulo conditur ipse tuo.*

*Vt pia doctrinae concordia iunxerat ambos,  
 Sic sacer amborum iungit hic ossa locus.*

h) loc. cit. conf. SECKENDORF. l. c. TEISS. Eloges T. II. p. 36.

erarum linguarum meditationi curaque illius occurrisset, cum Graece doctissimum esse Philippum optime nosset, intelligeretque, quantis artium liberalium praefidiis, quinimmo philosophiae quoque copiis esset instructus. Et haec quoque causa fuit, cur ad thraonem Eccium in colloquio Lipsiensi aggrediendum oppugnandumque Philippum secum commilitonem adduxerit. In quo congressu cum linguarum et philosophiae auxilio valde Eccium Melanchthon premeret, illi impatienter Philippi doctrinam ferenti has voces expressit: tace tu, Philippe, ac tua studia cura, nec me perturba<sup>i</sup>. Ab eo vero tempore promouendae causae Dei, doctrinaeque euangelii tum domi apud iuuentutem, tum foris in diuersis ecclesiis diffeminandae confirmandaeque totus insudauit Philippus, et ore pariter ac scriptis pro euangelio stetit, calamumque haud raro, ut in ipsis comitiis Augustanis anno MDXXX factum, commodauit, conuentibus plurimis interfuit, et nihil non cum Lutero egit, quod tanto negotio inseruire posse intelligebat. Quae tamen enarrare omnia, et indefessa tanti viri in rem sacram et ecclesiam studia describere huius loci haud est. Neque tamen magnis rebus intentus, artium et philosophiae curam abiecit, sed quam semel restituere coeperat disciplinarum elegantiam augere, polire, emendareque contendit: Testem damus, iustum eius rei et intelligentem arbitrum IOACH. CAMERARIUM<sup>k</sup>, ita de Melanchthone scribentem: *Scholasticorum doctrinam publice priuatimque assiduo exercebat Philippus Melanchthon, optimarum artium studia confirmando, et expoliendo, ordiens ab horum quasi pueritia, et progrediens ad vltimam velut aetatem, id quod annis aliquot perfecit, ut initium cum fine denique coniungeretur et coiret, et omnis ista tractatio orbe vno comprehensa absolueretur, cuius Graecum nomen esse placuit ἐγκυκλοπαιδείαν.* Quod consilium ut exequeretur, et ipse quidem iuuentutem in collegiis manu fideliter duxit, et per discipulos quoque, quos in isto stadio feliciter currentes educauerat, duci curauit, et habitis frequenter declamationibus, ab aliis plerumque recitatis, et iunctim postea laudabili consilio editis<sup>l</sup>, de disciplinarum et philosophiae studiis pulcherrime disseruit. Quae orationes imprimis illis legendae sunt, qui, quae magni viri de artibus et philosophia et de libris scriptorum veterum optimis, sententia atque iudicium fuerit, intelligere cupiunt. Eleganter enim, et doctissime, magnaque perspicuitate de grauissimis argumentis disseruit, et consilia vbique insperfit luculenta et vtilissima, et eam quoque philosophicae historiae notitiam haud raro exhibuit, ut facile pateat, optimis subsidiis instructum ad philosophiam eum accessisse. Vnde non ineptum laborem suscepit GEORG. RICHTERVS, ecclesiastes Gorlicensis, qui iudicia scholae Melanchthonis<sup>m</sup>,

ex

i) WINSHEM. l. c. p. 294.

k) pag. 57.

l) Prodiere quinque tomis Argentorati et Vi-rebergae ab an. 1544. ad an. 1565. editis. Accessere postea Tomus VI et VII 1571. 1586. vid. Ven.

VOGTIVS Cat. libr. rar. p. 385. Bibl. Hamburg. Historica Cent. II, p. 141 seqq. Cent. III p. 140 seqq.

m) Titulus integer libri infrequentis hic est: Iudicia florentis scholae Melanchthonis de le-ctione bonorum auctorum, in omni genere di-scipli-

ex his declamationibus collegit, ex quibus ingenium Melanchthonianum suis facile coloribus discerni, et quantus in his quoque literis vir fuerit, cognosci potest. His vero artium et disciplinarum restituendarum studiis Philippi debemus Compendia philosophica ab eo emissa, *Dialecticae, Doctrinae moralis et physicae*, itemque *de Anima*, quorum innumerae fere prostant editiones. In quibus epitomis philosophicis fatetur, *se, includere in artium et methodi septa; nullum fere quoque suorum librorum, praesertim philosophicorum esse integrum ac absolutum; ast se commodum iuuentutis respicere monuit*, idque in scholis quaerere: et quanquam ipse multa in suis desideret, ac deesse agnoscat, ex ingenii sui tarditate, iniuriis fortunae, et aularum quoque debilitate atque otii penuria: tamen minus poenitere laborum, si superiorum annorum cogitet inscitiam. Quam excusationem veram esse et magnopere pro Philippo valere, aequus iudex facile concesserit. Maxime vero inter labores philosophicos curae fuit Melanchthoni, dialecticam perficere, eamque ab inutilibus Scholasticorum tricis et nugatoria subtilitate ad vtilitatem scientiarum omnium traducere. Ante Philippum enim ut vbiq; fere, ita in academia Vitebergensi quoque tota dialecticae disciplina inanibus strophis et inutilibus cauillationibus absoluebatur. Id quod memorabili WINSHEMII<sup>p</sup> loco illustramus, eo quod statum philosophiae eo tempore, quo eius emendationem suscepit Melanchthon clarissima in luce ponant. Ita vero ille: „Extant ab Aristotele scripti in dialectica libri multi, qui communi nomine et titulo inscribuntur, Organon logicum, quorum alii de aliis artium partibus agunt, sed cum in his tantum sit caliginis et tenebrarum, ut superior aetas, quae Aristotelicae doctrinae pene plus, quam verbo Dei, dedita fuit, se inde euoluere non posset, accidit, ut multi huic malo mederi, et his tenebris lucem aliquam afferre conarentur. Hi vero cum linguarum et dicendi artium adminiculo destituerentur, et in barbarico coeno sepulti ac infantes essent, nec scribendi aut dicendi usum vllum haberent, non modo hoc non potuerunt efficere aut consequi, Aristotelicas tenebras ut illustrarent, sed et has ipsas tenebras ipsi maioribus tenebris, et ambagibus inuoluerunt atque obscurarunt. Ita accidit, ut riuus fontibus magis turbidi ac limosi essent. Hoc in numero cum alii multi (fuit enim haec praecipua scholarum doctrina eius aetatis) tum et Tartareus recensetur, eum ut praesentem Deum haec schola ante aduentum Philippi coluit, de quo, ut venuste, ita vere lusit quidam:

*Tartara quod vincis et coecae nubila mentis*

*Nomen conueniens ergo libelle tenes.*

M m 3

„Reuera

disciplinarum, in quibus infinitae regulae studiorum adolescentiae continentur; collecta ex tomis intimationum, declamationum, epistolarum et praefationum Philippicarum et ex aliis Philippipporum didacticis et orthodoxis scriptis in usum iuuentutis scholasticae, Viteb. 1592.

Isleb. 1597. quae editio titulum habet: *Crises Melanchthonianae* vid. de hoc libro STRVVIUS *Introd. in Hist. lit.* p. 397. WOLF. *Praef. ad Casaub.* §. 7. p. 10. TEISSIER *Elog. T. II.* p. 50. n) *Epist. L. I.* p. 350. ADAM. *Vit. theol.* p. 361. o) *Conf. Praef. Erotem. dialect.* p) p. 298.

„Reuera enim densa caligine et tenebris plusquam tartareis intoluti sunt  
 „illi commentarii. Accidit igitur in scholis tunc versantibus, quod acci-  
 „dere neceffe fuit, vt cum totam vitam in hac pene sola arte consumerent,  
 „ad eius tamen cognitionem nunquam peruenirent. Sed in puerilibus et  
 „spinosis altercationibus Scholafticis tempus sine fructu terebant. Cum-  
 „que proprium fit huius artis officium, has duas virtutes, vt instruat nem-  
 „pe, vt iudicium formet, et fontes inuentionis ostendat, ipsa vtraque hac  
 „virtute penitus destituebantur. Ad iudicandum enim magis inepti erant,  
 „quam vel vlli idiotae, inuentionis autem ne nomen quidem norant.  
 „Inanibus tantum rixis inter se certabant. Socratesne an Plato curreret,  
 „ita misere tota illis vita labore inani sine fructu consumebatur“. Hacte-  
 „nus ille; ex quo testimonio patet, satis magna fuisse merita summi viri,  
 „quod, vt hoc eiusdem edisseramus verbis, *haec laboriosissima et fidelissima*  
 „*apicula peruolauerit per vniuersos doctrinarum campos, atque inde ex*  
 „*variis scriptorum flosculis lectissimum et dulcissimum fructum in fauos*  
 „*digesserit*. Id enim potissimum respiciebat Melanchthon, vt mislis inuti-  
 „libus nugis et susceptis sine fructu disputationibus dialecticae Peripateti-  
 „cae praecepta ad verum, quem in disciplinis reliquis habere possunt vsum  
 „transferrentur. Vnde iterum laudatus Philippi Encomiastes, iudicauit,  
 „si nullo alio orbem philosophicum beneficio praeceptor affecisset, quam  
 „quod vel vnam hanc disciplinam in tam luculentum, discentibus com-  
 „modum, et obuium compendium, atque in vnum quasi corpus contu-  
 „lerit, et hanc lucem huic reginae ac gubernatrici disciplinae praebuerit,  
 „quae antea in tenebris plusquam Tartareis, quam alte et secure sedebat;  
 „tamen vel ob hoc vnum beneficium ei non posse pro merito gratiam re-  
 „ferre totam in aeternum posteritatem. Agnoscere haec multos aliis in  
 „locis viros doctos et bonos, proque hoc beneficio, quod Aristotelici  
 „pelagi fluctibus erepti sint, Deo gratias agere, et frui hoc beneficio di-  
 „uino ea, qua bonos ac pios decet pietate ac gratitudine“. Quae licet  
 „nimia forte dicta queant videri, facile tamen ferri et admitti possunt, si  
 „eum prioribus et inutilibus dialecticae artis vitilitationibus Melanchthonis  
 „comparetur dialectica. Quae cum vitae et disciplinarum vsibus esset  
 „adaptata, vniuersi orbis philosophici plausum meruit. Cuius memora-  
 „bile exemplum narrat IOANNES MATHESIVS <sup>9)</sup>, qui eo tempore vixit,  
 „et ab horum virorum ore pependit: magnum quendam virum, in acade-  
 „mia Viennensi libere factum esse, quamuis saepissime legerit Petrum de  
 „Span, nec se tamen nec collegas suos sciuisse, quid sit medius terminus  
 „in syllogismo, donec rationem eius ex Philippi dialectica didicissent. Val-  
 „de vero Philippo philosophanti profuere disciplinae mathematicae, quas  
 „eum a Stoeffelero in Tubingensi academia didicisse supra memorauimus.  
 „Quod cur susceperit, quodque ab artibus mathematicis auxilium philoso-  
 „phiae sperandum esse putauerit, cum ipse in Declamatione *de Mathema-*  
 „*ticis*

9) Conc. de Vita Lutheri p. m. 65. a.

*ricis disciplinis* r luculenter exposuerit, eum ipsum adire lectorem iubemus. Qua ratione vero hunc in finem academiae studia ornauerit, et imprimis siderum cognitionem, accersito eam in scholam Caspare Borneo promouere fategerit, apud CAMERARIUM r legi potest. Omnium vero maxime in Melanchthone laudandum esse existimamus, quod philosophiae facem praetulerit historiam; cuius luculenta passim exhibuit specimina. Cum enim per omnis aetatis scripta apis instar vagando, vtilissima quaequae magno iudicio decerpisset, et in vnum quasi horreum congestisset, ex veris fontibus omnem philosophiae historiam magno collegit digessitque acumine. Nec errabimus magnopere a scopo affirmantes, omnem aetatem Scholasticorum simul sumtam vni Melanchthoni in philosophiae historia concedere debere, nec eius lumina attingere. Cuius si quis exempla cupiat, luculenta iucundaque inter declamationes haud pauca inueniet; vna vero *de Studiis veteris philosophiae* oratio, quam ex calamo Philippi pronunciauit gener foci eruditione in hoc quoque argumento non indignus Caspar Peucerus, satis demonstrabit, quam egregie Philippi doctrinam adiuuerit veteris philosophiae cognito. Ex his vero, quae pro instituti ratione differuimus, si iis iungantur, quae in antecedentibus de philosophandi methodo Melanchthoniana prolixè attulimus, facile de ipsa Philippi philosophia iudicium formari poterit. Si enim vel ipsam viri summi studiorum rationem, vel docendi, quam adumbrauimus, methodum, vel discipulos intueamur, sole meridiano clarius constabit, non sine vrgente ratione nos Melanchthonem inter Aristotelicos *synctas* tales retulisse, eique primum inter Protestantes locum rectè tribuisse. Non diffitemur, Melanchthonem quidem Heidelbergae Tubingaeque Peripateticam doctrinam edoctum, plurimum sibi satisfecisse visum esse, quod ex Graecis Aristotelis interpretibus pulchriora quaedam centonibus Scholasticis didicisset: cum autem ex Tubingensi academia in Vitebergensem euocatus esset, ibique contracta cum Martino Luthero amicitia, eiusque iudicandi vim admiratus audiuisset, quam strenue ille in Aristotelem Scholasticum inueheretur, similia statuisse, cumque magna, quae ex illa labe in ecclesiam redundauerant detrimenta damnaque intellexisset, satis dure de Aristotele fuisse locutum, ipsamque Lutheri sententiam diferta apologia defendisse r. Id enim *capite huius libri primo* euidenti testimoniorum nube ipsi demonstrauius. Nec id magnopere mirabitur, qui, vel summam, quam tum potiebatur Lutherus auctoritatem, ingentemque, quo in emendandam ecclesiae doctrinam ferebatur feruorem cogitauerit, vel expenderit, Melanchthonem vix viginti vnusque annorum aetatem supergressum, et ingenio subtimidum, nouum quoque in istis sedibus hospitem, attemperauisse se eorum moribus, quos vigere eo in loco videbat. Vnde factum, vt in disputatione quadam

r) T. III. p. 239 seqq. vbi Io. Regiomontani vitam enarrat. Laudatur ideo Vosro de Scient.

math. p. III. s) p. 75, 76. ADAM. Vit. phil. p. 197.  
t) Conf. BAYLE l. c. not. K.

dam primo isto aduentus sui tempore habita Aristotelem vanissimum philosophiam vocare non erubuerit <sup>a</sup>. Ideo inter Aristotelis aduersarios Melanchthonem referre non dubitauit RAPINVS <sup>x</sup>, recte ideo notatus clarissimis viris P. BAYLE <sup>y</sup> et G. STOLLIO <sup>z</sup>. Verum mutauisse cito Melanchthonem animum, vel, quod rectius dicitur, pristinam mentem illi rediisse, omnino, nisi fallimur, dicendum est. Nam ut alia sententia, et diuersa, a Luthero opinione ducebatur, putabatque, non tam ipsum Aristotelem Graecum, quam Scholasticum a Luthero damnari, iniqua vero ferendum esse recte statuebat, imperium Aristotelem in theologia obtinere, id quod haud contemnendis rationibus contra Didymum Laurentinum ipse demonstrat: ita, si haec ab Aristotele separentur, satis ferri eum posse iudicabat, ratus, fore, ut si Aristoteles sibi reddatur, libereturque a seruitute Scholasticorum intraque philosophiae cancellos redactus a liminibus theologiae arceatur, emendentur quoque, quae impia atque profana eius systemati ineffent, res omnis in vado sit, nec periculum ecclesiae ab eo metui debeat <sup>a</sup>. Qua opinione semel concepta cum ipsum Aristotelem eiusque interpretes Graecos legisset, non desperandum esse iudicauit, ut ex ipso Aristotele pulchrior restitueretur philosophiae facies. Quamuis autem eclecticam philosophandi methodum melius substituisset, caussis tamen, quas supra enarrauimus impeditis, et praeiudicio sectariae philosophiae quasi compedibus vinculus, a tramite Peripatetico discedere non potuit. Qua in sententia mire confirmatus est, cum hominum ineptorum, qui Anabaptisticos errores disseminabant, furoribus omnem eiici philosophiam, omnemque accurate ratiocinandi artem perdidit conculcari, inque hoc ignorantiae alylo praesidium detestabili fanaticismo quaeri cerneret. Ex his enim sui temporis circumstantiis recte inferebat vir prouidus et supra modum acutus, opus esse philosophia quae artem ratiocinandi traderet, iustisque limitibus animum coerceret, et prudentem statuendi rationem doceret. Id quod ex illis, quae supra diximus, et ex parte quoque a CAMERARIO <sup>b</sup> tacta sunt, certum est atque indubitatum. Huius vero generis Aristotelicam philosophiam esse, Melanchthon iudicabat, in qua doctrinam de methodo eleganter tradi, eam autem in reliquis sectis negligi censebat, hincque valde Aristotelicam dialecticam commendabat: ut ex *praefatione ad Erotemata dialecticae* liquet <sup>c</sup>. Non quidem ea mentis caligine oppressus Melanchthon putandus est, ut eclecticam philosophandi rationem, quae veritates per sectas dispersas colligit, et in vsum vertit contemneret. Alia eum praecepisse, supra iam memorauimus, et notabili loco monet <sup>d</sup>: *Nolo philosophando quenuquam nugari: ita enim fit, ut communis etiam sensus obli-*

u) Vid. Relat. innoc. 1705. p. 659. AG. philos. Vol. II. p. 594.  
x) Reflexions sur la philosophie p. 451.  
y) loc. cit. not. (K.)  
z) Hist. lit. P. II. c. I. p. 394.

a) Conf. SECKENDORF. L. I. p. 108.  
b) pag. 47.  
c) Falsus id est CARAMVEL Theol. rat. T. II. p. 42.  
d) De Studiis corrigendis T. I. Declam. p. 506.

*uisicare. Sed ex optimis optima selige, eaque cum ad scientiam naturae tum ad mores formandos attinentia.* Ea in sequentibus pluribus commendat, huicque fini obtinendo adhibendam esse eruditionem Graecam suadet, legique theologos, historicos, oratores, poetas cupit, ita tamen, ut rem quisque ipsam adsequatur, non umbram rerum. Huic vero scopo inferuire posse putat, et valere plurimum iudicat Aristotelis moralia, leges Platonis, Homerum fontem omnium disciplinarum, Virgilium ac Horatium. Quae omnia in sequentibus mira eruditione explicat, dignus qui ipse legatur, cum optima consilia suppeditet. Verum non haec ita ad rhombum applicuit Melanchthon, ut sectariam philosophiam omnem deferendam esse statueret; cui et obstabat temperamentum Philippi timidum, placidoque quidem animi motu profluens, at ad concipiendas maiores concitationes mentis, quas philosophiae emendatio poscebat, ineptum; et impediabat consilium exemplum maximorum virorum, qui cum philosophiam a barbariei iugo liberandum suscepissent, in sectaria tamen philosophia perstiterunt. Satis itaque philosophantium coetibus, quin et ipsi ecclesiae consultum esse vir optimus censebat, si collata philosophia, quam ex sectis optimam elegeret, cum scriptura sacra, illius defectum ex huius plenitudine suppleret emendaretque. Id enim diferto testimonio euincunt *Theses publicae* ventilationi a Philippo anno MDXLII expositae, quas ex tenebris iterum protraxit B. IO. CHR. COLERVS<sup>e</sup>; inter quas *vigesima* haec praecipit: *Prodest studiosis erudita collatio philosophiae et doctrinae, quam Deus de sua voluntate et de vita perpetua tradidit ecclesiae.* Quae si cum antecedentibus comparentur, clare demonstrant, supplementa Philippum philosophiae atque emendationem ex reuelatione quaesiuisse. Cum itaque certum statutumque esset, Melanchthoni in sectaria via philosophari, delectu inter sectas Graecanicas habito, ad Aristotelicam velut optimam peruenit, cum se illi reliquae non probauissent. Valde vero contemnebat, et velut inimicas Christianae ciuitatis decretis damnabat sectas Epicuream et Stoicam, nec meliora dare incertitudinem Academicorum iudicabat. Ita enim satis luculenter *reliquae sectae plene sunt sophisticae, et absurdarum et falsarum opinionum, quae etiam moribus nocent.* Nam illae hyperbolae Stoicorum sunt omnino sophisticae, bonam valetudinem, opes et similia non esse bona. *Commentitia est ἀπὸ θεοῦ falsa et pernicioosa opinio de fato.* Epicurus non philosophatur, sed scurratur, cum affirmat, omnia casu extitisse, tollit primam causam, et dissentit in totum a vera physicorum doctrina. Fugienda est et academia, quae non seruat methodum, et sumit sibi licentiam immoderatam omnia euertendi: quod qui facere student, hos necesse est multa sophisticae colligere. Restabat itaque Pythagoreo-

e) Aet. phil. I. c.

f) De Utilit. phil. T. I. p. 353. conf. T. II. p. 360.

goreo-Platonica et Aristotelica secta. Quamvis autem Platonem tum ob doctrinae vbertatem, tum ob praeclaras de Deo diuinisque sententias magni faceret, eumque a doctis viris diligenter legendum esse contendere, vt ex elegantissima declamatione, qua *Vitam Platonis* descripsit, et obseruationes insperfit prorsus egregias, constat, praefendum tamen Aristotelem esse statuit ob ordinem et methodum. Duobus ea de re locis mentem suam aperuit Philippus, nempe in *Vita Platonis* <sup>g</sup> et in *Vita Aristotelis* <sup>h</sup>. Vterque legendus et comparandus cum altero, vt de vera Melanchthonis mente constet. Dabimus ipsa viri magni verba, vt euoluendi taedio lectorem liberemus, praefertim cum fati rara sint declamationum Philippi volumina, nec vbique, praefertim extra Germaniam occurrant <sup>i</sup>. In priori vero ita differit: *Cum eam, quam toties Plato praedicat methodum, non saepe adhibeat, et euagetur aliquando liberius in disputando, quaedam etiam figuris involuat, ac volens occultet, denique cum raro pronuntiet, quid sit sentiendum, assentior adolescentibus potius proponendum esse Aristotelem, qui artes, quas tradit, explicat integras, et methodum simpliciozem, ceu filium ad regendum lectorem adhibet, et quid sit sentiendum plerumque pronuntiat. Haec in docentibus vt requirantur, multae graues causae sunt. Vt enim satis dentibus draconis a Cadmo seges exorta est armatorum, qui inter se ipsi dimicarunt, ita, si quis serat ambiguas opiniones, exoriuntur inde variae ac perniciosae dissensiones. Et post pauca subiicit: Cum asseret lector Aristotelicam methodum, facile quasi intra certas metas includet eas res, quae apud Platonem late dissipatae sunt. Et hanc fuisse Aristoteli causam arbitror, cur methodum adeo exiliter confectaretur, vt ea, quae a Platone acceperat collecta, et quadam oeconomia atque ordine distributa, posteris integre traderet. Etsi quaedam limare etiam ac corrigere voluit, rerum tamen in summa non magna est dissimilitudo. Nec difficile est prudentibus videre, vter in qua parte praefet. Haec in sequentibus pluribus explicat, et in moralibus potissimum Platonem probat, inque iis Aristotelem illius vitulo arauisse ostendit. Verum in Aristotele laudat, quod dialectica integra sint, et physica sint eruditius inchoata ab ipsis laribus, hoc est, a primis initiis et perducta ad descriptionem naturae animalium; ethica etiam simplicius tradantur. Inde orationem hoc epiphonemate claudit: Amemus igitur vtrumque, et cum in Aristotele mediocriter versati fuerimus, alterum etiam propter politicas materias et propter eloquentiam legamus. Habet suos quosdam locos, propter quos eruditos delectare potest. Disputat enim satis grauitate de immortalitate animorum humanorum et philosophiae finem vbique constituit, agnitionem DEI. Egregie quoque in fine monet, prudentiam adhibendam esse in discernendis doctrinarum generibus, et explodendos esse ineptos illos, qui offundunt caliginem euangelio, immo*

g) T. II. p. 370.

h) T. III. p. 351.

i) Vid. CRENIVS Animadu. philol. P. I. p. 13.



obruunt ac delent euangelium, cum transformant in Platoniam philosophiam. Haec illo loco Melanchthon fati dilucide et erudite. Altero loco, postquam vitam Aristotelis simili eruditione et iudicio enarrauisset, de genere philosophiae se dicturum promittit, cur Aristotelicum maxime nobis in ecclesia vsui esse arbitretur. *Constare putat inter omnes, maxime nobis in ecclesia opus esse dialectica, quae methodus recte informat, quae dextre definit, iuste partitur, apte connectit, iudicat et diuellit monstruosas connexiones. Hanc artem qui non norunt, lacerant materias explicandas, ut catuli panniculos. Huius artis praecepta nusquam tradere Platonem monet. Inde Aristotelicae philosophiae commendationem auspicatus pergit: Carere Aristotelis monumentis non possumus. Stoica non extant, et adparet intricatos labyrinthos et corruptelas artis fuisse, non simplicem differendi viam, utilem explanationi magnarum rerum. Venio ad physica. Haec etsi inchoat in Timaeo Plato, tamen ita inuoluit numeris, et aenigmatibus, ut vaticinari potius, quam docere videatur. Aristoteles artificiose deducit nos ad aspiciendam naturam certo ordine, prima sumens exordia ex geometricis demonstrationibus, quae ostendunt, mundum finitum esse. Hac hypothese constituta, totam rerum molem partitur. Tandem hominis et animalium descriptiones addit: et ut homini proprias actiones attribuet, adiicit ethica, in quibus virtutum causas et ordinem in natura quaerit. Nec ego nego, plurima apud Platonem ethica reperiri sapientissime cogitata. Sed sermones sunt ambigui, multi, diuersis locis sparsi, quidam etiam in speciem absurdi. Minime vero exemplum utile est in ecclesia, adsuafacere ingenia ad hanc disputandi licentiam, ut absurda defendantur, ut labefactentur certa, ut ambiguis opinionibus serantur certamina. Academiam igitur Pyrrhonis relinquamus, ac simpliciorum philosophiam amemus, quae non ludit inanibus praestigiis, sed res utiles monstrat, et proprie ac diserte, quod vult, exponit, ac scapham dicit scapham. Adeo luculenter pulchreque mentem suam de Platonis et Aristotelis philosophia, curque hanc illi et ordine et iudicio praefendam, eam autem non abiiciendam, sed conciliandam cum Aristotele putet, exponit, ut prolixius his inhaerere, et maiori verborum ambitu Philippi ea de re sententiam explicare non sit opus. Ex his vero simul collectis, tandem definiri iusto fundamento licet, cur Aristotelis philosophiam aliis sectis Melanchthon praetulerit. Nempe sectam eligendam esse, credebatur necessarium. Clara enim sunt verba eius <sup>k</sup>: *Mibi ad mores conducere videtur, eligere sectam, quae studium habet non rixandi, sed inquirendae veritatis, deinde quae amat moderatas opiniones.* Non ignorabat porro, cuius sectae suos esse errores, eosque emendandos: aut aliam sectam plus, aliam minus errorum habere, et Peripateticam*

N n 2

cam

k) De Util. philos. T. I. p. 334. Ex his diiudicanda, quae differit ELSWICH I. c. 5. p. 43.

cam minus, quam ceteras errare sibi persuadebat <sup>1)</sup>. Deinde requirebat potissimum in ecclesia talem philosophiam, quae methodum, et ordinem atque perspicuitatem suppeditaret et iuuaret. Eam autem solam Peripateticam esse censebat. Quae autem in Aristotelis philosophia desiderabantur, ea partim ex sacris reuelationis paginis emendari, partim ex Platone vel ex aliis quoque sectis suppleri posse iudicabat: exque his omnibus necessitatem et vtilitatem philosophiae Aristotelicae concludebat, quamuis sobrie in ea versandum esse prudenter statueret. Talia cum de philosophiae studio sentiret, iuuentuti quoque illud sectanti identidem inculcauit, et Aristotelem, reiectis impuris Scholasticorum chartis, ipsum legendum esse monuit. Qua de re laudatae Orationes, et imprimis illae, quae de *Studiis corrigendis*, de *Vtilitate philosophiae*, et de *Veteri philosophia* differunt, legendae sunt. Ita et iudicio proprio formabatur Melanchthonis sententia de doctrina Peripatetica, et exemplo magnorum virorum confirmabatur, et, quod non sine verisimilitudine suspicamur, amicorum, quos celeberrimos et eruditissimos habebat, consilio comprobabatur. Consultit etiam aliquid ad eligendas has partes amor elegantioris literaturae, et humaniorum disciplinarum, quas in philosophia Peripatetica locum aptius et facilius inuenire, quam in ceteris philosophiae generibus, seculum XVI vnanimi fere sententia iudicabat. Nec ipsa quoque animi et temperamenti Melanchthoniani conditio et natura hoc loco praetereunda est. Quo vsus fuisse sanguineo-melancholico facile ex characteribus virtutum et vitiorum, quae illi, vt erat homo, adfuerunt, intelligi potest, et vel sola credulitas, et inclinatio quaedam ad superstitionem, amore astrologiae iudiciariae proditam, item timiditas, et studium se diuersis attemperandi partibus, dicendi porro copia et perspicuitas, cum magna quadam laboris molestiaeque patientia, et quae his sunt similia indicant, passim quoque annotata a CAMERARIO. Temperauisse hanc mixturam animi bonitatem et rectitudinem, vt egregiae inde animi qualitates exurgerent, laudatissimi viri testatur historia, nec ringens inficias ire potest inuidia: fatendum quoque, plurimum eum hac lenitate sua interdum ecclesiae profuisse <sup>m)</sup>, quanquam praeter opinionem mala inde haud pauca saepius quoque coorta sunt, vt ab aliis demonstratum <sup>n)</sup>. Id autem nemo negauerit, qui paulo accuratius intelligit, quo animo quoue temperamento vere heroico oporteat esse illum, qui philosophiam emendare et ad veros atque genuinos reuocare fontes cupiat, aliam prorsus animi indolem, et fortitudinem, atque excelsam quandam et inuictam vim mentis requiri, quam in Melanchthone fuit: qui, si modo vtilitatem publicam detrimentum haud pati intelligeret, facile passus est vetera loco suo non moueri, et concedendum quid

1) Ita in istis Thesis, de quibus supra diximus, Act. Philos. l. c.

m) Vid. WINSHEM. l. c.

n) Vid. Io. FRID. MAYERI Diff. de nimia

lenitate Phil. Melanchthonis Gryphsw. 1707. 12. add. quos nominat FABR. Centifol. Luth. P. I. §. 156. p. 437. Ipse tamen Lutherus patienter eam ferebat: Vid. IDEM P. II. p. 826.

quid esse temporis difficultati et hominum opinionibus statuebat. Quae ut quendam animi lentorem et timiditatem, toties Melanchthoni obiectam produnt, ita satis causam produnt, cur non cum doctrina euangelii<sup>o</sup>, philosophia quoque a tanto viro, his instructo dotibus naturae ac ingenii emendata sit, et Aristoteles pristinum obtinuerit imperium. Tacemus innumeros labores, quibus non distrahi modo, sed frangi penitus vim ingenii Philippi oportuit. Cum enim domi assidue praelegeret, tot consultationibus interesset, tot itinera fusciperet, post mortem Lutheri vero, qui ingenti spiritu ac vi mentis imbecillitatem Philippi toties sustentavit et erexit, solus cum innumeris aduersariis conflictaretur, et exhaurirentur spiritus controuersis synergisticis, adiaphoristicis et similibus: mirum non est, nec emendandae philosophiae, et nec Aristotelicae quidem perficiendae eum suffecisse, ipsumque fateri debuisse, imperfecta esse, quae in philosophia molitus sit. Quae quidem immortalibus meritis viri summi, cuius merito grata apud posteros esse debet memoria, quod Germaniam nostram barbariei coeno sepultam erexit, et literarum illi lucem restituit, nihil derogant, eo quod multa tamen, si cum prioribus compares, atque egregia praestiterit, nec vnus hominis sit, in omnibus primas tenere: at euincunt etiam, Melanchthonem interpretem magis Aristotelis, quam philosophum, vel philosophiae reformatorem fuisse, nec inter primae magnitudinis stellas in coelo philosophico posse numerari. Qua de re cum acute iudicauerit Cl. HEVMANNVS<sup>p</sup>, allatis quoque Lutheri et Scaligeri de Melanchthone censuris, eum adiri ipsum a lectore velimus. Laudandus tamen Melanchthon est, quod barbariem Scholasticam perosus nitidiorem philosophiae vultum restituere conatus sit, et philosophum totum deformem a Scholasticis tricus redditum sibi restituerit, commendandus adhaec magis, quod omiſſis λεπτολογίαις et philosophandi exilitate, quam vbique sectatur Aristoteles, ad communem, quem philosophia in vita ciuili inque disciplinis reliquis praestat vsum respexerit, et praecepta philosophiae, omiſſis disputationibus otiosis, ad solam ingenii gloriam aucupandam comparatis, vitae inferuire coegerit. Quin et in eo quoque laudandus est, quod philosophumena sua eruditionis colore tinxerit, omnisque doctrinae ornatu expolierit, perspicuitatem autem seruare discipulos docuerit: quorum eam imprimis virtutem fuisse in antecedentibus pluribus exposuimus. Quae omnia satis, nisi nos egregie fallimur, euincunt, non exiguam esse Philippi in historia philosophiae gloriam, quamuis cum aliis, qui se heroës praestiterunt, comparari illisque aequiparari non possit. Immitius itaque cum Melanchthone agunt, quanquam diuerso prorsus scopo ducti GODFREDVS ARNOLDVS<sup>q</sup>, et CHRISTIANVS THOMASIVS<sup>r</sup>, qui acriter in Melanchthonem inuehuntur, quod Aristotelem a Luthero

N n 3

ex

o) Nempe in ea emendanda strenuum duce[m] habebat Lutherum, in philosophia neminem.

p) Act. phil. Vol. I. p. 601. Vol. II. p. 600.

q) Hist. eccles. et haeret. P. II. L. XVI. c. 10. f. 18. 19. 20. p. 113 seqq.

r) In Cautelis p. 89.

ex ecclesia eiectum, per posticam iterum admiserit, et in commendanda philosophia eius tam sedulus fuerit. Nam si concedimus, passum fuisse Philippum ea in re humani aliquid, indignum tamen viro de ecclesia literisque egregie merito tam acerbe et iniuriose ea, cum obliuione amoris et modestiae Christianae obiici: vt taceamus, facilius ferri posse, mutilam et luscam nobis reliquisse Melanchthonem philosophiam, quam nullam, sicque quod tenebriones nonnulli volunt, excoecato utroque mentis oculo passum fuisse, vt insanae et emotae mentis somnia pro diuinis eloquiis nobis obtrudantur, quae, ratione face praefereute, velut ignes erratici diffiliunt et euanescent. Ceterum vita et Christiana et fere philosophica vsus est Melanchthon, cumque corpore valde infirmo sustentaretur, moderatione tamen, temperantia, ordineque victus accurato vitae incommoda facile tolerauit, animi vero bonitate, rectitudine et humanitate, beneficentia quoque et *επιμνησέω* se philosophum esse vere ostendit; licet lenitatis et timiditatis culpam non effugerit. Obiit morte vere pia et Christiana anno aetatis climacterico, XIII Cal. Maii A. S. R. MDLX, relicta immortalis pietatis, doctrinaeque fama apud posteros.

*Simon Simonius.*

§. XLVIII. Haec pro philosophiae Peripateticae incrementis Vitebergae a Melanchthone gesta sunt: idem saxum Lipsiae voluit Ioachim Camerarius, de quo cum iam supra dictum sit, plura hic addere, ne iusto prolixiores simus, haud licet. Post hunc omnis eruditionis veteris primum condum de Peripatetica philosophia Lipsiae praeclarissime meruit SIMON SIMONIUS. Quamquam autem celeberrima eius viri eruditio fuit, vitae autem fata miris vicissitudinibus et ambigua fama valde memorabilia, paucae tamen sunt et disiectae quasi tabulae, quae de eo passim reperiuntur. Fragmenta historiae eius literariae collegit licet imperfecta fatis P. BAYLE <sup>s)</sup>, quo centone contentos oportet nos esse, donec, qui libros infra nominandos, albisque coruis rariores euoluendi occasionem habent, ampliora suppeditent. Patria fuit Luccensis, quo vero anno, quibus parentibus editus, qua in schola philosophiae artisque salutaris praeceptis imbutus fuerit, ignoramus. Illud vero ex libris eius constat, non modo Graecae et Latinae linguae, sed et philosophiae Aristotelicae atque medicinae mysteria accurate <sup>s)</sup> et profundius quam plerique solent, perpexisse. Cum autem vel Peripateticismi apertius profitendi cupiditate, vel dubiis, quae contra Romanae ecclesiae doctrinam fouerat, vel naturali ad mutationes et vicissitudines inclinatione, vel persecutione aduersariorum ob suspectam in religione fidem (veram enim ex his causam definire

s) Vid. ex multis SECHEND. L. I. §. 34. p. 43. POPK-BLOUNT. Cens. cel. auct. p. 615. TRISS. Elog. T. II. p. 25. BAYLE l. c. MAGIRVS Eponymol. crit. p. 581. qui iudicia doctorum viro- rum de eo collegerunt.

f) Dict. T. IV. Art. Simon Simonius p. 216.

g) Aliter quidem de eo iudicat Schegkianus et

infantiam in phil. Aristotelica illi obiicit, parum autem fidei esse aduersario conuicia conuicis pensanti, notum est. Certe academia Lipsiensis in progr. fun. Io. Neldelii apud WITTEN. Memor. phil. T. I. p. 57. Virum vocat „exquisiti iudicii, et ob philosophicarum et medicarum rerum cognitionem celebratissimum,

definire deficientibus nobis monumentis non licet) patriam reliquisset, ad Geneuenses peruenit, et doctrinae elegantia atque iudicii acumine ita se commendauit, vt publico docendi muneri admoueretur. Sed cum alia, quam confitetur ecclesia, dogmata teneret, et ex principio semel posito, ex nihilo nihil fit, instructus rationibus Peripateticis, de essentia Dei ita in libro quodam *ὀδυσσώτεω* differeret, posse dici, factum esse filium Dei, adeoque antitrinitariis fauere videretur, vehementer a THEOD. BEZA et theologis Geneuensibus propterea reprehensus est, vt ex BEZAE *Epistolis LIV & LVI* constat, quas ad Simonium pertinere inde obseruauit THOMAS CRENIUS <sup>v</sup>, quia, quae in iis perstringit Beza, omnia docuerit Simonius in lectione, qua Heidelbergae explicauit principium illud physicum ex nihilo nihil fit, d. XXX Dec. MDLXVII. Ex his vero epistolis constat quoque, Simonium ob sententias heterodoxas et studium conuellendi tranquillitatem ecclesiae, Geneuae bis carceri mancipatum, ecclesiasticae quoque censurae feueritate fuisse coërcitum. Quod si vera sunt, quae ei obiicit Beza, a Geneuensibus ad Heidelbergenses profugus <sup>w</sup> ausus est asserere: posse se multas rationes asserere, quibus ne Paulus quidem ipse, si viueret, respondere posset. Fatemur tamen, suspectum nobis esse Bezae testimonium, quem satis acerbum fuisse in dissentientes constat, quique inimicum in Simonium fouit animum. Tam impudentis enim et impii oris hominem sibi potuisse conciliare amicitiam et applausum Thomae Eraſti, theologi Heidelbergensis, et in academiis Protestantium fuisse commendatissimum, verisimilitudine caret. Verum de hac eius apud Heidelbergenses impietate illi statuent, qui lectionem istam physicam Simonii, ad quam prouocat Crenius, legerunt. Illud certum est, Lipsiam eum ad tradendam philosophiam Aristotelis rationalem, obendamque spartam professoris organi Aristotelici vocatum, apud Augustum Saxoniae electorem valde gratiosum fuisse, et tantam in eius eruditione philosophica fiduciam principem posuisse, vt uisitationi et reformationi vniuersitatis adhiberetur. Liberiori autem vlcera tangendo inuidiam reliquorum professorum in se excitauisse; cumque impietatis suspicione valde premeretur, a principe fuisse dimissum, quamuis sub auspicia nouae professionis anno MDLXX vxorem Lipsiae duxisset. Haec enim ex VOGELII Annalibus Lipsiensibus excerpta in lucem protulit ὁ πάνυ CHRISTIANVS THOMASIVS <sup>x</sup>. Ex qua relatione patet, (quamuis viro celeberrimo folius inuidiae et indignationis id opus videatur) suspectam fuisse Simonii in religione sinceritatem, eumque sententiis heterodoxis nominis integritati valde nocuisse. Quam quoque coniecturam crebrae mutationes publicae professionis fidei valde confirmant. Nam a Romana ecclesia ad Reformatam et ab hac ad Lutheranam, ab ea ad Romanam iterum trans-

<sup>v</sup>) Tum librum scripsit contra SCHEGKII tractatum de Vnione naturali et duabus naturis in Christo. Vid. HVIYS Dedic. Antisimonii.

<sup>w</sup>) Animad. P. II. p. 91. <sup>w</sup>) SCHEGKIVS l. c. <sup>x</sup>) Hist. sap. et stult. Germanice editae P. II. p. 63. 163.

transiit. Teste enim eodem VOGELIO<sup>y</sup> in aulam Ferdinandi imperatoris concessit, Pragaeque aliquandiu haesit: in qua, miratur, auctor anonymus, infra in partes vocandus, potuisse eum risum tenere, tamdiu simulando et mentiendo, cum in concione illa frequentissima Pragensi declamaret de religionibus, de sacerdotio &c. Ex quibus patet, errare BAILLETVM<sup>z</sup>, qui Lipsia profugum in Silesiam et Morauiam aufugisse dicit, nisi velis eum per has prouincias vagabundum posthaec oberrauisse. Tandem in aulam regis Poloniae Stephani Batori delatus, ibique magno in pretio habitus est. Suspiciamurque eum regi a fanitate tuenda fuisse; rege enim Stephano anno MDLXXXVI viuis erepto, edidit Simonius, *Responsum ad refutationem scripti, de Sanitate, victu, aegritudine et obitu D. Stephani, Polonorum regis*<sup>a</sup>, itemque Scopas, quibus veritur confutatio contra iam dictum scriptum. Quam apologiam eum opposuisse Nicolao Buccellae, Italo, Chirurgo Anabaptistae, et istas quoque scopas contra eius aduocatos et illam confutationem innumeris mendaciorum, calumniarum, errorumque purgamentis insertum adhibuisse, ex inscriptione libelli patet. Sed et iam ante mortem regis grauem habuisse Simonium in ea aula aduersarium, Squarcialupum quendam Thuscum Plumbinensem, ex apologia ei opposita colligi potest, cui hic titulus praefixus est<sup>b</sup>: *Simonius supplex ad incomparabilem virum praeclarisque suis facinoribus de vniuersa republica literaria egregie meritum Marcellum Camillum, quendam Squarcialupum Thuscum Plumbinensem triumphantem, Cracouiae anno MDLXXXV*. His tamen inimicis non obstantibus, et quamuis detestabilis illi impietas, et, (quod non sine verisimilitudine conuicimus) neglecta regis salus obiiceretur; ipse quoque quod nos Cl. AVGVSTVS BAYERVS<sup>c</sup> docet, vincula effugere non potuerit, eum tamen apud Sigismundum III auctoritatem obtinuisse, ex acerrimi eius aduersarii, cuius mox mentionem faciemus, obiurgatione liquet, qua ei obiicit, illum sibi in aula iustissimi regis non constare; quae scripta sunt anno MDLXXXVIII. Imo seculo XVII in eunte adhuc non sine auctoritate inter Polonos vixisse, ex libro eius intelligitur, qui *Zamoscii MDCIII*, hoc rubro prodiit: *Simonis Simonidis imagines diaetae Zamoscianae*<sup>d</sup>. Quo vero anno obierit, et num in ecclesiae Romanae gremio, ad quod rediit, mortuus sit, nulla haecenus coniectura detegere potuimus. Valde vero eius eruditio commendata est, ob egregiam Peripateticae philosophiae genuinae cognitionem, viris doctis. Commentarium enim in *Librum primum Nicomachorum*, bene et erudite scriptum esse iudicauit GABRIEL NAVDAEVS<sup>e</sup>, SAMVELI RACHELIO<sup>f</sup> autem ea Peripateticae philosophiae peritia et doctrina

con-

y) In Annal. Lipf. loc. cit.

z) Des satyres personnelles. f. de Scriptoribus Anti n. 150. quem sequitur BAYLE l. c.

a) Vid. Catal. Biblioth. Vffenbachianae T. IV. p. 253.

b) MERCKL. Linden. renou. p. 979.

c) Memor. libr. rar. c. 87. p. 254 sqq.

d) Catal. Bibl. Aug. Ehingerianus p. 852.

e) Bibliograph. polit. p. 21.

f) Introd. in philof. mor. Arist. praemissa libris Nicomach. c. 14. p. 140.

confectus dicitur, ut merito in reliquis idem ab ipso praestitum exoptauerit, quamvis non tantum ipsum praestare, quantum in aliis desiderare iudicet. MORHOIVS<sup>g</sup> autem, eum, ait, Academiam Lipsiensem docuisse ἀριστοτελικήν, ac exemplo suo et praeceptis ad solidiorem philosophiam analyticam viam monstravisse. Nec minorem famam in re medica consecutus est, et theologica quoque apud Geneuenses attigit, quae tamen res Iacobum Schegkium medicum et Peripateticum apud Tubingenses summi nominis cum eo commisit, nescio vtrum artis salutaris, an Peripateticae philosophiae, an vtriusque laudi illi aemulo: certe indigna ex ea re tantis viris aborta est controuersia. Pertinet ea quidem ad historiam theologiae et medicinae, sed tamen prorsus intacta praetermitti hoc loco non potest, cum historiam Simonii literariam valde illustret. Nempe librum de vnione personali et duabus naturis in Christo Schegkianus ediderat, rogante Io. Brentio, ut philosophiae, quo praestabat acumine calumnias a Sueuicis theologis depelleret. In quo cum pleraque Aristotelice disputauisset Simonius, ut se theologis Geneuensibus probaret, refutationem libri edidit. Qua ratione signum belli fati vehementis datum est. Cui alterum argumentum accessit, medicum. Scilicet nouam febrium malignarum theoriam, cuius tamen principia a Laurentio Iuberto Valentino acceperat, cudere coeperat Simonius, contra Galenum contendens, earum causam non esse putredinem humoris alicuius, sed principalem causam residere in δυσκράσια feruida flauae bilis, cuius feruore inflammatum cor febrem patiat. Hypothesin hanc *Synopsi breuissima nouae theoriae de humoralium febrium natura periodis, signis, et curatione*, exposuit, additis copiosissimis et accuratissimis hypomnematis, ex disputatione de humorum differentiis atque examine sententiae a Brunone Seidelio contra Iouberti explicationem febrium humoralium allatae<sup>h</sup>. Haec cum legisset Schegkianus, veterem Galeni opinionem de humore putri febrium causa defendendam ratus, *Confutationem erroris Simonis Simonii in eo argumento*<sup>i</sup> edidit. Hoc itaque classico dato aliquoties vtrique infestis armis concursus est. Nam cum ea, quae disputabantur, Peripateticis principiis inniterentur, contentionis alea omnis in campo Aristotelico iacta est, diuersis ex vtraque parte libris prodeuntibus, quos qui nosse cupit, eorum inueniet indicem apud MERCKLINVM<sup>k</sup>, ADAMVM<sup>l</sup>, BAILLETVM<sup>m</sup>, alios. Simonius enim cum silendum sibi non esse putaret, *Anti-Schegkianorum librum vnum* edidit, in quo ad obiecta Schegkii respondetur, vetera eiusdem errata nonnulla inculcantur, nouaque complura peiora deteguntur<sup>n</sup>. Huic libro et *Prodromum Anti-Simonii*, et, *Anatomen responsi Simonii*,

g) Polyhist. T. II. L. I. c. II. §. 28 p. 62.

h) Vid. MERCKLINVS l. c.

i) Vid. ADAMVS l. citando. k) loc. cit.

l) Vit. Medicorum p. 300.

m) l. c. vnde sua hausit BAYLE l. c. not. E.

n) Basil. 1570. 8.

nii, mox vero post leuiore velitationes, integras phalanges opposuit edito *Anti-Simonio, in quo plures quam trecenti errores Simonii refelluntur* <sup>o</sup>. In his vero libellis polemicis, qui tantum non, vt fieri solet, penitus euauerunt <sup>p</sup>, indignis plane se modis viri hi docti exagitarunt, et errores philosophicos obiecisse non contenti, grauissimorum quoque errorum theologorum in articulo de Christo postularunt, cum et Simonius impie docere, et ad Nestorianos declinare, et Schegkii in dogmate de naturis in Christo, et personalitate in diuinis typum fanorum verborum minus seruauisse et Sabellianis fauere crederetur. Videntur tamen hae indignae viris doctis et philosophis lites breui cessauisse, quod Simonius Pragam indeque Cracouiam abiisset, et Schegkii paulo post obiisset. Ille vero cum more suo religionem magis philosophicam, quam dominantem sequeretur, grauioribus in Polonia accusationibus diraque culpa pressus est. Prodiit enim Cracouiae anno MDLXXXVIII libellus exiguus viginti tantum paginarum, hoc titulo: *Simonis Simonii Lucensis primum Romani, tum Calviniani, deinde Lutherani, denuo Romani, semper autem athei summa religio, authore D. M. S. P.* Cuius libri cum maxima sit raritas, nec quisquam de eo inaudiuerit aliquid ante B. THEOPHILVM SPIZELIVM <sup>q</sup>, qui primus quaedam ex eo fati impia et detestanda excerptit, variarum coniecturarum viris doctis occasionem dedit, vnde incerta eius facta est notitia <sup>r</sup>. Nonnulli ad Theodorum Simonium vnitariorum asseclam retulerunt, quod tamen temporum rationes non patiuntur <sup>s</sup>; certi vero quicquam de eo dixit nemo. Nuper vero Cl. AVGVSTVS BAYERVS, cuius curiositati literariae iucundas *Memorias librorum rariorum* <sup>f</sup> debemus, ex *ἀνοψία* nobis libellum descripsit, ita tamen, vt solam ex eo Simonii religionem depingeret. In eo libello *σηλυτευτικῶν* imputatur Simonio, *banc esse eius religionem, nullam statuere inter homines pietatem, et philosophi magni esse religioni bellum indicere. Nempe arridere palato eius dogmata scholae Petri Aretini maledicentissimi ac foedissimi monstri. Symbolum catechismi eius hoc esse: coelum genitoris loco terram matris rerum omnium materiam venerandam esse; non matricem esse intelligentiam, sed viuificum calorem esse coeli formam et causam perficientem; non se repugnare dicentibus cum Hippocrate: coeli calorem esse vocem illam omnia intelligentem ac scientem praeterita et futura: hanc coeli formam pro Deo habere, sicque in symbolo suo Vilnae diuulgato clarius prodidisse. Docuisse quoque obiiciendo Squarcialupo: perfectam esse humanitatem absque*

o) 1573. 4. Tubingae, vbi anno praecedente et Prodomus et Anatome quoque prodierunt.

p) Diu anxie quaesitos tandem reculis nostris literariis adieciimus. Vidimus autem omnem controuersiam ad notiones et regulas Peripateticae philosophiae rediisse, subtiliter et obscure disputatas, vnde libelli hi euauerunt, non lecti.

q) Scrut. Atheismi II. p. 43. 44. in Infelice li-

teratore commonef. XV. §. 3. p. 354.

r) Varias virorum eruditorum coniecturas enarrat Cl. VOGTIVS Cat. libror. rar. p. 539. 540.

s) Vixit enim Iansenio *συγγεγονος* 1630. conf. MOLLER. Isagog. ad Histor. Chersonesi Cimbricae P. III. p. 108. BAYLE Dict. T. IV. Art. Theod. Simon p. 207. SANDIVS Biblioth. Antitrinit. f) loc. cit.



que coniugio, monachos et sacerdotes virilitatem suam Deo deuouisse: sine coniugio maiorem futuram esse hominum multitudinem, idque fieri posse maiori cum commodo tum voluptate. &c. Haec impia dogmata in isto libello satyricè refutari, et pertinaciae vsque ad senectutem Simonium accusari idem testatur Bayerus. Difficile vero, et si verum fatendum, impossibile est, ex allatis de impietate Simonii iudicium ferre. Nam ex vna quidem parte valde suspectum faciunt eum, et conspirantibus testimoniis grauissimorum errorum, ipsiusque impietatis postulant Beza, Vogelius, Schegkii<sup>u)</sup> et Anonymus Polonus. Crebra quoque publicae professionis fidei Christianae mutatio animum leuem, defultorium religionis scenae ex commodo inseruientem prodit: Peripatetica vero philosophia eiusmodi erroribus generandis est aptissima, et imputata physiologia Hippocraticis, et ex parte Peripateticis placitis conformis. Ast ex altera parte, suspectum, fatemur, est, quod accusationes hae omnes ex ore calamoque aduersariorum eius prodierint; et his obiurgationibus et grauissimis accusationibus non obstantibus, Simonius Lipsiae professoris munus acceperit, diuque retinuerit, et, licet dura ei et impia obiicerentur, attamen in aula electoris gratiosus fuerit. Tacemus animum aduersariorum, quem demonstrarunt bile et veneno tinctum. Nec scriptum illud Satyricum multum ponderis habere videtur, cum supra iam narratum sit, habuisse Simonium aduersarios in aula Nicolaum Buccellam et Squarcialupum, vtrumque *συνπατριώτην*, nempe Italos, sed fortunae eius insidiantes. Cumque anno post istam satyram editam sequente Olmutii ediderit *Scopas*, quibus innumera mendacia, calumniae errorumque purgamenta, quae aduocati Buccellae emisserant, verruntur, iusta suspicio est, ad obiecta eum crimina ita respondisse, vt, quod supra verisimile fecimus, auctoritatem ad mortem apud Polonos tueri potuerit. Quibus rationibus ex vtraque parte probe ponderatis de religione Simonii aliquid decernere non audemus, donec ex ipsorum Simonii et aduersariorum eius librorum inspectione certiora hauriri queant. Illud tamen nobis nemo parum aequus et attentus non concedet, verisimile esse, Simonium religionem magis Peripateticam, quam Christianam expressisse: talem enim eiusmodi Verturni obseruare solent. Reliquit Simonius eruditionis Peripateticae specimina complura, librum *de Sensuum instrumentis et de his quae sub sensum cadunt*\*, *Commentarium in libros ARISTOTELIS de memoria et reminiscencia*; et *Commentarium in libros ad Nicomachum: tum libellum de vera nobilitate*\*\*, Ienae<sup>v)</sup> postea recusum.

O o 2

§. XLIX.

\*) Fatendum tamen, in Schegkii eristicis licet acerbissimis in Simonium, nullum ei errorem in religione obici, praeter Nestorianismum,

idque consequentia magis, quam expressa assertionem. t) МЕРНОФ. l. c. u) Lips. 1572. v) 1662. Apud BAYLE 1616. legitur.

*Jacobus  
Schegkian.*

§. XLIX. Eodem, quo Simonius Lipsiensem academiam ornauit, tempore in Tubingensi schola magnum Peripatetica philosophia praefidum nacta est in IACOBO SCHEGKIO, cuius vitae historiam debemus, Philippo Lieblero <sup>w</sup>, qui in cathedra physica apud Tubingenses ei successit. Natus est Schorndorfii in ducatu Wirtembergensi anno MDXI, parentibus plebeiis, sed honestis, et censu satis instructis, ut filio studiorum sumtus suppeditare possent. Patri nomen fuit Bernardi Degen vulgo autem Schegkian dicebatur, quod tanquam notius filius semper postea retinuit. Incidit pueritia Schegkii in extrema tempora Capnionis, ex cuius schola cum nonnulli prodissent, qui linguae Graecae et Hebraicae notitia praestabant, Schegkian quoque a nonnimine eorum, Ioanne Thoma, vtriusque linguae praecepta accepit, et ab eo quoque ceteris humanitatis elementis disciplinarumque rudimentis imbutus est. Annos itaque natus XVII, cum fideliter artium semina concepisset, ad augendum colendumque animi fundum, quem a natura foecundum felicemque acceperat, in Tubingensem academiam missus est. In quo stadio quoque tanta sedulitate ad metam cucurrit, et philosophiae atque philologiae mysteriis tanta fide initiatus est, ut anno MDXXIX, vix octodecim annos natus, in promotione facultatis philosophicae primo inter candidatos loco lauream magisterii, quam vocant, consequeretur, et anno sequenti vndeuginti annorum iuueni lectio publica, qua bucolica Virgilio et Theognidis sententiae explicabantur, demandaretur: cuius diligentiae et eruditionis maturae specimen edidit versionem Latinam *Gnomologiae Theognideae*. Ita per triennium cum Graecam et Latinam linguam et nonnulla quaedam philosophica docuisset, omnibus ob morum elegantiam et doctrinae veritatem commendatissimus, rector contubernii designatus est, eaque aetate aliis rector datus, qua regi iuuenum animi et solent et debent. Nihil tamen in isto regimine fecit suscepitque prudentia matura indignum, et leuitatis iuuenilis fructus prodens, sed quinquennio isto, quo illi muneri praefuit, iuuentuti magna cum laude praefuit. Studiis autem priuatis in theologiam incubuit, et Scholasticorum spinetis absterreri se passus haud est, ut non duces eorum Thomam et Scotum legeret. Ita iunctis philologiae sacrae diuitiis, eam sibi disciplinarum sacrarum comparauit notitiam, atque eruditionem, ut pro consequenda prima laurea summa cum laude disputare posset. Tum Constantiam petiit, ibique sacris ministerii ecclesiastici initiatus est. Eo enim tempore Constantiam Protestantium symbolis nomen subscripsisse notissimum est. Vnde coniecimus, muneri eum sacro in ista vrbe destinatum fuisse; summos quoque in theologia honores eum meditatam fuisse, biographus eius innuit: causam vero, cur

w) Ex eius oratione parentali, CRVSI Annalibus et GESNERI Bibliotheca Schegkii vitam enarrauit. MELCH. ADAMVS in Vitis Medico-

rum p. 200 seqq. quem nos quoque sequimur. Ex eo sua quoque hauserunt FREN. p. 1287. et TEISSIER. Elog. T. III. p. 417.

cur sacro se ordini non addixerit, non addit, sed turbulenta tantum tempora, quae tunc inciderunt, in causa fuisse ait. Quae qualia fuerint, historiam belli Smalcaldici, quod ea tempestate exaruit, et Constantiae exitiale fuit, cogitantem latere non potest. Aliam itaque studiorum rationem initurus, iurisprudentiam sibi elegit, et perseverauisset in ea via, nisi Guilelmus Bigotius, qui tunc Aristotelicam philosophiam Tubingae profitebatur \*, et quo amico intimo Schegkius utebatur, illi persuasisset,

O o 3

vt

x) Non ignobile Guilelmi Bigotii inter philosophos seculi XVI nomen est, fata autem vitaeque vicissitudines tales fuisse, ut non profus omitti eius memoria in hac nostra tractatione possit. Diligenter in ea resuscitanda versatus est P. BAYLE Dict. T. I. art. Bigot. p. 362. relationibus ab amicis acceptis adiutus, ex cuius narratione de Bigotio haec constant. Natus est mense Iunio anni 1502, in Galliae ducatu Cenomanensi, Lauallii, parente fatus Ioanne Bigotio. Miris factorum nexibus cum eum destinasset providentia, in ipsa infantia singulares profus euentus habuit. Nutricem enim vix inuentam illi esse aiunt, eo quod dentatus ex vtero prodierit. Cumque nutrix cum tota familia peste extingueretur, periturus erat infans Bigotius, nisi in trivio abiectum parens inuenisset. Educationis porro cura satis fideli et sollicita deservitur, cum prauis sodalitiis irretiretur, fuga sibi apud Andegauenses consulere coactus est. Ita vero calamitatibus ad frugem redire compulsus literarum studiis se totum tradidit, et *αδρόδιδασκας* Graecam linguam, philosophiam, astronomiam, medicinam et disciplinas alias didicit. Solitudinem tamen perosus Galliam relinquere et in Germaniam abire constituit, vsus comitatu oratoris Galli Guil. Bellai Langaei. In Germania vero tanta mox eius eruditionis fuit admiratio, ut organi Aristotelici explicatio ei Tubingae committeretur. Quo loco Schegkio ob studia communia amoremque philosophiae Peripateticae familiaritate summa innotuit. Cum autem displiceret illi methodus Philippica, quam nec satis accurate cum Aristotele conspirare, nec minutias Stagiritae omnes prosequi contendebar, multae inde discordiae inter eum ac professores reliquos exortae sunt. Quo euenit, ut muneribus exutus alias sedes quaerere cogereetur. Basileam itaque abiit. Factum id esse anno 1536, tradit Lancelotus, cui sua debuit Baelius: Ast 1538 adhuc Tubingae haerentem Schegkio persuasisset, ut artem salutarem profiteretur, ex eius vitae historia patet. Basileae aliquantisper commoratus cum fortuna in Germania non arrisisset, ad Gallos rediit, eo quod Guilelmus Badaeus, qui illi fauebat, promississet, impetratum se, ut professoris regii axiomate cohonestaretur. Alium tamen euentum res sortita est, cuius lepidam, si modo fabula vera est, causam ita MELANCHTHON in Responstone contra eorum Coloniensem, et ex eo alii narrant: „Duo sunt“, verba damus. Philippi „in Gallia viri excellenter docti, Castellanus et Bigotius. Et

„quia Castellani disputationes crebro a rege audiuntur, horratur quispiam ex proceribus, ut Bigotius quoque audiatur. Interrogat rex, in quo doctrinae genere versetur? cumque alii honorifico eum testimonio ornarent, tandem Castellanus, qui augeri eius opinionem nolebat, interpellans, quid, inquit, tantopere praedicatis? est Aristotelicus. Rex interrogat, qualis sit ea descriptio. Dicam, inquit Castellanus, Aristoteles aristocratiam adfirmat meliorem esse statum, quam regnum. Hac voce apud regem sciebat se omnem auctoritatem Aristoteli et eius studiosis detraxisse. Cumque rex interrogaret, an haec senserit Aristoteles? et ceteri id adfirmarent, audiuissetque defendere Bigotium Aristotelicas sententias, delirare Aristotelem inquit, et negauit se defensionem harum ineptiarum auditorum esse. Facile vicit Castellanus tali iudice“. Conf. Menagiana T. I. p. 173. Negat tamen haec omnia qui Castellani vitam scripsit P. PETRVS GALLANDIUS §. 74. p. 130. et haec Bigotium Castellano obreptantem et ad Melanchthonem scribentem finxisse contendit. Quae aliis quoque rationibus non contemnendis roborat, et falsam esse narrationem contendit BAYLE l. c. not. C. qui videndus. Quaecumque autem causa fuerit, illud certum, publicum docendi munus apud Parisienses Bigotium consequi haud potuisse. Interim ad Patavinam cathedram inuitatus est, illi tamen Nemaufensem praetulit, magno tamen suo malo. Nam et haud bene satis cum collegis illi suis conuenit, et apud Tolosanos, apud quos causam quandam in curia regia agebat, malorum Lernam inuenit. Vxor enim, quae duorum filiorum patrem eum fecerat, in adulterio deprehensa, adulter Abaelardi poena exsectis virilibus affectus est. Quod factum cum ipsi Bigotio ab aduersariis tribueretur, accedentibus aliis accusationibus, grauem ei dicam et atrocem accusationem concitauit. Cirrus ad carcerem, ipse quidem, causae suae sisus Bigotius comparuit, sed malo euentu: Diu enim captiuus detentus, haud semel de capite periclitatus est. Tangem vinculis quidem, non vero miseriae ereptus est, exul enim abire, et vitam satis misere tolerare coactus est. Quae ipse ex parte narrat in Praeludio Christianae philosophiae, cum aliorum tum hominis substantiam luculentis experimentationibus Tolosae 1549. 4. edito. Ceterum hunc pene solum summum iuri in re „condita philosophia“, dixit IVL. CAES. SCALIGER Exerc. CCCVII. p. 946.

vt artem potius salutarem eligeret, sine dubio, quod hanc melius conuenire homini philosophanti, et pulchriorem occasionem offerre crederet, de rebus naturalibus secundum principia physiologiae Peripateticae dispiciendi. In ea enim adeo iam tum valebat, vt annos natus XXVII *Disputationibus Acroamaticis in Aristotelem* magnam celebritatem consequeretur. Medicinae ita adyta perreptando, eius artis mysteria tanta celeritate et felicitate didicit, vt summi in ea honores illi plaudente academia Tubingensi tribuerentur. Praxin tamen medicam non exercuit, sed consiliis modo aegros adiuuit, contentus in artis medicae stadio philosophiae cognitionem, quam praestantissimam fouebat, exercuisse. Totum enim se philosophiae dederat, vnde publice quoque Aristotelem, priuatim physicam, ethicam et logicam secundum Peripatetica principia explicuit. Qua ratione cum doctrinae eius praestantia valde in aula principis Wirtembergici commendaretur, anno MDLIII medicinam quoque publice explicare iussus est. In qua cum Galenum sibi ducem elegisset, et Peripateticam ei physiologiam iunxisset, pro vtraque tanquam pro aris et focis pugnavit: cuius specimen esse potest controuerfia cum Simonio de febrium natura et caussa agitata, quam §. praecedente tetigimus. Quoniam tamen ille omnium optime inter Germanos Aristotelis mentem affecutus esse credebatur, obticuerat autem in Tubingensi Schola aliquamdiu dialectica Aristotelis, anno MDLXIV eius organon explicare, et rationalem quoque philosophiam tradere iussus est. Quam spartam decennio tanta fide et industria ornauit, vt nimia lectionis contentione oculorum acies hebesceret, tandemque coecitatem illi contraheret. Quam calamitatem animo vere philosophico tulit, cumque nonnemo coecitatem tollere ei sponderet, reiecto ophthalmico respondit: se multa in vita vidisse, quae maluisset non videre: optare ad nonnulla etiam surdum fuisse. In ea autem oculorum caligine mentis acies non hebetata est, quam non piis modo, vt Christianum philosophum decet, meditationibus, sed philosophicis quoque cogitationibus, leuauit, nepotibus, quos ad se receperat, philosophiam explicuit, multa quoque eo coecitatis tempore dictauit et medica, et philosophica, inter quae et eristica illa contra Simonium fuere, et alia quaedam etiam physica, itemque libellus dialecticus *de Syllogismo apatetico*: et haec quidem omnia typis vulgata nonnulla domi asseruata sunt, interque ea libellus *de Modis vnius et entis*. Tandem apoplexia correptus, cum senectutis extremae debilitas viriumque defectio accessisset, valde in literarum curriculo retardatus est, paulisper tamen a genero Hieronymo Baufchio restitutus, vt se otio daret, licet honestissimo, commoueri non potuit: senexque capularis *Tractationum physicarum et medicarum* tomum edidit, et *Commentaria in Topica Aristotelis* longe ante a se conscripta recognouit. Tandem vitae finem appropinquantem sentiens, pie, et vt Christianum decet, praeparatus animam VII idus Mai. an. MDLXXXVII, aetatis septuagesimo septi-

septimo Deo reddidit. Magna fuit Schegkii et viventis et ad plures abeuntis existimatio, et fama eruditionis admodum praeclara et eximia, cum et moribus viveret inculpatis, et doctrina plerosque antecelleret. Praeter linguas enim Latinam, Graecam, Hebraicam, in historia, eloquentia, et mathematicis disciplinis summa cum laude versatus est, nec in theologia et arte medica locum Musa Schegkiana occupavit infimum. Cuius testes cum nonnullos adduxerit ANT. TEISSIERIVS<sup>1)</sup>, ille ipse, ne longi simus, videndus est. Omnium tamen maxime ob insignem cognitionem philosophicam, quam habebat, commendatus, et Germanorum Peripateticorum princeps sua aetate habitus est. Testem damus Schegkii discipulum NICOLAVM TAVRELLVM<sup>2)</sup>, qui eum tum temporis philosophorum Peripateticorum principem fuisse refert, narratque, non Tubingae modo, verum etiam in aliis omnibus Germaniae scholis Schegkianam philosophiam observari atque vigere: quamvis, raro licet, Schegkio interdum visum fuerit ab Aristotele recedere\*. Similia de eo praedicat HENRICVS BOECLERVS<sup>3)</sup>. Memorabile autem est, quod de studiis eius philosophicis tradit eius biographus, cum arderet amore philosophiae, nec domi haberet magistros, nec foris quaerere posset, salutari consilio Aristotelis et Platonis lectionem aggressum<sup>4)</sup>, utrumque inter se contulisse, tantumque profecisse, ut omnes philosophiae partes in academia Tubingensi immo in tota Germania ante ipsum coeno sophistico misere contaminatas<sup>5)</sup>, pristino nitore restitueret, eiusque doctissimis laboribus non Germani solum, sed exterarum etiam nationes magna cum utilitate fruuntur, et praeceptorem praecipuum agnoscant et depraedicent. Id quod verum esse, ipsa librorum Schegkianorum docet inspectio, in quibus magna vis Peripateticae doctrinae regnat. Recte itaque de Schegkio pronunciauit nonnemo<sup>6)</sup>: *Eum philosophiam Peripateticam, perpetuo tanquam  $\xi\gamma\gamma\omega\upsilon$  persecutum, ut e tenebris Scholasticorum iterum erueretur, illiusque usus in omnibus disciplinis incomparabilis toti orbi pateret, legendo inque publicum meditationes suas edendo, vnicuique operam suam addixisse.* Et tentavit quidem Stoica quoque, et ARRIANI *Dissertationes Epicteteas* in Latinum sermonem transtulit: parum fauente Minerua vero hunc eum laborem suscepisse, passim viris doctis observatum est<sup>7)</sup>: cuius praecipua causa esse videtur, quod satis quidem feliciter Graecam linguam teneret, verum a Stoicae philosophiae cognitione esset destitutus, sine qua talis labor inutiliter suscipitur. De Peripatetica philosophia autem non accurata tantum praeceptorum Aristotelicorum explicatione, sed acri quoque defen-

1) loc. cit.

2) Dedic. Alpium caesarum.

3) Hinc non probavit Taurellum toties ab Aristotele recedere, praedixitque, irritatum iri crabrones.

4) Biblioth. crit. c. 40. p. 605.

5) Vid. quae de studiis suis Aristotelicae et Platonicae philosophiae ipse monet in Peroratione Antifimonii p. 468.

6) Parum tribuebant Schegkiani Melanchthoni, quod Schegkii sine dubio a Bigotio didicit. Hinc primus restaurator Peripateticae philosophiae inter Germanos a suis habitus est.

7) FECHTIVS Sched. sacr. Ex. II. p. 448. conf. MORHOF. Pol. T. II. p. 60.

8) CASAVBONVS Ep. 599. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV.

fenfione 'praeclare meruit. Nascenti enim et vires eundo acquirenti philosophiae Petri Rami masculule se opposuit, et cum Ramo ipso congressus est, qua occasione *Hyperaspisten* contra Ramum edidit, ab ADAMO et TEISSIERIO in catalogo librorum Schegkii praetermissum. Cuius scribendi occasionem dedit Ramus quatuor epistolis ad Schegkium datis. Quas ei controuersias autem Genebrardus theologus Parisiensis et theologi Tubingenses mouerint ob librum *de Vnione personali et duabus naturis in Christo*, temeratae puritatis euangelicae eum reum agentes, alio loco exponendum est *f*. Id vero non omittendum, si fides MARTINO CRYSIO *g*, ante mortem edita confessione fidei orthodoxiam eum demonstrauiſſe. Aristotelicas quoque subtilitates consecutus refectionem eiusdem numero corporis negauit *h*. Plurima scripsit vir inexhaustae diligentiae, etiam praeter adducta, partim medica, partim physica, partim dialectica, etiam theologica nonnulla et eristica, quorum catalogum habes apud MERCKLINVM *i*, ADAMVM *j*, TEISSIERIVM *k*. Oculorum lumine priuatus cum publicum docendi munus obire amplius haud posset, illi se abdicauit, successoremque, quem sibi exoptauerat, habuit Andream Planerum, Bolzani apud Tirolenses natum, et in Scholis Lindauensi et Tubingensi educatum; qui cum anno MDLXXIX doctoris et paulo post professoris axioma apud Argentoratenses obtinuisset, cathedram Organi Aristotelici et medicinae a Schegkio relictam occupauit anno MDLXXIX, denatus an. MDCVII, aetatis LXVII, ipse quoque de Peripatetica philosophia haud obscure meritus *l*.

Philippus  
Scherbius.

§. L. Quod Tubingae Schegkius, id in Altdorfina academia PHILIPPVS SCHERBIVS fuit, qui in scholis Protestantium Germanicis merito inter antesignanos Peripateticorum refertur. Nam et eruditionis philosophicae praestantia, et doctrinae Aristotelicae accuratioris cognitione paucos habuit suae aetatis sibi similes. Dolemus modo, tenuem factis de hoc viro egregie de literis merito esse in actis literariis notitiam, nec praeter ea, quae praeclarum olim Pindi Norici decus, illustri Io. IAC. BAIERVS, cui *Vitas medicorum Altdorfiorum* *m* debemus, qua potuit diligentia congeſſit, et quae hic inde dispersa in scriptis virorum doctorum, qui isto tempore vixerunt, inueniuntur, suppetere nobis alia quibus historia eius literaria iuuari queat. Fuit Philippus Scherbius ex Heluetiis Cellae Episcopi natus *n*, quo vero anno, quibus parentibus, incertum est, et aequae ignotum, quibus potissimum praeceptoribus domus sit. Illud ex Michaelis Piccarti, qui ab ore eius pependit, *Epistola* quadam

e) Dolendum autem, acerbissimum se aduersarius in hac defensione praestitisse, ut ex Apologeticis eius patet, quae conuictis sciant.

f) Vid. praef. Apologetici contra Genebrardum Antisimonio adiecta.

g) Annal. Suen. P. III. L. XII. c. 29. p. 353. c. 31. p. 359. ed. recent.

h) REIMMANN. Hist. liter. Germ. P. IV. p. 84.

i) Linden. Renou. p. 493.

j) loc. cit.

k) loc. cit.

l) ADAMI Vit. Medic. p. 405.

m) pag. 15.

n) Ibid. OMERIS Glor. Acad. Altdorf. p. 66. 166.

quadam ad Hoffmannum<sup>o</sup>, quae inter *Richterianas* legitur, constat, eum in ipsa Italia philosophiae Peripateticae femina concepisse, et imprimis Pellegrinum audiuisse, cuius metaphysicam ex ore docentis exceptam, cum nemine, ut erat invidus, communicauerit, sed tantopere occultauerit, ut Gryphes non ita aurum suum custodiant, ut ille suum Pellegrinum. Paulo vero certiora, quam quae ipsi BAIERO innotuere, de Scherbio nobiscum olim communicauit, magni nominis in academia Basileensi Polyhistor, orbi erudito nostraeque amicitiae nimis acerbo praematuraque fato ereptus CHRISTOPHORVS IACOBVS ISELIVS, etiam post funera merito desideratissimus. Eo enim, consultis albo chartisque academiae, interprete nouimus, Scherbium anno MDLXVII nomen ciuitati isti literariae, rectore Martino Hubero, dedisse, et haud segniter in literarum stadio cucurrisse, peractoque itinere literario, in quo sine dubio Pellegrinum audiuit, et a Peripateticis Italis natiuam Aristotelis philosophiam didicit, tantopere doctrinae nobilissimae praestantiam demonstrauisse, ut cum Nicolaus Stupanus, professor organi Aristotelici professorio munere ad tempus priuaretur, Scherbio eius vices obeundae anno MDLXXXII, LXXXIII demandarentur. Thoma Erasto vero ex cathedra philosophica ad medicam translato, illi in tradenda philosophia Aristotelis morali anno MDLXXXIV successor datus est, anno quoque sequente senatus academico adscriptus. Vix autem annum in eo munere exegerat, cum praestantissimae eruditionis Scherbiana fama commoti proceres Norici, quibus Altdorfinae ea aetate Scholae cura commissa fuit, eum ad hanc academiam vocarent, ut non logicam tantum et metaphysicam, sed medicinam quoque studiosae iuuentuti explicaret: id quod factum anno MDLXXXVI. Cum autem biennio post; erepto academiae Basileensi Zwingero, clarissimi nominis medico, cathedra medica vacaret, tanta fuit Scherbiana eruditionis auctoritas, et grata celeberrimi viri recordatio, ut ad hoc munus obeundum aucto quoque stipendio inuitaretur. Quam vocationem licet vehementer vrgerent Basileenses, et erogatos quoque in Scherbii studia sumtus obtenderent, tam charus tamen Norimbergensibus proceribus fuit Scherbius, ut interposita auctoritate sua precibusque eum apud se retinerent. Ea enim erat iudicii, quo pollebat Scherbius, admiratio, ea praestantissimae raraeque doctrinae fama, ea philosophiae artisque salutaris in illo cognitio, ut et studiosa iuuentus summo studio ab eius ore penderet, et senatus academicus et quotquot docendi munus obibant, summo eum loco ponerent, et inter praecipua scholae suae ornamenta connumerarent. Quam existimationem ei imprimis

o) Epist. Richter. p. 579. Ex quo loco coniectura Baieri confirmatur.

p) BAIERVS L. C. IO. FABRICIVS Hist. Bibl. suae T. V. p. 510. Fallitur itaque REIMMAN-

NVS Hist. lit. Germ. P. V. p. 18. et qui eum sequitur Cel. STOLLIVS Intr. in Hist. liter. P. II. c. 2. §. 21. p. 439. qui philosophiae professorem tantum faciunt.

mis comparauit, tantamque excitauit opinionem profunda, quam possidebat Aristotelicae philosophiae cognitio. Haec enim Philippi Melanchthonis discipuli in ista academia obtinuerant, qui licet magna perspicuitate et simplicitate summa Peripateticae philosophiae capita traderent, ipsa tamen adyta Aristotelis non perreptabant, contenti ea docuisse, quae a praeceptore acceperant, ut supra iam dictum. Scherbius autem ad Altdorfinas Musas translatus non hos riuiolos consectabatur, sed ad fontes, ipsaque scripta Aristotelis iuuentutem ducebat, quae obscura alias et difficilia, cum accurate intelligeret, tanta dexteritate et perspicuitate explicuit, intimosque Stagiritae recessus referauit, ut non potuerit non in illo seculo quod totum quoad philosophiam Peripateticum fuit, maxima inde eum fama consequi: praesertim cum ope analyticae methodi solidam pariter et luculentam Aristotelicarum opinionum interpretationem exhiberet. His, quae in doctore summo loco haberi solent virtutibus accessit morum elegantia et iucunditas quaedam, in docendo interdum ad decoros usque sales progressa, qua attentionem auditorum mire conseruauit excitauitque, adeo ut magna esset in phrontisterio Scherbiano iuuenum doctorum frequentia, et applausus maximus. De quo digna sunt, quae legantur professorum Altdorfsiensium CASPARIS HOFFMANNI et IO. PAULI FELWINGERI testimonia <sup>q</sup>. Non vero iuuentutis tantum, literarum studia in isto Athenaeo persequentis hoc iudicium fuisse, sed magnos quoque viros, et Peripateticae philosophiae arcanis accurate innutritos lectis eruditissimis Scherbii lucubrationibus eundem in modum de eo iudicasse, eumque inter nobilissima Lycei fidera retulisse, facile collectis eorum testimoniis demonstrari posset, nisi limites nostrae tractationis obstarent. Vnius H. CONRINGII <sup>r</sup>, at quanti in his literis arbitri! iudicium sufficere potest, cui immortalis vir audit, cui inter Germanos philosophos parem difficulter inuenias, alioque loco <sup>s</sup> magnum eum Aristotelis philosophiae apud Altdorfsinos fidus salutat. Tacemus Valentini Henrici Vogleri, Andreae Libauii, Michaelis Piccarti elogia adducta a B. BAIERO <sup>t</sup>, quibus plura ex recentioribus quoque facile addi possent\*, si id ageremus. In id vero quam maxime Scherbius incubuit, ut neglectam haecenus, certe non satis excultam inter Germanos philosophiam Aristotelis sinceram restitueret, et quam apud Italos regnare credebatur felicitatem, suis quoque popularibus impertiret. Quem in finem cum Melanchthoniana displicerent, magnis multisque sumptibus, quos in comparandis aduehendisque ex Italia Peripateticorum scriptis impendit, non pepercit, tanta in excolenda philosophia Aristotelica industria studiorum-  
que con-

q) Vid. CASP. HOFMANNI Dedic. Thesum medicarum SCHERBII, FELWINGER. Praef. philos. Altdorf. BAIER. I. c. p. 16.

r) Introd. in artem medicam c. 1. p. 3.

s) Not. ad SCIOPPII Paediam p. 160. de ciu. Prudentia p. 126. 129.

t) loc. c. p. 18. 19.

\*) Conf. Epist. Richter. p. 591. THOM. CRENIUS Meth. T. I. p. 424. T. III. p. 375. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 4. p. 62. BVD. Annot. ad H.P. c. 6. §. 5. p. 386. ELSWICH. de Fort. Arist. in Acad. Prot. §. 23. p. 60. 61.



que contentione vsus, vt propter laboris intemperantiam amici eius interdum, qua possent ratione, fronte et pudore posito eum auocarent, eo quod vita eius metuerent <sup>ff</sup>. Ita vero factum, vt inter celeberrimos philosophiae Peripateticae restauratores referretur, iudicaretque HERM. CONRINGIVS <sup>z</sup>, primum eum fuisse, qui sinceram rationem, secundum Aristotelis principia philosophandi inter Germanos comprehenderit. Tanta animi delectatione, tantaque laboris industria cum in studio Peripatetico versaretur, mirum non est, intolerabile visum esse Scherbio, quod insolita audacia philosophorum principem Petrus Ramus conuelleret, nouamque ei philosophandi rationem, quam velut leuem et a veteri disciplina deficientem Peripatetici mire contemnebant, surrogaret. Opposuit itaque philosophiae Ramaeae, valde in academijs Germanis grassanti disertationem <sup>u</sup> *pro philosophia Peripatetica aduersus Ramistas*, veteri eruditione praeclare refertam. In qua licet reprehendat Cel. REIMMANNVS <sup>v</sup>, quod nimium affectibus dederit, nec rationum pondera satis trutinauerit, ignoscendum id tamen est, summo, quem Scherbis fuit Peripateticae doctrinae amori, quo summam eam sapientiam continere sibi persuadebat. Non dissitebuntur autem, quicumque veteris disciplinae Peripateticae gnari attente breue scriptum legerint, recte iudicasse MORHOVIUM <sup>w</sup>, *adeo breuem, neruosam, elegantem, neque sine flore eloquentiae istam disputationem esse, vt vel vasto libro accuratius aliquid scribi haud possit*. Huic autem studio philosophiae Peripateticae immenso sine dubio tribuenda est amicitia, quam Scherbis cum Andrea Caesalpino intercessisse supra in huius vita retulimus, et cuius fructus fuit, quod eius scripta Peripatetica vehementer iuuentuti commendauerit. Inique id tulit, qui eodem loco artem salutarem et philosophiam interpretabatur, Nicolaus Taurellus, quem editis *Alpibus caesis* Caesalpino innumeros errores obiecit suo loco supra diximus, immoderatum autem Peripateticae philosophiae studium ad eclecticam quandam et magis sanam rationem reuocauisse, in sequentibus trademus. Quod licet non inuita Minerua fecerit, Taurellus, acer disputator et strenuus, valde tamen displicuit Scherbio, aegre in collega ferenti, contemni et suspectos reddi Italos Peripateticos amicos suos, quorum vnum Caesalpinum, multis Schegkiis, in qua schola Taurellus educatus erat, praeferebat. Hinc simultas nonnulla inter vtrumque philosophum, et indignatio mutua, quam Scherbis adeo non suppressit, vt in *Praefatione epistolica ad Ernestum Sonnerum*, CAESALPINI libris *de Metallicis Norimbergae* <sup>x</sup> recusis praemissa, eam satis luculenter proderet, iudicaretque, parum in ea pugna

P p 2

con-

ff) Epist. Richter. p. 538.

t) Praef. ad PICCARTI Isagogen in lectionem Aristotelis, quae extat quoque inter CONRINGII Epistolas p. 323.

u) Inserta quoque est Syllogae philosophiae Altdorfinae.

v) In Calendario logico p. 91. conf. BAIERVS I. c. qui obseruat, ea tamen moderatione fuisse Scherbium, vt ad atroces contumelias Henningi Rennemanni fileret.

w) loc. cit. p. 62.

x) 1602.

contra Caesalpinum Taurellum promouisse. Nec in aliis quoque vtriusque philosophi scriptis huius similitudinis vestigia desunt, praecipue in praefationibus, quae facile detegent, qui ad has circumstantias arcanas paulo curatius attenderint <sup>y</sup>. Ceterum fama quidem felix, familia infelix fuit Scherbius, filium enim vnicum, noxam habuit, ad incitas et infimam paupertatem tanto parente indignam redactum, ut narrat BAIERVS <sup>z</sup>. Podagrae vero doloribus diu vexatus, cum febris lenta accessisset, consumptis viribus quinquagenariis anno MDCV, V. Id. Iul. decessit, magno academiae luctu et desiderio. Scripsit multa, enarrata diligenter a BAIERO <sup>\*</sup>, et medica quidem, MERCKLINO <sup>\*\*</sup> quoque memorata, ex parte vno fasciculo collegit CASP. HOFMANNVS <sup>†</sup>, philosophica nonnulla philosophiae Altdorfinae inseruit IO. PAVLVS FELWINGERVS <sup>a</sup>. Collectae quoque vno fasce sunt dissertationes eius academicae, titulo *Thesum philosophicarum praefixo*; inter quas eminent, quae de *Libris Aristotelis acroamaticis et exotericis, de Differentiis analytices et dialectices ex sententia Auerrois de Differentiis rhetorices et dialectices Aristoteleae* agunt, in quibus historiae Peripateticae multa lux accenditur. Valde quoque in his thesibus laudari videas <sup>b</sup> scribendi rationem et ordinem, et τὸ Περιπατητικὸν, etiam in politico argumento expressum. Multa tamen medicorum adaptavit vsibus, forte ita auditoribus consulturus. Praeterea leguntur quoque nostri *Discursus politici in Aristotelis de Republica libros* <sup>c</sup>, opus posthumum, et imperfectum, quod gloriam auctoris quam ex literis retulit non tueri, mirandum haud est, cum vltimam illi manum imponere nequiverit. Vnde non obstat famae Scherbiana iudicium GABR. NAΥΔΑΕΙ <sup>d</sup>, ob illum librum Scherbius inter Deos minorum gentium referentis. Praestat autem lucubrationes eruditorum posthumas at imperfectas abscondere, quam editis in lucem partam meritis obfuscare laudem.

Nicolaus  
Taurellus.

§. LI. Eodem, quo Scherbius vixit tempore, Altdorfinum Heliconem eruditione philosophica et medica ornauit NICOLAUS TAURELLVS, cuius vitae doctrinaeque historia omnium certissime ex ipsis eius scriptis hauritur. Eam tamen praeter ADAMVM <sup>e</sup>, et qui hunc excipit FREHERVM <sup>f</sup>, tetigerunt quoque P. BAYLE <sup>g</sup>, IO. FR. REIMMANNVS <sup>h</sup>, IO. IAC. BAIERVS <sup>i</sup>, et nuper Ven. FEVERLINVS <sup>k</sup>, qui consulendi. Natus est vir acutissimi ingenii, qui si in nostra tempora incidisset, philosophum se praestitisset eclecticum nulli secundum. Cal. Decembr. anno MDXLVII. Montis belligardi, quo in loco pater ciuitatis

y) Ex his lucem capiet Michaelis Virungi Epigramma apud BAIERVM l. c. p. 21.

z) loc. cit. p. 17.

\*) pag. 23.

\*\*\*) Linden. renou. p. 921.

†) Lipf. 1614. 8.

a) Ambergae 1603. 4. Helmst. 1659. 4. cura Andreae Rudolphi.

b) REIMMANN. l. c. p. 20.

c) Francofurt. 1610. conf. BAIER. l. c. REIMMANN. l. c.

d) Bibliograph. polit. p. 124.

e) Vit. medicor. p. 403.

f) Theatr. p. 1220.

g) Dict. T. IV. art. Taurellus p. 327.

h) Hist. liter. German. P. IV. p. 82.

i) Vit. medic. Altdorf. p. 179qq.

k) In Diss. Apolog. pro Taurello.

tatis scriba fuit. Qui cum in aula principis gratiosus esset, filio ingenii alacritate et acumine laetam studiorum optimorum spem facienti de stipendio ducali prospexit. Quibus subsidiis instructus Taurellus in Tubingensem academiam secessit, in qua ita diligentiam probavit suam, ut stipendium ei a duce Vitenbergico Christophoro augetur. Hac in palæstra Taurellus sexennio in philosophia ab optimis magistris, maxime a Iacobo Schegkio exercitus est <sup>l</sup>. Qui cum ad ipsum Aristotelem discipulos duceret, Taurellus, cui nec iudicii acies, nec ingenii felicitas, nec laboris patientia deerat, adeo feliciter in mysteria Peripateticae philosophiae penetrauit, ut ea non modo omnia recte teneret, sed et pretium illis statuere nosset, et accurate de illis iudicaret. Dignus itaque habitus est, cui honores philosophici decernerentur, anno MDLXV magister philosophiae rite creatus. Sacris vero diuiniore doctrinae disciplinis animum addixerat; at mutare consilium et artem medicam profiteri placuit <sup>m</sup>; sine dubio, quod non omnia in recepta ecclesiae doctrina probarentur. Quae quoque causa fortunam eius in aula ducis impediuit. Confirmatis enim apud Basileenses medicae artis studiis laurea quoque in ea summa ornatus principis Friderici, sanitati tuendae praefectus fuisset, nisi theologorum suspiciones obstitissent. Testem eius rei damus ipsum TAURELLVM ita ad hunc principem scribentem <sup>n</sup>: *Cum sesqui anno post (MDLXII) prudenti quorundam consilio constitutum fuerat, ut tuae celsitudini ab ineunte aetate adiungerer, ea diligenter obseruaturus, quorum ad C. T. Valetudinem ratio esset habenda. Sed irritum hoc infectumque fuit, nescio quo, theologorum, sat scio tamen, inani metu.* Qui metus theologorum quo fundamento nixus fuerit, facile intelligent, qui peculiare nonnullas opiniones, quas de diuinis noster sibi conceperat, quasque infra tangemus, cogitauerit, memineritque, quod nos docet, *Epistola commendatitia Simonis Sulzeri pro Taurello ad Marbachium* <sup>o</sup> scripta, eum *Colnario ad Basileenses concedentem sese theologis Basileensibus frequentatione sacrarum concionum et symbolorum vsu egregie approbauisse, sancte etiam et religiose pollicitum, se parem vitae rationem deinceps in finem usque seruaturum.* Haec enim theologis Wirtenbergicis placere non poterant. Quamuis enim viro laudatissimo qui de religione Taurelli ex instituto disquisiuit, incertum videatur, an Taurellus reformatae religioni an vero Augustanae confessioni non variatae addictus fuerit, cum Voëtius Lutheranum vocet: recte tamen eidem viro doctissimo obseruatum, Ioannem Vitenbogardum testari <sup>p</sup>, theologos Heidelbergenses agnouisse Taurellum professum religionem reformatam. Ex adducto enim Sulzeri testimonio clarissimum est, eum, cum Basileae haereret, sacrorum symbolorum vsu, quae tessera esse solet publicae professionis

P p 3

fidei,

1) Vid. Praef. Alp. caesar.

m) Ibid.

n) Ibid.

o) In Epist. theol. ad Marbachium a B. Io.

FRONTIO tit. Supplementi H. E. sec. XVI. editis p. 588.

p) Hist. eccles. *ἱστορίαις* editae P. IV. p. 27.

fidei, testatum esse, transiisse se ad Reformatae ecclesiae coetus. Facile tamen persuaderi nobis patimur, Taurellum cum in Norimbergensi schola muneri publico admoueretur, consensum cum A. C. inuariata fuisse testatum, sine quo vix verisimile videtur, eum cathedrae publicae praefectum fuisse, vt quoque cum Scherbio euenisse coniecimus, et facilius id isto in loco, quam in terra Wirtenbergensi fieri potuit, eo quod in academia Altdorfina vigeat Philippicum temperamentum, quod medium quasi tenebat inter rigorem theologorum Saxoniorum, et excessus theologorum Reformatorum<sup>q</sup>. Certe addictiorem fuisse etiam inter A. C. inuariatam professos Taurellum religioni Calvinianae obseruatum quoque Affelmanno<sup>r</sup>. Verum haec de eius religione obiter. Basileae cum legeret, magna eruditionis eius fama et existimatio fuit: quam adeo valuisse putat B. BAIERVS<sup>s</sup>, vt professoris medicinae munus illi tribueretur. Id quod inde probat vir celeberrimus, quia decanus facultatis anno MDLXXX, quatuor doctores, inter quos Scherbis fuit, creauerit. Sed fefellit virum doctissimum coniectura, ignorantem morem collegii medici, qui eo tempore apud Basileenses obtinuit. Docente enim nos, cum viueret, Cel. Iselio, non professores modo facultatis medicae illud collegium constituebant, sed recipiebantur quoque et adscribebantur eius albo alii viri docti, qui artis salutaris honores summos atque iura erant consecuti, licet axiomate professorio non aucti. Hi diuersis functionibus collegii illius, et creandis quoque doctoribus eo tempore adhibiti sunt, idque etiam Taurello obtigit, qui hoc nomine bis brabeutae munere functus est. Illud autem ex laudata Sulzeri epistola ad Marbachium constat, Taurellum, qui Isaaci Kelleri et Samuelis Grynaei ex sorore neptem vxorem duxerat, Basileae propter indigenas et ciues eruditione et virtute praestantes publicum munus, ex quo familiam sustentare posset, obtinere non potuisse, licet eruditionem in arte medica, et philosophia toti academiae approbauisset: et vicariam operam Kellero per totum semestre et amplius praestitisset, cum laude et fructu auditorum: et ea propter petiisse a Sulzero, vt Argentoratensibus, apud quos eo tempore professio medica vacabat, commendaretur. Tandem apud Basileenses ethices professionem nactus est, successor datus Theodoro Zwingero. Quam vero reliquit, cum cathedra medica in Altdorfina academia ei anno MDLXXX oblata esset, quam conscendit VIII idus Octobr. id quod ex vniuersitatis chartophylacio obseruatum BAIERO<sup>t</sup>; vnde corrigendus ADAMVS, et qui eum sequitur P. BAYLE<sup>u</sup>, qui id factum esse III Cal. Iul. anni MDLXXXI, tradunt. Hoc loco positus, omnes in id vires Taurellus contulit, vt spartam, quam nactus erat, ornaret, id quod eo meliori successu ab illo fieri potuit, quo maiori erat instru-

q) Vid. B. G. G. ZELTNER. Praef. Vit. theol. Altdorf.  
r) Vid. Jac. Thomaeus apud FEYERL. l. c. p. 33.

s) loc. cit.  
t) loc. cit. pag. 2.  
u) ll. cc.

instructus eruditione philosophica et medica; quam cum insolita mentis acies, et ingenii elegantia ad vsus auditorum orbisque literati transferret, ac industria summa et viua docentis voce et calamo prodesse cunctis con- niteretur, magnus inde applausus ei contigit, adeo, vt multi se iuuenes etiam comites et barones eius disciplinae traderent, et conuictu eius vte- rentur<sup>x</sup>. Parum tamen diuitiarum inde sibi acquisuisse Taurellum, BAIERO<sup>y</sup> obseruatum est. Tandem annos natus quinquaginta nouem lue pestifera extinctus est XIV Cal. Oct. anno MDCVI. Corpore sustentabatur mens Taurelli exiguo, sed ingenio utebatur magno<sup>z</sup>, acri, foecundo, et in nexus ratiocinationum facile penetrante; quod magna sui comitabatur fiducia, animusque excelsus, fortis et igneus, qui ipse quoque in scientiarum campo sibi quid tribuebat, et non aliena modo, sed propria ex fundo suo depromere audebat. Vnde factum, vt ab aucto- ritatis praeiudicio facilius pedem retraheret. Quem ingenii Taurelliani characterem scripta eius luculenter produnt, in quibus praeter igneam illam vim animi, qua acerrime iudicabat, et aduersarios valde premebat, illa regnat libertas sentiendi et quaedam confidentia, qua emendare philo- sophiam potuisset, si in alia tempora incidisset. Testes damus verba eius, quibus acerrime in Caesalpinianam philosophiam inuehitur, ita scribens: „Inique tuli, ex Italia superatis Alpibus aliam philosophandi rationem, „nescio quibus excogitatis et assumtis principiorum loco hypothefibus, a „vera et Aristotelica philosophia alienissimis, in omnes Germaniae angu- „los irreptisse. Et eo quidem id mihi magis graue molestumque fuit, „quod Caesalpinianis his paradoxis et falsis opinionibus plurimis in „locis Germana iuuentus magna verae philosophiae iactura imbueretur. „Vt igitur philosophiam veterem et docto Schegkii iudicio miraque indu- „stria excultam ab huiusmodi fordibus repurgarem: acri certe censura et „laboribus assiduis Alpes excidi Caesalpinianas, hoc est noua, et iuuentu- „ti verae philosophiae studiosae noxia dogmata firmissimis oppugnaui ra- „tionibus, et nisi me animus omnino fallit, expugnaui, discussi, et excussi. Ab „hoc etiam opere semel suscepto non destiturus diuina fauente gratia, dum „viuam: et suum mea mens manusque facient officium. Veteri hos ego „philosophiae et veritati debeo conatus“. Tacemus hederam, quam vel ipse huic operi praefixit, vel suspendi tamen passus est, dum in titulo „vocatur, „scriptum acre, acutum et limatum, philosophiae studiosis ad „enodandas et enucleandas controuersias et disputationes physicas difficilli- „mas admodum vtile et necessarium“. Similia passim affert, contra Pic- colomineum aliosque Peripateticos disputans. Talis autem cum animo et ingenio esset, doctrina eius scriptis demonstrata doctissimis, valde viris eru-

x) Maxime Poloni et Lithuani. Vid. Dedic. librorum de Mundo.

y) l. c. p. 10. 11. qui aliquot eius rei specimina exhibet. Non itaque dabat Galenus Taurello opes.

z) Inde lepida nonneminis congratulatio ad Taurellum:

Corpore Taurellus, taurus es ingenio.

eruditus probata est, qui laudis tabulas magnificas ei suspenderunt <sup>a</sup>. Sapiunt enim ubique iudicandi vim summam, et insolitam diligentiam, quam in iis elucubrandis se adhibuisse ipse monet <sup>b</sup>. Maxime vero iudicii acumen in philosophia probavit. Cum enim *Schegkianae philosophiae*, ut ipse fatetur in *Dedicatione Alpium caesarum*, perpetuo fuisset studiosissimus, ad quam se statim ab initio studii sui philosophici assuefecerat: cumque in hac complures annos perstitisset, et discens et docens, occasio illi enata est, Aristotelicae philosophiae intus et in cute, quod aiunt, pernoscendae. Cumque tam coeca veneratione Aristotelem non extolleret, ut non auderet examini illius placita subiicere, mature, qua erat ingenii acrimonia perspexit, quam grauius erraret in multis philosophia Aristotelis, et quam turpiter se darent, qui vel excusarent errores Stagiritae, vel alienum illis ad declinandam inuidiam sensum affingerent. Vidit quoque et indoluit, multa esse inter dogmata Aristotelis impia sane et Christiano homini non ferenda, atque inimica diuinae reuelationis mysteriis. Ast haec tantopere coli, pingi, commendari, in hoc saxo voluendo tot viros magnos occupari, ut hostis religionis Christianae si non vincat, impunis tamen dimittatur, aegerrime ferebat, et pro sacris Christianae ciuitatis decretis sancto zelo exardescibat. Digna ea de re sunt, quae adscribantur Taurelli verba, tota pietatem spirantia, et exemplo egregio philosophantibus futura. Ita namque in *Praefatione Methodi medicae praedictionis* differit: *Me totum sibi Christus vindicat, nec Aristoteli quicquam tribuetur, nisi quod Christus ipse concesserit, nec si quid obtulerit Aristoteles, protinus accipiam, nisi quod fuerit Christo acceptissimum. Hoc Christianae mentis exemplar est, quod scholis omnibus et academiis propositum esse debebat.* Similia in *Praefatione Alpium caesarum* monet, hoc loco, ne prolixi simus, non exscribenda, ex quibus patet, id sibi Taurellum constituisse, ut Aristotelicam philosophiam purgaret, et vel reuelationis vel rationis armis ea Aristotelis placita de Deo et mundo conuelleret, quae tela subministrare contra veritatem reuelatam nosset. Ex his vero nullo negotio, quae Taurelli sententia de philosophia Aristotelica fuerit, potest intelligi. Non enim eam totam reiecit, sed salua religione Christiana, et quoad philosophandi viam cum ipse retinuit, tum retinendam quoque esse statuit. Fateturque ipse <sup>c</sup>, *se vnum Aristotelem pluris facere, quam tot tantorumque eius interpretum nobilem cateruam; neque sibi vnquam propositum fuisse, ut, quae firmiter annis stabilita consistunt, euertantur, utpote qui Aristotelica philosophandi ratione mirum in modum oblectetur.* Non hic de Aristotelis philosophia, sed de aliquot eius dogmatibus agi, quae multa egeant

a) Eorum encomia passim more illius temporis libris eius praefixa sunt. Egregie imprimis eius eruditionem depinxere CONR. RITTERSHVSIVS Carmine Encomiastico emblematicis

eius physico-ethicis praefixo, et ARNOLDVS CLAPMARIVS, iis, qui sunt ante libros de Coelo, iambis.

b) Dedic. libri de Vita et morte. c) l. c. p. 24.

ant emendatione, de quibus etiam graues inter Peripateticos sint controuersiae. Similia alibi quoque suggerit, passim in libris eius occurrentia, quae non cumulamur. Ex his vero, clare, nisi nos fallunt omnia, liquet, Taurellum Peripateticorum choris eximi haud posse, quamuis temperatum sobriumque Aristotelicae philosophiae studium ubique prodat. Ipsae quoque tractationes eius philosophicae, Aristotelicae sunt, si vel methodum, vel rationes respicias, licet interdum a systemate Aristotelico deflectat, et crassos eius errores emendari cupiat; hoc enim nondum sufficit, vt ex Lyceo relegetur. *Ast coeco assensu, quaecunque dixit Aristoteles vnus viri auctoritate recipere, et, vt ipse scribit, principii loco habere, quicquid ille asserit, in cuius verba iuraueris,* hoc intolerabile vitium est, excelso liberoque Taurelli animo, qui hanc *ἐνδεσιν* maiorum nostrorum merito improbauit. Praeclare ea de re passim differit, vt facile intelligas, multum quidem Taurellum Aristotelis ingenio tribuisse, verum aliquid etiam suo. Vnde reiecto, quo eum nonnulli insectabantur Ramistae nomine, quamuis aequius de Ramo iudicabat, *liberum se, ait, probare philosophandi genus, nosse se, etiam, in Aristotele reprehendisse Ramum, quod probandum non fuerat. Ast cum Ramista non sit, ideo non oportere se esse Peripateticum, vt ab Aristotele nulla ex parte recedere liceat. Putandum itaque esse, se cuiusquam mancipium esse non velle; si quod ex Aristotelicis dogma reiiciat, id ex ipso et Aristotele vel Aristotelica differendi ratione praestitutum, praeceptisque analyticis, quae non raro ipsemet neglexerit Aristoteles &c.* Maxime vero Peripateticorum Italicorum commendatio, quae ex schola Scherpii prodibat, vehementer Taurello displicuit. Cum enim nimia eorum veneratione ductus Scherpius, errores Peripateticos satis crassos, quos illi propinabant, aut negligeret, aut excusaret, Taurellus, qui liberius oculos aperiebat, detectis nefandis nonnullis dogmatibus Peripateticis laruam errori detrahere, et quam impie, quam inepte a veritatis coelestis via deflecterent, grauemque a sacris reuelationis placitis dissensum ostenderent, demonstrare conatus est. Et hinc bellum illud literarium, quod contra Caesalpinum, Piccolomineum, aliosque suscepit, exortum est, eo quod crederet, philosophiam eos Aristotelicam nouis erroribus adulterasse. Prolixe ea de re commentatur in *Praefatione Alpium caesarum*, quae tamen excubere hoc loco omnia paginae angustia prohibet. Summa eo redit: *Non probari posse capita physiologiae Aristotelicae omnia, esse Aristotelis nonnulla de Deo et mundi aeternitate dogmata, quae ferri excusarique ab homine Christiano haud possint, sed magna opus habeant emendatione. De his acriter quidem inter se disceptare Peripateticos, ast magnorum illorum virorum tantis et tam intricatis*

conten-

d) Dedic. libri de Vita et morte pag. 37.

Hist. philos. Tom. IV.

Qq

contentionibus lectorem non offendi non posse, dum, quod res est, fate-  
ri nolint, ne non videantur Aristotelici vel philosophi, mire suis haere-  
ant tricus implicati, atque ne latum quidem unguem ab Aristotele rece-  
dere vellint: esse vero, qui cum magnum affectent nomen et se velint habe-  
ri Peripateticos, ab Aristotelis tamen decretis facebant longissime, et ut  
fucum faciant, nescio quae Aristotelis loca perperam intellecta vel stu-  
dio in alienos contorta sensus suis applicent nouis et falsis dogmatibus.  
Ceterum valde indignabatur Taurellus simulationi Peripateticorum, qui  
se talia secundum philosophiam tantum, et supposita doctrina Aristotelis  
asserere saluis religionis et ecclesiae decretis inculcabant, sicque Latera-  
nensis concilii fulmina declinare satagebant. Nouerat enim, quae secun-  
dum reuelationem falsa sint, secundum rationem et philosophiam vera  
esse non posse, nec inter se discrepare lumen vtrumque, quod ex aeter-  
no Deitatis lumine prodierit. Huic enim praeiudicio euertendo *Trium-  
phum philosophiae*, quem iuuenis edidit, destinavit, et his potissimum  
armis partim contra Aristotelicos, partim contra ipsum Aristotelem in  
aciem processit. Prodiit libellus hoc titulo: *Philosophiae triumphus, hoc  
est metaphysica philosophandi methodus, qua diuinitus inditis menti no-  
titiis humanae rationes eo deducuntur, ut firmissimis inde constructis  
demonstrationibus aperte rei veritas elucescat, et quae diu sepulta fuit  
philosophorum auctoritate, philosophia victrix erumpat*.<sup>e</sup> Quem librum  
ei extorxisse certam illam persuasionem, philosophiam, quae Dei donum  
esset, Deo non aduersari, et quae scientia esset, mentiri non posse, adeo-  
que errores non philosophiae, sed philosophorum esse, ipse narrat<sup>f</sup>.  
Quamuis autem istud meletema plerosque offendisset grauiter, et theolo-  
gos, quod philosophiae tribuerentur ea, quae folius viderentur esse theo-  
logiae, et philosophos, quod veterum philosophia doctorum detecti re-  
futarentur errores: plerosque etiam vehementer vellicaret et vreret, ad-  
olescentem<sup>g</sup> audere talia, qui sacratissimam veterum philosophiam vix  
primis degustasset labiis; Taurellus tamen contentis cachinnis pariter at-  
que indignationibus, ipsam Aristotelis metaphysicam aggressus est, et  
quaecunque ad propositum suum facerent, multo labore collecta, in ordi-  
nem redacta et emendata sincere suis v<sup>u</sup>ibus applicuit<sup>h</sup>. Ex his autem  
intellexit, illis, qui Christianam profitentur philosophiam, et quibus  
propositum, vere, pure, et nostrae religioni conuenienter philosophari,  
multa veterum dogmata partim esse emendanda, vel tollenda, partim ve-  
ro etiam recte intelligenda, et explicanda. Huic itaque fini obtinendo  
totum philosophiae suae, cum theticae tum elenchticae destinavit studium,  
et

e) Basl. 1573. Arnhem. 1617. 8. conf. РЕИММ.  
I. c. et Cat. crit. p. 1103.

f) Praef. Alp. caesar. p. 28.

g) Annum enim tunc agebat decimum octa-  
uum aetatis.

h) Inde enata elegantissima eius Synopsis Me-

taphysices Aristotelis, quam ob raritatem re-  
tam dedit praestantissimus FEUERLINVS, et do-  
ctis Annotationibus auxit Norimb. 1734. 4. mul-  
ta in hoc libello abstrusiora metaphysicae Peri-  
pateticae capita recluduntur, multa examinan-  
tur, noua et singularia nonnulla asseruntur.



et non modo Peripateticam philosophiam ad sobriam rationem reuocare, sed errores quoque Peripateticorum tollere, et sophismata detegere magna diligentia studuit. Quibus eius conatibus cum animi fiducia responderet, magna Piccolominei, Caesalpini, Vallesii, Conimbricensium aliorumque nomina non pertimuit, vt non integris eos controuersiarum libris refutaret, cuius exempla esse possunt *Alpes caesae*<sup>i)</sup>, Caesalpino, librique *de Coelo*<sup>k)</sup>, et *de Mundo*<sup>l)</sup> Francisco Piccolomineo, librique *de Rerum aeternitate*, Piccolomineo, Vallesio, Caesalpino, Conimbricensibus<sup>m)</sup>, oppositi. Ex adductis vero de indole philosophiae Taurellianae accurate iudicari, et sententia certa pronuntiari potest. Et laudandum quidem omnino Taurellum esse, quod foeditatem praedicti auctoritatis viderit et detestatus sit, nemo inficias iuerit, qui verae philosophiae indolem naturamque intelligit. Et omnino verisimile est, Taurellum, si in nostra tempora incidisset, quibus proscripita philosophia sectaria triumphauit eclectica, plurimum allaturum fuisse ad incrementa philosophiae. Fruebatur enim iudicio acri, limato, perspicaci, et libertatem sentiendi fouebat cum quadam sui fiducia coniunctam, quae potissimum ad emendandam philosophiam et excutiendum feruitutis iugum requiruntur. Sed obstitit viro docto genius seculi, quod cum sectariae philosophiae amore totum esset occupatum, passum haud est, ad alia prorsus Taurellum deflectere, nouumque doctrinae philosophicae aedificium exstruere. Hinc viam quoque Peripateticam relinquere integram noluit, sed ipsa Lycei methodo, praecipue analytica, vt ipse monet, vsus est, vt errores in philosophiae hoc genere demonstraret. Quare quaecunque de rebus logicis, physicis metaphysicis philosophatus est, Peripateticum omnia vultum retinent, eo modo discrimine, vt non contentus docuisse, quid Aristoteles dixerit, examinauerit quoque, cur dixerit, ponderatisque rationibus ab eo allatis ea seruauerit, quae veritati essent consentanea, reiectis iis, in quibus Aristotelem vel sibi ipsi, vel rationi, vel reuelationi non constare iudicabat. Id quod ipse luculenter eruditeque exposuit, ita de hac sua philosophandi methodo scribens: *Nos etiam non valde solliciti sumus, quid quisque dicat. Si de placitis Aristotelis est quaestio, praestat, ipsamet eius scripta consulere; si vero prima sit exquirenda veritas, non minus, quid Iohannes, quam quid Iacobus dicat, est audiendum. Primo inquam. Cum enim rationibus agitur, nulla suspicienda est auctoritas. Quae nulla etiam est, nisi quam rationes ipsae viris ingenio et iudicio praestantibus conciliauerint. Cum itaque ad principia reuocanda sint omnia, vt cuius naturae sint, intelligatur; a D. Thoma, Auerrhoë et Alexandro ad Aristotelem, et ab hoc etiam ipso ad eius rationes est ascendendum. Quidni ergo nos ipsos in Aristotele potius, quam eius interpretibus exerceamus?* Ex his vero definiri nullo negotio potest, vtrum Tau-

Qq 2

rel-

i) *Alpes caesae*, hoc est Andreae Caesalpini monstrosa et superba dogmata discussa et excussa Francof. 1595. 8.

k) Ambergae 1603. 8.

l) *Ibid.*

m) Marburg. 1604. 8.

n) *loc. cit.*

rellus Peripateticis an eclecticis philosophis adscribendus sit? quorum prius fecit IACOBVS THOMASIVS <sup>o</sup>, qui *Aristotelicae philosophiae peritissimum in paucis virum* appellat; consentiente BAIERO <sup>p</sup>, qui ipsis Taurelli verbis vsus est. Tacemus eos, qui Taurellum inter illos numinis hostes referunt, qui ex Lyceo prodierunt, de quibus in sequentibus dicemus. Posterius ELSWICHIO <sup>q</sup>, REIMMANNO <sup>r</sup> aliisque visum, qui ea loca ex scriptis Taurellianis, collegerunt, ex quibus animus eius eclecticus elucet. Nec diffitemur, certo sensu dici posse. Taurellum philosophum eclecticum. Talem enim illum videri voluisse, clarissima eius verba demonstrant <sup>s</sup>: *Cum nulli sectae sumus addicti, neque nos Auerrhois, neque Alexandri, neque ipsius etiam Aristotelis mouet auctoritas: ut cuique assentiamur et probemus, id quod a veritate sit alienum.* Et paulo post: *Si toti pendeant ipsi ab vnius Aristotelis sententia: Nos in rebus philosophicis nullius hominis imperium agnoscimus. Omne ius in ratione est positum, ut merito, quantum iuris in veteres fuit Aristoteli, tantum etiam in ipsum eius habeant posterii.* Immo in Epistola dedicatoria librorum de Rerum aeternitate, fatetur, *noluisse se Peripateticis adhaerere, quamuis maiori cum quiete et securitate, maiore etiam commodo suo potuisset emergere.* Ipsa quoque librorum eius inspectio docet, multa eum in systemate Aristotelis physico et metaphysico reprobasse, vidisseque errores multos, eosque abiectisse, multoque magis se interpretibus Aristotelis, id est Peripateticis genuinis opposuisse, nec in sola Aristotelis auctoritate acquieuisse, sed ad rationum certamina propocasse. Si itaque Peripateticus idem est, ac *qui Aristoteli, vel Auerrhoi, vel D. Thomae aliiue cuiquam Peripatetico mordicus addictus, vel fraude vel arte quiduis ad magistri sui praecepta tuetur accommodare, et principii loco habet, quicquid Aristoteles asserit, in id iurandum esse,* (quibus verbis Taurellus Peripatetico fugillat <sup>t</sup>) fatendum omnino est, ab hoc Peripateticismo Taurellum vehementer abhorruisse, cui nihil magis detestabile visum fuit, quam; *ut quod tibi propositum est, obtineas, satis esse vnius Aristotelis auctoritatem, et non tam quid, quae ratione, quam a quo sit dictum sibi curae esse.* Ast si eum eclecticum dicamus philosophum, qui contempto sectae omnis studio nullam alteri praefert, sed selectis ex quibuscunque philosophorum factionibus, quaecunque veritati propiora videntur, nouum sibi propria meditatione construit doctrinae aedificium, non videmus, qua ratione talis fuisse Taurellus dici possit, cum nihil horum vnquam susceperit, contentus Peripateticam philosophiam emendauisse. Potiori vero iure eum Peripateticis philosophis adscribi inde colligitur, quod licet, haud pauca Aristotelis placita refellerit, maiorem tamen eorum partem retinuerit, ut vel soli libri *de Rerum aeternitate, de Mundo et Coelo et Metaphysica* testan-

tur;

o) Orig. Hist. philos. et ecclief. p. 11.

p) loc. cit. p. 4.

q) De Fort. Arist. in academ. Proteff. §. 23 p. 61.

r) loc. cit.

s) Praef. Alp. caef. p. 37.

t) pag. 23.

tur; quod vnum Aristotelem, quam omnes eius interpretes sequi maluerit; quod Aristotelem saepissime a *παρρησιαστικῶν* Peripateticorum recentiorum vindicauerit; quod in refutandis ipsius Aristotelis erroribus Peripatetica methodo vsus sit, et totius disciplinae Peripateticae typum seruauerit. Vnde si rationibus in vnum collectis sententia nobis de genere philosophiae Taurellianae dicenda est, omnium rectissime nobis illa dici posse videtur Peripatetica reformata. In id enim curam transtulit omnem, vt conculcato auctoritatis praeiudicio, quod nulla in re errasse Aristotelem delirat, ea quae vel Christianae veritati, vel rationi aduersa esse crederet, et rationibus euincere posset, emendaret, sicque purgaret disciplinam Peripateticam. Id quod adeo luculenter prodidit, fassus non agi de Aristotelis philosophia, sed de aliquot eius dogmatibus, quae multa egent emendatione, vt quid dubii superesse nequeat, non videamus. Neque haec magnopere miranda sunt ita euenisse; nam licet Taurello non defuerit ingenium vere eclecticum, et libertas quaedam sentiendi atque philosophandi haud inconcinna, destitutus tamen occasione, fauoreque temporis et circumstantiarum reliquarum, sine quibus eclectica philosophia non gignitur, ad natiuam eius indolem pertingere non potuit. Sed vt ad ipsam philosophiae Taurellianae historiam reuertamur, in haud paucis non Aristotelis modo, sed tritam quoque plerorumque philosophorum et theologorum viam relinquere, nullus dubitauit. Inter quae placita *παράδοξα* eminet illud, quod de prouidentia diuina fouit, et passim in scriptis suis disseminauit, paucis vero in praefatione Alpium caesarum ita complexus est: *Duplex circa prouidentiam diuinam error admittitur, primo quidem si omnis rerum alienarum cura Deo detrabatur: Deinde si absque discrimine rerum quarumuis, et assidua quidem ei cogitatio adscribatur. Quem propterea merito censemus sex dierum spatio naturam condidisse, ne postea τὸ συνεχὲς τῆς νόστου καὶ ποιήσεως ἑαυτοῖς molestiam pareret. Nihil enim haec ad eius felicitatem faciunt, qui fuit ab aeterno, cum nihil ipsorum esset, felicissimus. Male profecto, quisquis rerum creationem ab initio mundi conditi, ad eius usque finem extendit. Si enim voluisset in hisce Deus, occupari perpetuo, quid mediis opus erat naturalibus? Earum itaque rerum curam Deo non adscribimus, quas ipse naturae commisit, iis scilicet munitae viribus, vt eius mandata probe posset exsequi. Non video, quid hic notari possit impietatis, nam et sacris literis consentanea sunt haec et rationi vere philosophicae. - De ceteris vero, quae nulla naturae necessitate, sed libero voluntatis arbitrio geruntur, aliter sentimus. Hic enim ob summam actionum humanarum varietatem diuino opus est regimine et prouidentia. Nolumus addere alia omnia, quibus de diuina omnipotentia, natura, operibus, deque aliis paradoxe sensisse multis sua nostraque aetate*

Q 3

vifus

u) Non hanc nouam esse Taurelli opinionem sed iam adoptatam a Durando a S. Porciano, alibi Amoenit. lit. T. XIII. p. 28. monuimus.

vifus est. Inter quae Ven. REIMMANNVS <sup>x</sup>, potiffimum refert, quod ftatuerit: res a Deo creatas per fe fubfiftere; peccatum originale nihil aliud effe, quam impotentiam cohibendi naturam; iuftitiam Dei effe mifericordiae fundamentum; tres effe diuinitatis perfonas, agens, actum et actionem; incorporea poffe corrumpi, primam materiam effe τὸ nihil, fubftantiam fubftantiae contrariari, grauitatem et leuitatem non effe qualitates, vnum effe tantummodo fphaerarum coeleftium motum, non plures, desperationem effe finem philofophiae et theologiae initium, fenfum tactus effe etiam in incorporeis &c. IDEM alio loco <sup>y</sup> plura notauit, nec defunt, quae aliis difplicent, heic vbi fpecialem Taurellianae philofophiae hiftoriam non feribimus, non cumulanda: praecipue cum nobis otia fecerit, qui ex instituto in hoc argumento verfatus eft, Cel. I. W. FEUERLINVS <sup>z</sup>, qui videndus. Dici non poteft, quantum Taurello inuidiam excitauerit horum παραδόξων assertio, eo maiore fufpitione onerata, quo concifiori et fubobfcuro is dicendi genere vititur, et nimium interdum fubtili, vt egregie obferuatum Cl. REIMMANNO <sup>a</sup>. Inde factum, quod in Aristotele quoque obferuatum, vt obiectiones faepe afferantur fine addita eius nota, et ex attenta demum et iterata lectione diiudicare lectorem oporteat, vtrum alienam opinionem Taurellus referat, an fuam? tacemus diftinctiones nouas, infolitas, a communi fignificatione abeuntes, quam Taurelli obfcuritatem in cauffa fuiiffe, vt in multis alieni a mente fua fenfus ei affingerentur, luculenter demonftrauit Feuerlinus. His accefferunt odium Peripateticorum et arcanae illae fimultates, quae inter Scherbianos et Taurellianos difcipulos vigeant <sup>b</sup>, cum hi altum, more magiftri, faperent, et Peripateticos velut mutos interpretes Aristotelis contemnerent, illi impietatem et κακοφιλίαν in Taurello mire exagitant. Ipsi fane Peripatetici pati non potuerunt, fuos ita circulos turbari, neque Schegkianus, qui Taurelli ingenium magni faciebat, probauit iuuenilem impetum, praedixitque fuo illum malo crabrones effe irritaturum. Id quod mature fenfit, editis philofophiae fuae primitiis, *Triumpho philofophiae*, quem, ipfe refert, plerosque offendiffe grauitate, et dicam illi theologos et philofophos fcripiffie, auctoremque inter diuinae omnipotentiae hoftes et impietatis fautores retuliffie. Nec post fata, quod plerumque alias fieri folet, liuor quieuit, fed inter atheifmi patronos, Epicuri fequaces, et apertos numinis aduerfarios magno confenfu relatus eft, fignum praeferente ZACHARIA VIETORE <sup>c</sup>, quem post theologos et philofophos A. C. inuariatae addictos Iacobum Martini, Chriftophorum Scheiblerum, Io. Weinmannum, Arahamum Calouium Andr. Quenstedium, et Cel. Loefcherum, vt alios taceamus, fatis moderate thefes Taurellianas improbant, fecuti funt ex reformatis theologi Heidelber-

x) Cat. crit. p. 1103.

y) Hift. liter. Germ. P. IV. p. 87. z) loc. cit.

a) Cat. crit. l. c. conf. FEUERL. l. c. p. 42.

b) Conf. quae ex epiftola Dürrii ad Thoma-

fium affert BAIERVS l. c. p. 8.

c) In Topica Diff. III. §. 164.

genſes, et Giſbertus Voëtius aliique, qui cum locum Taurello inter atheos aſſignare nulli dubitauerint, alios recentiori aetate incitauerunt, vt ſimili modo de Taurello iudicarent. Neque tamen aliis paulo moderatioribus is viſus eſt, qui tam male de religione naturali et reuelata meruerit, quique ab atheiſmi et profanarum opinionum macula abſolui non poſſit, licet non omnia in quibus Taurellus a receptis philoſophorum et theologorum decretis receſſit, probanda eſſe cenſeant. Loca vtriuſque partis cum magno numero adduxerit eruditiffimus FEUERLINVS<sup>d)</sup>, et omnino mereatur elegantiffima eius *Differtatio apologetica pro Taurello philoſopho* integra legi, illis finem paginae non oneramus. Ex hac ipſa vero viri celeberrimi apologia luculenter conſtare arbitramur, immitius pleroſque cum Taurello egiſſe, qui tantum abeſt, vt impietati fauerit, vt hunc praecipuum philoſophiae ſcopum ſibi praefixerit, impietati ſe opponere, eamque in ſcriptis Peripateticis teſte propoſitam, denudare, ſuiſque telis confodere. Et ſi fatendum quod res eſt, paradoxa illa Taurello tributa tantis ab eo limitationibus vallata prodierunt, vt facile ſit; meliores ſenſus eruere, certe inhumanum ſit, et res peſſimi exempli, ob eiſmodi aſſerta conſequentiarum machinis atheorum catalogum augere. Quod licet lubens alias faciat P. BAYLE, peruidit tamen, quo erat acumine, iniuriam fieri Taurello, et hanc illi accuſationem concitauiffe odium Peripateticorum, quos in haud paucis libertate vſus eclectica oppugnauerat. Quae omnia latius exponi poſſent, nec iniucunda de placitis Taurellianis de Dei prouidentia ſpeciali eiſque concurſu ad res naturales, de anima et natura hominis, de animis brutorum rationalibus ſed mortalibus, de animis ſeparatis non intelligentibus, et imprimis de attributis Dei &c. tractatio inſtitui, niſi limites inſtituti obſtarent, et omnia occupauerit Cel. Feuerlini eruditio. Illud vnum monemus, abſurde et iniuſte agere, qui ex paradoxis nonnullis metaphyſicis, nouis plerumque terminorum ſignificationibus nixis, atheiſmi patrocinium exſculpunt. Ceterum magni nominis philoſophum, Taurellum fuiſſe, et inter praecipua Germaniae ornamenta referendum, viri ſummi recte iudicarunt. Inter quos MICHAEL PICCARTVS<sup>e)</sup> eo magis audiendus eſt, quo magis is ex diſciplina Scherbiana Taurello parum fauente prodiit; is *clariffimum et excellentiffimum philoſophum et medicum* vocat: et *ingenii Taurelliani monumenta elogio omni maiora eſſe iudicat, eo quod excitent lectorum animos, et varietate irrepant, acumine penetrent, iudicio cogant, &c.* Similia paſſim a viris doctis de Taurello ſcripta ſunt, quae hic cumulare omnia locus non patitur. Sufficiunt nobis duo viro- rum ſummorum elogia, quibus noſtra aetate nemo fuit in orbe literario auctoritate ſuperior, PETRI BAYLE, et GOD. GVIL. LEIBNIZII. Ille enim laudato excellenti Taurelli ingenio et ſubtili ratione diſputandi, inter maximos illius aetatis metaphyſicos eum numerare nullus dubi-

d) loc. cit. Sect. I.

e) In Dedic. iteratae editionis librorum TAURELLI de Coelo.

dubitat *f.* Hic autem ingeniosissimum vocat, fateturque, *se eum Scaligerum Germanorum appellare solere, stilo, acumine, ingenio, libertate sentiendi, medicinae professione simillimum f.* Scripsit multa vir diligentia pariter et eruditione summus, partim philosophica, partim medica, enumerata quidem, sed imperfecte a MERCKLINO\* et ADAMO †, accurata vero recensione enarrata ab illustri BAIERO *g.* Ea quidem vbiuis in Bibliothecis et in bibliopoliis occurrere scripsit vir quidam doctus *b.* sed id falsum esse, bibliophilorum curiositati ignotum haud est *i.* Pleraque enim Taurelli scripta rarius inueniuntur, sine dubio, quod partim ob stilum obscurum difficilemque et reconditos sensus neglecta, partim ob atheismi suspensionem oculis subducta sint. Quae licet requirant lectorem attentum, praepudicio non occupatum, diligentem quoque et laboris patientem, ut relegere aliquoties ea non recuset; exhibeant quoque nonnulla, quibus calculum adiacere prudentes recusauerint, eam tamen iudicii vim, eam eruditionis copiam, eam eruditionis elegantiam produunt, ut in iis aliqua cum cura versari harum deliciarum amanti omnino sit iucundissimum. Certe Taurelli eruditio et philosophia elegans exemplum est, non defuisse Germaniae nostrae ingenia excelsa, quae idem forte perfecissent, quod aliarum regionum viri summi feliciter aggressi sunt, si in alia tempora aliquaque locum incidissent.

Ernestus  
Sonerus.

§. LII. Scherbii scholam continuauit et auxit, qui ex eius disciplina prodiit, ERNESTVS SONERVS, vir doctissimus, et in philosophica pariter atque ecclesiastica historia memorabilis. Cuius vitam oratione panegyrica delineauit GEORGIUS RICHTERVS *k.* ita tamen, ut fidem non in omnibus mereri visus sit. Erat enim non discipulus modo Soneri, totus praeceptoris admiratione captus, sed in eius quoque partes clanculum discesserat, nec quae dici poterant et debebant, propalare ausus est. Vnde factum, ut diu superiorum auctoritate prohiberetur, hac oratione Sonerum publice laudare. Cuius rei arcanas circumstantias, qui nosse cupit, eas discet a B. ZELTNERO *l.* Qui cum *Crypto-Socinismi*, hoc tempore *Aldorfii serpentis* et a Sonero maxime promoti *Historiam* lectu sane dignissimam conderet, huius etiam philosophi atque medici fata, et opiniones mira felicitate et eruditione descripsit *m.* Quorum comparanda sunt, quae in *Vitis Medicorum academiae Aldorfinae* *n* de Sonero narravit IO. IACOBVS BAIERVS *o* *vou év αργείοις.* Nobis hoc loco ea potissimum enarranda sunt, ex quibus constat, de schola cum Peripatetica eius aetatis in hoc Athenaeo praeclare meruisse. Natus est Sonerus in incluta S. R. I. libera ciuitate Norimbergenfi anno MDLXXII,

f) Diss. Hist. et crit. loc. cit.

ff) In Otto Henouerano p. 141. add. MARNOR. Polyhist. T. II. p. 61. et quae collegere celeberrimi viri BAIERVS et FEUERL. II. cc.

\*) Linden. renou. P. I. p. 844.

†) loc. cit.

g) loc. cit.

h) Obs. Hal. T. X. n. 8. 9. p. 217.

i) Vid. Ven. VOGT. Catal. libror. rarior. p. 562.

k) Ea prodiit Norimbergae 1614. 4. Recusa in

WITTENII Memoriis philosoph. dec. I. p. 18 sq.

l) Hist. Crypto-Socinismi Aldorfini §. 17. p. 52.

m) §. 26 seqq. p. 26 seqq.

n) pag. 26.

MDLXXII<sup>o</sup>, parente fatus Marco Sonero, mercatore quidem, sed ab imperatore Maximiliano II nobilitatis priuilegiis donato. Cuius cura puer literarum rudimentis in gymnasio patrio ita a praeceptoribus fidei institutus est, vt in Altdorfinam academiam anno aetatis quinto et decimo mitti posset, adscriptus illi adolescentum literarum studiis inuigilantium numero, qui in publico prytaneo senatus Norimbergensis liberalitate sustentantur. Eo in loco scientiarum propaedeumaticarum institutione egregie formatus, iudicioque paulo maturior, cum supra spem in literis proficeret, ad philosophiam et medicinam traductus est. In vtraque tunc docuisse Scherbium et Taurellum, magna Pindi Norici ornamenta, hosque Peripateticam sapientiam tradidisse, illum satis sectarie, sed accurate ad mentem Aristotelis, hunc libere, et cum examine, ex antecedentibus constat. Eos itaque duces nactus animum ad Peripateticae philosophiae mysteria accuratius pernoscentia applicuit: artis quoque salutaris praecepta ex ore magistrorum tanta attentione et iudicii vsu percepit, vt et his, et quotquot Sonerum nouerant, egregie se commendaret. Maxime vero ex Scherbii eruditione profecit, studiumque et ingenium ita viro clarissimo probauit, vt publico eum ornaret testimonio, eruditionis Sonerianae teste luculentissimo<sup>e</sup>. Anno itaque aetatis vigesimo tertio, dignus habitus est, cui docendi auctoritas atque ius publico axiomate cohonestato tribueretur. *Cum enim ad percipiendam Aristotelis mentem, (verba damus RICHTERI) non modernorum riuulos, sed ipsos antiquorum fontes, maxime vero Aristotelis scripta diurna nocturnaue industria consecraretur, ratus, se aliter eruditum fieri non posse, nisi concoloretur antiquis; a Scherbio autem singulari amore exceptus, multa philosophiae arcana reuelata accepisset, is vnus e multis ab eo viuo sibi successor delectus est, idoneusque habitus, qui Lycei Altdorfini gloriam, praeceptorumque famam sustinere atque propagare posset. Magisterii, quod vocant, honore auctus ad docendum se applicuit, et priuatae iuuenum studioforum coronae physicam secundum mentem Aristotelis tradidit, idque postea in medicina quoque tentauit et cum laude perfecit. Ita vero dum optimis disciplinis se ingurgitat, et eruditione praeclare crescit, valde quoque augetur eius commendatio. Qua factum, vt duo nobilissimi adolescentes, patricia gente nati, Christophori Füreri ab Haimendorf duumviri et equitis aurati filius, et Christophorus Schlaudersbachius, qui de consilio parentum et tutorum literarium iter ingrediebantur, eius fidei et curae crederentur. Cum his per Saxoniae inferioris ciuitates atque academias Hamburgum delatus cum nauem conscendisset, Amstelodamum petiturus, in grauissimam tempestatem incidit, et naufragium vix euitauit. In portum quandam autem egressus, eum lue pestifera infectum*

o) Apud BAIERVM 1573. l. mendo sine dubio typographico. p) RICHTER. I.C. BAIER. I.C.

cognouit; quamprimum itaque corpora curassent, relicto loco periculosis-  
simo per Frisiam orientalem ad nobilissimam Batauorum quae Lugduni  
est, academiam cum comitibus contendit. Ibi non sine nominis claritate  
et famae celebritate Soneri eruditio innotuit. Cum enim in publicis lite-  
ratorum congressibus, maxime in velitationibus philosophicis inusitatam  
doctrinae reconditae magnitudinem multoties demonstrasset, et imprimis  
quanta accuratone Aristotelis mysteria pernosset, ostendisset, adeo ut  
nouum Belgio exortum esse Aristotelicae sapientiae lumen multi iudica-  
rent; magnus inde et iuuentutis literis in eo scientiarum optimarum  
mercatu inuigilantis et celeberrimorum quoque virorum applausus et eru-  
ditionis Sonerianae celebratio secuta isque habitus est, quem summi  
viri, qui dum in ea schola maxima cum laude docebant, vel ad eam di-  
uertebantur, Iosephus Scaliger, Ianus Doufa, Philippus Marnixius, Io-  
annes Heurnius, Paulus Merula aliique sua amicitia dignarentur. Quam  
vero in ista literarum sede famae accessionem fecit in detrimentum illi fi-  
dei et religionis ea conuersa est. Nempe Polonorum et Lithuanorum  
nobilium quorundam praeceptoribus Andreae Voidouio et Christophoro  
Osterodo innotuerat, qui tum cum alumnis suis studiorum causa Lei-  
dae haerebant. Hos Socini placita recepisse magnoque acumine defendisse,  
ex historia huius sectae est notissimum. Cum his dum amicitiam ne-  
dit, (sine dubio quod Polonorum multi iuuenes nobilissimi Altdorfium  
studiorum causa concedere solerent) opinionibus Socinianis Sonerus  
corrumpitur, ingenii confidens acumini. Illis tamen, cum pestis haec  
innotuisset, Lugduno excedere iussis, Sonerus suo se septo continuit, et  
opiniones ab ecclesiae doctrina deuiantes exire in publicum passus haud  
est. Neque tamen in hoc literarum elegantiorum emporio longius com-  
moratus est, sed iuuenes suae fidei traditos in Britanniam deduxit, Oxo-  
niensem academiam inuisit, Londini viris summis et eruditissimis innotu-  
it. Ex insula in Galliam transfretans, in ea regione vidit, quicquid iu-  
uenem summam literarum gloriam affectantem inuitare et admirationem at-  
que aemulationem accendere aptum est. Lutetiae Parisiorum, Aureliani,  
et Auarici Biturigum cum Musis conuersari earumque alumnis iucundissi-  
mum habuit: Lugduno quoque, Auenione, Massilia aliisque nobilioribus  
Galliae urbibus visis in Italiam pedem cum focis promouit, adiitque Ge-  
nuam, Mediolanum, Ferrariam, Bononiam, Florentiam, Senas, ipsum-  
que caput olim orbis, Romam: tum Neapolin, et quae circumiacent  
loca vetustatis fama nobilitata. In quibus non peregrinantium volupta-  
tem persecutus est, sed eruditionis alimenta quaesuit, innumera antiqui-  
tatum rudera examinavit, scholas celebriores inuisit, naturae arcana mi-  
raque specimina rimatus est, et ad literarium penum cuncta diligenter re-  
tulit: et confecto hunc in modum itinere Italico ad Patauinas Musas con-  
cessit, qua in schola eo tempore praeclaris praeceptoribus feruebat medi-  
cinae

q) RICHTER. l.c.

r) Vid. SANDIUS Bibl. antitrin. p. 91. 92



cinæ studium. Quod tanta felicitate non quidem sine oleo et sudore abfoluit, vt ad Germanos redux Basileæ Rauracorum fummos in arte medica honores atque iura obtinere poffet. Ita eruditione et nominis celebritate auctus, at opinionum quoque paradoxarum farragine onuftus in patriam reuerfus et collegio medico adfcriptus eft. Ibi excellentiffimam eius in medendo fortunam fuiſſe, multaque ab eius eruditione medica ſolatia aegros accepiffe teftatur RICHTERVS, qui ad præſentis auditorii teftimonium prouocat, affirmans, nihil fere in medicinae vfu poſitum eſſe, quod huius viri ſcientiam effugerit, fidemque ſummam non probauerit, quam imprimis Taurello grauiter decumbenti vsque ad vitæ exitum, in morbo peſtillenti demonſtrauerit. Poſt mortem Scherbii, cum non alius eſſet, qui eruditionem tanti viri et philoſophicam et medicam melius referret, et gloriam Altdorfinæ academiæ eruditione ſua tueretur, ad eam ſcholam translatus et cathedra illi phyſica atque medica tradita eſt anno MDCV. Ibi non modo naturalem philoſophiam Ariſtotelis, quod muneris ratio exigebat, explicuit, ſed rationalem quoque et imprimis metaphyſicam partem excoluit, ſuisque commentationibus doctæ iuuentuti illuſtrauit. In eo autem cura illius maxima fuit, vt conſultis medicorum et philoſophorum veterum, maxime Galeni et Ariſtotelis, ſcriptis, ad antiquam diſciplinam iuuenum ſtudia effingeret, ea a contortis recentiorum nonnullorum interpretationibus vindicaret, obſcuris lucem inferret, et quæ irreconciliabilia videbantur, explicata in concordiam redigeret. Ita vero et auditorum numerus, et diſcentium applauſus mirum in modum illi auctus eſt, multosque habuit nobiles non modo diſcipulos, ſed et conuiſtores commenſalesque, imprimis Polonos et Lithuanos, quos illi præter Scherbianæ et Taurellianæ in hac gente doctrinæ famam, arcana illa, quam caute quidem, ſollicite tamen nutriuit amicitia et conſpiratio cum Socinianis comparauerat. Ab iis enim, quotquot illis partibus fauebant, Sonero commendati ſunt. Qui vt erat acutiſſimi ingenii et homo callidus, magna quidem in eo negotio prouidentia vſus eſt, ſumma tamen induſtria placita Socini tacite propagare et iuuenum inſinuare animis conatus eſt; multosque in eas partes pertraxit, inter quos imprimis fuit Martinus Ruarus, non ignobile poſt iſta tempora Socinianæ factionis nomen. De quibus tamen Soneri placitis, ſtudio, fatiſ, hoc loco plura dicere nihil attinet, cum ad ſacram illa hiftoriam pertineant, explicata ſummo ſtudio miraque felicitate a B. GEORGIO GVSTAVO ZELTNERO, cuius *Hiftoria arcana Crypto-Sociniſmi Altdorfini* attente meretur legi. Non tacendum tamen, eam fuiſſe tum viuentis ob doctrinam vitæque innocentiam opinionem, tum fatiſ erepti famam, vt non dubitauerint viri quidam docti ab hac Sociniſmi ſuſpicionem Sonerum abſoluere,

R r 2

vfi

s) Diximus ea de re in §. antecedente, conf. ZELTNER. l. c. p. 36.

511. Edit. Zeltner.

t) Vid. RVARI Epistolæ Cent. II. ep. 26. p.

u) FABRIC. Hiſt. Bibl. ſuzæ T. II. p. 511. CRENIVS Animadu. philolog. T. V. p. 246.

vsq[ue] testimonio Iacobi Schopperi, theologi Altdorfini, qui morienti adfuit, pieque eum exspirauisse testatus est. Quos tamen falli, ipsumque, Schopperum pia credulitate deceptum fuisse, desideratissimus Zeltnerus satis verisimiliter ostendit, qui videndus. Maxime vero metaphysica Aristotelica vsus Sonerus est, ad insinuanda iuuenum animis Socini placita. Quamuis enim artem salutarem profiteretur, metaphysicas regulas tamen theologicis exemplis ita illustrauit, vt ex Peripato potissimum *ερεγδοζίας* color aduocaretur. Quod si integer et non truncatus mutilatusque comparuisset *Commentarius eius in Aristotelis metaphysicam*, editus post fata a Ioanne Paulo Felwingero <sup>v</sup>, luculentius constaret, quo pacto Peripateticis armis subdole Christiana mysteria confodere Sonerus aggressus sit. Ast in hac editione ea, quae offensionem esse poterant, omissa esse, non negat ipse editor: cum tanta suspicionem hanc secuta sit inuidia, vt eam amici Soneriani, inter quos Ruarus et Richterius eminuere <sup>w</sup>, merito pertimuerint. Obiit vir doctissimus in flore aetatis annos natus quadraginta <sup>x</sup>, IV Cal. Oct. anno MDCXII, vlcere maligno extinctus, relicta magna eruditionis haud vulgaris fama. Quam imprimis nobilitauit Peripateticae philosophiae natiuae et sincerae cognitio, qua Aristotelicae philosophiae in paucis peritissimus audit iusto in hac re arbitro IACOBO THOMASIO <sup>y</sup>, vt similia aliorum iudicia taceamus <sup>z</sup>. Maior autem futura fuisset Sonerianae doctrinae celebritas, si modum acumini philosophiae sectariae ponere nouisset et abstinuisset ab iis opinionibus, quibus sacra Christianae fidei temerasse, et bellum armis Peripateticis ciuitati sacrae intulisse visus est. Cuius exemplum qui vult, fumere illud potest, ex scriptiuncula Soneri satis ingeniosa quidem, sed rarissima, quam titulo *Demonstrationis theologiae et philosophicae, quod aeterna impiorum supplicia non arguant Dei iustitiam sed iniustitiam*, edidit <sup>\*</sup>. Scripsit pro aetatis annis haud grauis modulo satis multa vir diligentissimus *Disputationes, philosophiae Altdorfinae* ex parte insertas <sup>†</sup>, *Paraphrasin in Aristotelis libros de interpretatione* <sup>a</sup>, et medica nonnulla atque theologica, de quibus, cum huius loci non sint, videndi ABR. MERCKLINVS <sup>b</sup>, et G. G. ZELTNERVS <sup>c</sup>, qui de catechismo eius Sociniano albis coruis rariore est videndus. Reliquit etiam *Commentarium in libros VIII Physicorum Aristotelis* haecenus typis non vulgatum, teste OMEISIO <sup>d</sup> et BAIERO <sup>e</sup>.

## §. LIII.

v) Ienae 1657. 4. In hac vero editione licet truncata nonnulla occurrere minus probae moneatur obseruat Cl. IOACH. FRID. FELLERVS, in Supplem. ad vitam Leibnizii p. 11.

w) Vid. RUARVS Epist. cent. II. p. 420. Epistolae Richterianae p. 391. ZELTNER. p. 40.

x) Perperam apud REIMMANNVM Hist. lit. Germ. P. IV. p. 9. ponitur annus trigessimus.

y) Orig. Hist. phil. et eccl. p. 11.

z) Vid. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. II. p. 62. REIMI. et FABR. II. cc. ELSWICH. de For-

tuna Aristot. in Acad. Protest. §. 23. p. 61. BVD. DEVS Isagog. L. I. p. 254.

\*) Prodit cum nonnullis libellis Laelii et Faustii Socini Eleutheropoli 1654. 16. vid. Cl. VOGTIUS Cat. libr. rar. p. 545. SANDIUS loc. c. Conf. FELLER. l. c. MOSHEM. Praef. Orat. SS. Vol. I. ZELTNER l. c. p. 50. †) Decem eae sunt.

a) BAIER. loc. cit.

b) Linden. Renou. P. I. p. 263.

c) l. c. add. SANDIUS l. c.

d) Gloria Acad. Altdorf. p. 69. e) loc. cit.

§. LIII. Praeceptorum vestigia magna industria pressit et eruditionis Peripateticae gloriam Heliconi Norico vindicauit MICHAEL PICCARTVS, cuius memoriam post Fridericum Rochsium, Prutenum, cui *Piccartonnema* debemus, recusum ab HENRICO WITTENO <sup>f</sup>, ab obliuione vindicauit B. SIGISMVNDVS IACOBVS APINVS <sup>g</sup>. Natus est Norimbergae III Cal. Octobr. anno MDLXXIV, parentemque habuit Ioannem Piccartum, vel quo pacto ipse nomen exprimere solebat Picardum <sup>h</sup>, qui post ea tempora Altdorfinae ecclesiae praefuit, et theologiam docuit. Cum praeclarae indolis specimina mature ederet, parensque ingenio, quod optimum nactus erat, calcar cohortationibus et exemplo adderet, magnis passibus adhuc adolescens ad literarum gloriam grassatus est, adeo vt annos natus quinque supra decem, gradum baccalaureatus, quem vocant, consequeretur, et praematura referret diligentiae praemia. Quae tantum abest, vt segniores in hoc, quod ingressus erat stadio, absolueno facerent, vt potius summum illi ardorem excitarent, ad maiora et praestantiora contendendi. Vfus itaque in disciplinarum, maxime philosophicarum, studiis prosequendis magistris, quos Altdorfina schola eo tempore alebat optimis et praestantissimis, et imprimis veterum lectioni ex consilio praeceptorum totum se immergens octodecim annorum iuuenis maturos virilis eruditionis fructus tulit, eorumque testimonium luculentum accepit, publica promotione inter philosophiae doctores relatus. Vt itaque iuris optimarum artium studiis sibi acquisiti vsum haberet, philosophiam iuuentutem docere, et disputando quoque ingenii vires explicare coepit, eo successu, vt apud omnes honestissima de eius doctrina opinio esset, et magna expectatio. Quam ita expleuit, vt, licet iuuenis adhuc anno MDXCIX cathedrae logicae, amplissimi scholarcharum collegii iudicio et iussu praeficeretur. Nec melior quoque muneri huic doctor dari poterat. Exemplo enim et institutione magnorum virorum, qui sua doctrina Pindum Noricum illustrauerant, excitatus ad veterum philosophorum, praecipue ad Aristotelis fontes se conuertit, et Peripateticam philosophiam ex ipsis scaturiginibus, contentis impuris interpretum recentiorum riulis hausit, hacque ratione egregiam lucem Peripateticae doctrinae accendit. Quo pacto cum de literis egregie mereretur, et Altdorfinae quoque academiae gloriam indies auget, ob ingenii acumen et elegantiam, qua in arte quoque poetica excellabat, metaphysica quoque atque poetica professio ei demandata est. Cui spartae ornandae nec dignior nec doctior praefici potuit. Magna enim iudicii acrimonia in arcanas metaphysicae et logicae Aristoteleae rationes penetrauerat, et esotericam Stagiritae disciplinam intime callebat, eam autem summa perspicuitate iuuentuti explicabat. Ingenii amoenitatem autem ele-

Michael Piccartus.

R r 3 gan-

f) Memor. philos. P. I. p. 181. Inde sua hausere FREHER. in Theatr. p. 1415 REIMM. Hist. lit. P. V. p. 20. FABR. Hist. Bibl. suae T. V. p. 428.

h) In Vitis philos. Altdorf. p. 87 seqq.

g) Vitam eius exhibet ZELTN. Vit. theolog. Altdorf. p. 1 seqq. primus is theologiae professor fuit in Gymnasio Altdorfino.

gantissimae eruditionis copia ita illustravit, ut siue pangendi carminis Latini felicitatem, siue lectionis historicae copiam, siue veteris philosophiae notitiam, siue Graecae linguae facultatem, et totum fere veteris *ἐγκυκλοπαιδείας* campum intuearis, Piccartum ubique virum se praestare solide doctum atque accuratum videas. Quam eruditionis famam ut optimis de literis et philosophia meritis nactus est, ita magno eruditissimorum virorum consensu obtinuit. Testes volumus doctorum virorum iudicia, quibus summis laudibus Piccartum extulerunt, inter quos Isaacus Casaubonus ut accurate, quid valerent eruditi intelligebat, ita nostri scripta impense laudavit, et ut gnauiter in eo cursu pergeret, vehementer cohortatus est <sup>b</sup>. Alios, ne nimis longi simus, in fine paginae nominamus <sup>i</sup>, de Piccarti doctrina audiendos. Talis cum esset, adeo gratus acceptusque senatui Norimbergensi fuit, ut singularibus beneuolentiae testimoniis eum ad tuendam hanc scholae suae gloriam excitaret, et stipendium quoque praeter consuetudinem augetet. Mirum itaque videri queat, virum doctissimum per totam vitam cum paupertate colluctatum a libraria suppellectile plane destitutum fuisse, et scriptorum a se editorum numerum librorum aceruum superasse <sup>k</sup>. Quamuis autem ista calamitate mire premeretur, defecit tamen nunquam vel a pietate sanctisque, quibus valde commendabatur, moribus, vel ab industria, qua muneris rationes fideliter exsequi, et iuuentuti pariter atque orbi literato prodesse studuit. Quibus intentus, in ipso aetatis flore, nondum annum aetatis quadragesimum septimum egressus apoplexia correptus et anno MDCXX, V Non. Iulii extinctus est. Plurima scripsit vir supra modum diligens et eruditus, atque in philosophia Peripatetica sinceriori exercitissimus; cuius specimen esse possunt *Dissertationes quinquaginta et vna*, insertae philosophiae Altdorfinae, in quibus magna regnat philosophiae Aristotelicae cognitio. Illi philosophicam historiam felicissimo successu iunxerat, cuius eum accurate peritum fuisse, vel vna oratio de *Theologia Aristotelis et Platonis* <sup>l</sup> demonstrat. Eundem quoque in ciuili historia se praestitit, cuius testes sunt *Orationes eius vno fasciculo editae* <sup>m</sup>. Maxime vero de Aristotelica philosophia meruit, edita *Manuductione in lectionem Aristotelis*, quam certatim laudarunt viri doctissimi et accurati in hoc argumento arbitri <sup>n</sup>. Inter quos imprimis HERMANNVS CONRINGIVS, qui libro huic epistolam praefixit <sup>o</sup>, legendus est, eo quod maximo in Peripatetica doctrina iudicio utebatur. Is enim, quamuis nonnulla displicerent, in quibus ab eo dissentiebat, iuuentuti tamen Aristotelicam phi-

loso-

h) Vid. Epist. Casaubon. DCCXXIX. p. 956.  
 i) Vid. OMEIS. Glor. Acad. Altdorf. p. 104.  
 108. Epistolae Richterianae p. 34. 164. RYFFERT.  
 Or. Hist. p. 215. BOECLER. Bibliogr. crit. p. 590.  
 650. 652. 663. 884. 889. et quos laudant FAER.  
 l. c. et MAGIRVS Eponymolog. crit. p. 661.  
 k) APINVS l. c. p. 88. 92. causam is, in filios  
 quos noxas habebat et decoctores, conicit.

l) Philosoph. Altd. p. 599. m) Lips. 1614. 8.  
 n) Vid. BOECLER. Bibl. crit. p. 650. 652. MOR-  
 HOF. Polyhist. T. II. p. 63. BUDD. Hist. phil. c. 6.  
 §. 5. p. 385. 386. I. ALB. FABRIC. Bibl. Graec.  
 Vol. II. p. 183. STRVVIVS. Bibl. phil. c. 3. §. 17.  
 p. 120. ZELTNS. Vit. theol. Altd. p. 362.  
 o) Extat etiam inter epistolas Conringianas,  
 p. 323.

lofophiam discere cupienti libellum nocturna, diurnaue manu verfundum vehementer commendavit. Erat enim quod alibi fatetur<sup>o</sup>, in ea de Piccarto opinione, eorum, qui Scherbio et Piccarto academiae Altdorfinae quondam primatibus peritia verae Aristotelicae philosophiae paria fecerint, non in Germania duntaxat, sed etiam alibi, vix se quenquam reperisse. Eandem doctrinae soliditatem demonstravit in Commentario in libros politicos Aristotelis bonae frugis pleno, in quo interpretum omnium commodissimum se exhibuisse HENR. BOECLERO<sup>1</sup> visus est, vt aliorum laudes<sup>r</sup> de hoc libro egregio praetereamus. Sed et omnia eius scripta<sup>s</sup> testimonia suppeditant eruditionis elegantissimae, et hodie quoque famam auctoris pulchre tuentur. De his optime meriti sunt academiae Altdorfinae ornamenta haud vltima, Ioannes Paulus Felwingerus, qui potioem dissertationum Piccartianarum partem<sup>f</sup> ab interitu vindicavit, et Ioannes Conradus Durrius<sup>2</sup>, qui Introductionem Piccarti in Lectionem Aristotelis recudi fecit<sup>n</sup>. Vterque haeres fuit doctrinae Peri-

p) Conringiana p. 59. q) loc. cit. p. 652.

r) Vid. BVDD. Itagog. Hist. theol. L. I. c. 4. p. 321. REIMM. l. c. p. 20. MORHOF. l. c. p. 63. 493. STRVV. l. c. p. 138.

s) Catalogum scriptorum Piccarti exhibet APINVS l. c. Prodiit eius Oppianus Amb. 1604. 4. Pericula critica Helmst. 1663. introd. in Organ. Aristotelis Altd. 1625.

f) In Philosophia Altdorfina. Vitam Felwingeri, qui 1606. natus est, 1687. denatus, et logicam, metaphysicam et politicam Altdorfii docuit, enarrat APINVS l. c. p. 173. Meruit de philosophia Peripatetica, tum editis Scherbii, Soneri, Piccarti lucubrationibus, tum Collegio logico de Sophisticis elenchis contra Faustum Socinum, Palaestra rationis, siue logica Peripatetica, Institutionibus politicis et aliis, quorum indicem exhibet APINVS l. c.

e) Eleganter doctus fuit Io. Conradus Durrius, et imprimis Peripateticae philosophiae apud gnerus, de Musis autem Altdorfis praecclare meritis, cuius vitam copiose enarravit B. ZELTNERVS in Vitis theol. Altdorf. p. 344 seqq. hoc loco non prorsus praetereundam. Natus Norimbergae 1625. VIII Cal. Dec. praeceptores in patria habuit Ioannem Vogelium, haud incelebre in historia Crypto-Socinismi Altdorfini nomen, Io. Grauium et Mich. Dilherrum, et Altdorfii Heckspanium, Koenigium, Weinmannum et Fabricium, Ienae Stahlum, Zeifoldum, Sleugrum, Musaeum. Quibus magistris in Peripateticae philosophiae cognitione adeo crevit, vt publica eius specimina cum laude edere possent. Imprimis Ienam laudavit, tanquam „fidelem Germanae, hoc est, Aristotelicae philosophiae nutriculam, atque felicem se praedicavit, quod Aristotelis lac ἀδολον fuxerit“. Iena, Helmstadium translatus sacram et philosophicam doctrinam ex institutione celeberrimorum viro- rum Horneii, Cellarii, Calixti Conringii, Scheurlii, Schraderi, qui valde in antiqua lite-

ratura, maxime Peripatetica excellabant, auxit. Lipsiam dein inuisens domum ad regendos reip. Norimbergensis alumnos vocatus est, et rationalem atque moralem philosophiam diligenter excoluit. Cum autem Aristoteli Scholasticos doctores iunxisset, opportune a Iacobo Brunone, praeceptore suo ad meliores et veterum philosophorum fontes reuocatus est, peculiari Epistola, digna quae ipsa apud ZELTNERVM l. c. p. 351. legatur. Ex ea enim philosophorum Altdorfiorum iudicium graue sane et maturum de philosophiae Scholasticae pretio nullo plane et negligendo disci potest. Paruit momenti praeceptori Durrius, et solos veteres imprimis Aristotelem sectatus est, eiusque nativam mentem philosophando feliciter expressit. Cum autem elegantioris quoque literaturae apparatus possideret satis magnum, moralis philosophiae et poeseos professio ei demandata est; quam magna quoque cum laude et doctrinae praestantissimae testimonio secundum Aristotelem excoluit, multaque illi disciplinae lucem intulit. Vnde laudavit eum Conringius, „quod ad Graecorum Aristotelis interpretum lectionem animum appulerit, eo quod rarus sit hodie, qui eos vel obiter velit salutare“. Conf. REIMANNVS Hist. lit. Germ. P. IV. p. 726. anno 1657. ad cathedram theologicam, seruata tamen morali professione traductus est, in quo munere modestiam, prudentiam et cum veritate pietatem, mansuetudinem animumque mitem eum demonstravisse testatur Zeltnerus. Obiit 1677. relictis disputationibus, orationibus, epistolis, aliisque opusculis minoribus compluribus, itemque Institutionibus ethicis, quibus adiecta oratio lectu dignissima de Recondita philosophia poetica.

u) Titulus libri est: Itagoge in Lect. Arist. h. e. Hypotyposis totius philosophiae Aristotelicae olim a Mich. Piccarto concinnata, nunciis partibus quibus deficiebat aucta, et notis illustrata 1660. g.

Peripateticae in hac Mufarum fede per integrum seculum eleganter conseruatae.

Cornelius  
Martini.

§. LIV. Sororio multoties vinculo, communique studiorum forte cum Altdorfina cohaesit Helmstadiensis academia, quae post illam primum inter istas scholas locum occupat, in quibus sincerae philosophiae Aristotelicae studium viguit. Id quod viri illi celeberrimi probant, quibus in Germania seculo XVII plurimum debuerunt incrementa philosophiae Peripateticae. Illi etsi plures sunt, suo tamen iure peculiari obseruatione memorari merentur Cornelius Martini, Conradus Horneius et Hermannus Conringius. CORNELIVS MARTINI Antwerpiensis fuit, vnde a Swertio, Valerio Andreae aliisque, qui scriptores Belgicos enumerant, tangitur. Natus est anno MDLXVII, et puer adhuc optimis disciplinis innutritus crescentibus ingenii corporisque viribus philologiae, philosophiae Aristotelicae, et theologiae studiis se dicauit, ea sedulitate, eoque acumine, vt cum apud Helmstadienses cathedra philosophiae rationalis vacaret, ille ad hanc obeundam spartam plaudentibus omnibus vocaretur. Ibi et philosophiam Peripateticam, et sacras quoque disciplinas praeter ordinem docendo magnam nominis atque eruditionis famam consecutus est. Eminebat enim illa in disciplina peripatetica, quam tanto acumine omnem comprehendit, vt inter summa Lycei recentioris ornamenta referretur, tantumque eius eruditioni tribueretur, vt dignus iudicatus sit, qui a duce Brunsvicensi Iulio ad colloquium Ratisbonense mitteretur, eo quod philosophicae cognitionis quam alebat profunditate et acuto, quod ex illa referebat, iudicio plurimum valere posse contra sophismata Iesuitica partes Protestantium censerentur. Sensit quoque, qui ex altera parte magna scholasticae subtilitatis confidentia in arenam descendit Iacobus Gretferus, quem in eo virum esset expertus. Hinc indignatus, quod philosophus inter theologos comparuisset, illum rogat: *Quid Saul inter prophetas?* cui apposite Martinus *quaerit*, respondet, *asinam patris sui* w. Acerrime enim armis metaphysicis disputabat, quam potissimum disciplinam tanto amore profecutus fuisse Io. Angelo Werdenhagenio ICto Helmstadiensi dicitur, vt contenderit, bonum logicum et metaphysicum vno oculi ictu non solum S. scripturam pernoscere, sed omnem quoque eruditionis campum supra humanae mentis conditionem comprehendere posse. Id quod ad inuidiam Martiniano nomini conflandam strenue reprehendit GOD. ARNOLDVS \*. Fatemur tamen, valde nobis suspectam esse Werdenhagenii narrationem. Illum enim parti Hofmannianae additissimum fuisse, quae philosophiam omnem reprehendebat, quaeque Cornelium Martini acerrimum aduersarium experta erat, infra de hostibus philosophiae dicturi ostendemus: licet a verisimilitudine alienum non sit, plurimum tribuisse eum illorum studiorum generi, in quo omnem fere aetatem

v) Conf. ZELTN. Vit. theol. Altdorf. p. 254. 291. 315. et passim.

Diff. Quid Saul inter Prophetas? pag. 20.

w) Conf. B. IOANN. ANDR. SCHMIDII

x) Hist. eccles. et haeret. P. II. L. XVII. cap. 5. §. 18. p. 461.

aetatem triuerat. Maxima autem diligentia Peripateticam philosophiam excoluit, eique pertinaciter adhaesit, omnes ingenii neruos intendens, vt Aristotelica doctrina salua maneret atque illibata. Qui zelus pro isto philosophiae genere, eum tum in Rami asseclas armauit, quorum conatibus acerrime resistere, aciem frangere, copias reprimere, et nutantem Peripateticismum denuo erigere omnibus viribus satagit: tum aduersus Danielis Hofmanni, philosophiae vsu plane omnem denegantis partes in campum prouocauit, cuius *Impietati*, vt habet titulus, *malleum*, id est scriptum apologeticum pro philosophiae vsu et auctoritate opposuit: de qua controuersia eius infra plura dicemus. Cum vero telis philosophicis pharetram suam abunde instruxisset, contra Romanorum placitorum *περομαχες*, qui tunc non sine quadam acuminis philosophici laude in arenam descenderunt, maxime contra Bartholdum Nibufium bellum gessit philosophicum et theologicum. Imo cum Vitebergenfibus quoque theologis controuersiarum terram reciprocauit<sup>2</sup>, quae tamen alio loco enarrandae sunt. Obiit quinquaginta et quatuor annos natus anno MDCXXI, relictis scriptis plurimis et polemicis et didacticis, inter quae sunt *Analysis logica* et *Commentarius logicus contra Ramistas*, *Commentarius in librum Aristotelis de Interpretatione*, itemque *Systema philosophiae moralis*, vt et *Metaphysicae*. Tacemus scripta eius theologica, alio loco enarranda ex quibus tamen non tacendum eius *Theologiae compendium*, quod cum HENR. IULII SCHEVRLII *Theologia naturali* prodiit<sup>a</sup>, et propter methodi soliditatem et facundiam inusitatam valde ab eius temporis viris doctis<sup>b</sup> laudatur. In eo<sup>c</sup> vetustissimam opinionem de animae origine ex parte recoxit, statuens *posse efficere Deum, vt ex anima parentum emanet alia, quae iisdem sit qualitatibus cum parentis anima*. Haec enim assertio quamuis in se noua sit, supponit tamen antiquissimam doctrinam, animam ex emanatione spiritali suum ortum habere. Fuit vir longe doctissimus, a nullo doctrinae genere imparatus, cui praeter ingenii et doctrinae praestantiam animus infedit magnus, et fortitudine conspicuus; vnde eum Ioanni Caselio iungit, et inter optimarum literarum et disciplinarum decora et columina, atque ornamenta vniuersae Germaniae refert GEORGIUS CALIXTVS<sup>d</sup>, cui et alibi<sup>e</sup> audit *vir summus, animi ingentis et plane heroici, cui prae studio pietatis, virtutis et eruditionis vilia fuerint, quae splendore suo plerorumque oculos solent perstringere*. In quo si quid culpandum, illud fuit, quod vetustiorum sen-

ten-

y) Dicemus ea de re infra, in historia Rami-  
fmi, interim consuli possunt MORHO. Polyhist.  
T. II. L. I. c. II. p. 66. ELSWICH. de Fort. Arist.  
in Acad. Protest. p. 59. Cel. WALCHIVS Hist.  
Logices L. II. Parerg. Acad. p. 615.  
2) Conf. Io. FABR. Hist. Bibl. suae T. IV. p.  
289. T. V. p. 153. T. VI. p. 3.

a) Guelpherbyti 1650.  
b) Vid. quos laudat FABRIC. I. c.  
c) pag. 205.  
d) Appar. theol. p. 57. conf. de Comm. sub  
vtraque p. 351.  
e) In iterata compell. ad Colon. Academiam  
p. 351.

tentiarum plus iusto interdum tenax fuerit, qua ratione eum, Conringium, quem discipulum habebat formauisse, is ipse testatur *f*. Vnde intelligi potest, quid de aduersariorum eius censura sentiendum sit, qui Epicuri de grege porcum appellarunt, id quod more suo non explorata testium suspectorum fide repetit G. ARNOLDVS *ff*. Ea enim tempestate sine acerbitate et contumelia controuersias agitare non licebat, ut ex MEINERI, viri cetera et pietate et morum dulcedine atque iucunditate commendatissimi, *Admonitione de M. Cornelii Martini maledicentia, iniquitate et in logicis legibus suis obseruandis negligentia*, disci potest. Ex his enim similibusque libellis testimonium de viris doctis non suspectum hauriri non potest. Illud certum, nostrum inter maximos philosophos passim numeratum fuisse *g*, eiusque mortem acerbè luxisse viros eruditos. Obscuritatem tamen in eius metaphysica reprehendit HENR. BOECLERVS *h*, quae eius subtilitati et studio veteris disciplinae Peripateticae tribuenda est. Illa enim plerisque ab hoc doctrinae genere imparatis difficilis et subobscura esse solet.

Conradus  
Horneius.

§. LV. CONRADVM HORNEIVM, magnum eiusdem academiae Iuliae decus laudauit CHRISTOPH. SCHRADERVS oratione parentali *i*, ex qua eius vitae historia disci potest. Eum enim secuti sunt, qui res illius tetigerunt FREHERVS *k*, REIMMANNVS *l*, alii. Natus is VII Cal. Dec. anno MDXC, apud Brunswicensis, patre pastore ecclesiae, intra primum lapidem ab vrbe Brunswico distantis. A quo cum disciplinarum elementa hausisset, ad augendas excolendasque ingenii vires et acquirendas doctrinae diuitias in gymnasium vrbs missus est. In eo cum praeter praecceptores alios illi talis contigisset, qui adolescentem sponte currentem addito calcari ad veteris eruditionis Graecae et Latinae fontes duceret, dici non potest, quantum in vtraque lingua et literatura fere omni profecerit. Ita ingenii corporisque viribus maturior riteque praeparatus in academiam Iuliam ablegatus est, in qua magnas eruditionis veteris copias explicabat vir summus Ioannes Caselius. Huius curae, institutioni et conuictui noster summo suo emolumento et eruditionis incremento traditus est, cum eum specimen aliquod Graeci epigrammatis mire commendauisset. In quo viro maximo, utroque licet parente orbis, inuenit, quicquid solatium illi afferre poterat. Valde enim placebat Caselio Horneii Graecae literaturae amor et mira cognitio; qui cum has vnas sibi delicias delegisset, perspexisset autem vim bonae mentis et iudicii, quae ingenio Horneii inerat, plurima de eo sibi pollicitus est, et solidae eruditionis fructus maturos expectauit. Eum itaque omnis humanitatis disciplinis, quibus egregie Caselius praestabat, imbuit, et anagnosten quoque in Graecis et Latinis literis per

f) Conringiana p. 101. vbi eum maximum magistrum vocat.

ff) loc. cit.

g) Vid. quos laudant MAGIRVS Eponymol. crit. p. 571. et FABRIC. l. c.

h) Bibliogr. crit. p. 620. qui tamen eruditionem in ea agnoscit.

i) Exat in WITTENII Memoriis Theol. p. 728.

k) In Theatro p. 548.

l) Hist. liter. German. P. IV. p. 733.



per integrum triennium adhibuit, libros veteres eosque optimos ex bibliotheca suggestit, et studia eius consiliis integerrimis adiuuit, idque ad mortem usque suam magna illi fidelitate praestitit. Vnde factum, ut pulcherrimis veteris doctrinae ornamentis eniteret Horneius. Ut autem philosophiae quoque mysteria perdisceret, quibus viam feliciter praeparauerant disciplinae elegantiores, Cornelii Martini institutione usus est, sicque Peripateticam philosophiam sinceriores pernoit: id quod eo feliciter fieri potuit, quo magis ipsa Aristotelis adire scripta ob Graecae linguae peritiam illi licuit. Ita iactis eruditionis fundamentis et superstructo solido aedificio per quadriennium, docendi ius titulumque more maiorum accepit, et ad instituendam iuuentutem se contulit. Cumque in contubernium Cornelii transisset, hospitem nactus, teste SCHRADERO <sup>m</sup>, vindicem veritatis, omnium eruditionis partium gnarum, et demerendis denique hominibus genitum, ab eius ore quotidie pependit, eoque monitore iuuentutem studiosam docendo, disputando, scribendo exercuit, plurimaque per octennium edidit, ethica, logica, physica, metaphysica, politica, geographica, Hebraicis quoque non neglectis. Sacris autem disciplinis animum adiungens cum diuinis literis veteris ecclesiae monumenta diurna nocturnaque manu versauit. Talis cum esset, et iam diu spectatissima fuisset in academia Iulia eius eruditio, anno seculi decimi septimi vndeicesimo ciuilem de moribus doctrinam publice profiteri iussus est, cui post biennium successit rationalis philosophiae professio, locum ei praebente Cornelio Martini, qui morte decesserat. Quod munus ita diligentia, cura, studio cum insolita eruditione atque veteris philosophiae cognitione iuncto ornauit, ut veterem Lycei Helmstadiensis gloriam iusto tueretur titulo, haud indignus viris summis successor datus. Ob quam eius praestantiam summamque, qua in docendo utebatur dexteritatem anno MDCXXVIII ad cathedram theologicam traductus est, cui quoque summa fide, eaque nominis celebritate praefuit, ut inter praestantissimos sacrae disciplinae doctores referretur. Et in hoc stadio currentem annumque agentem quinquagesimum nonum mors oppressit magno ciuitatis literatae luctu VI Cal. Octobr. anno MDCXLIX, relicto filio, paternae eruditionis haerede, qui primo quidem Rintelensem, deinde Helmstadiensem academiam docendo illustrauit, Graecas literas egregie doctus, et edito METROPHANIS CRITOPVLI *Confessione catholicae et apostolicae in Oriente ecclesiae* <sup>n</sup> *celebris* <sup>o</sup>. Maximas autem corraserat Horneius ingenii diuitias, ex veterum, potissimum Graecorum, scriniis, quibus de antiqua ecclesiae et philosophorum disciplina, imprimis autem de doctrina Peripatetica accurate iudicare nouerat. Quam eius insignem peritiam testantur libri plurimi, tum theologici, tum philosophici argumenti, quorum catalogum exhibet HENNINGVS WITTENVS <sup>p</sup>. Inter quos praeter *Disputationes*, et

S S 2

Exer-

m) In Orat. parent.  
n) Helmst. 1661.

o) Conf. FREHER. I. C. FABRIC. I. C. T. V.  
p) loc. cit.

*Exercitationes logicas, Conclusiones metaphysicas, et huius generis alia eminent Disputationes ethicae decem, depromptae ex ethica Aristotelis ad Nicomachum; Compendia dialecticae, et naturalis philosophia, Disputationes de prima philosophia, Institutiones logicae, et philosophia moralis.* In his Aristotelem ita sequutus est, ut tamen ad rationis examen cuncta referret, et Scholasticos sic interdum in partes vocaret, ut eos emendaret, atque sic eorum aliquem etiam gustum admisceret. Ita vero magnam nominis famam consecutus est, elegantis philosophi nomine cohonestatus, laudatusque quod philosophiam ultra docentium plebeia subsellia euexerit. Valde vero otia eius turbauerunt controuersiae illi motae ob assertam necessitatem bonorum operum ad salutem, de quibus in recentiori ecclesiae historia agendum, ubi etiam quam locum in litibus syncretisticis habuerit, dispiciendum est. Hos motus cum non satis patienter ferret, eo quod pacis quidem esset amantissimus, at in bilem nimis pronus, salus eius valde periclitari coepit, et fata quoque maturata sunt. Nobis hoc loco propter doctrinam ciuilem de moribus, quam mira perspicuitate et iudicio illustrauit, multaue luce ethicam Aristotelicam perfudit, praeuentibus uiris doctis commendandus est.

Hermannus  
Conringius.

§. LVI. Nemo autem vel maiori eruditionis omnimodae copia, vel celebriori nominis fama Iuliam academiam illustrauit, honoremque Lycei in scholis Protestantium asseruit, quam HERMANNVS CONRINGIVS. Quo viro, incertum est, utrum eruditorem isto in seculo habuerit Germania? Cuius vitam scripsit, et *Syntagmati epistolarum* praemisit CASPAR CORBERVS, nuper quoque *Collectioni operum Conringii* nouo labore praefixit illustris Io. GVIL. GOEBELIVS Iureconsultus Helmstadiensis celeberrimus. Nos ex plurimis, quae de viro vere magno, et qui inter prima Germaniae ornamenta referri suo iure meruit, dici poterant, ea tantum seligimus, quae instituto nostro conueniunt, et potissimum celeberrimum polyhistorum, cui nullum fere eruditionis genus disciplina nulla intacta mansit, nobis philosophum sistunt literatissimum multisque nominibus de ciuili prudentia meritum. Natus est in Frisia orientali Nordae anno MDCVI, V Id. Nou. familia vetusta, quam a villa perquam eximia Könring dicta in comitatu Steinfurtenfi, perpetua maiorum suorum sede cognomentum habuisse, ipse refert. Parentem habuit virum doctum, Hermannum Conringium, ministerii sacri munere in ea vrbe functum. Puer admodum lue pestifera tantum non extinctus est, viresque corporis eius ita exhaustae sunt, ut vix eas colligere liceret,

q) BOECLER. Bibliogr. crit. p. 636. Conringiana p. 122.

r) Vid. quos laudant MAGIEVS l. c. p. 459. et FABRIC. l. c. BOECLER. l. c. p. 608.

s) Conf. summe Reu. WEISMANN. Hist. eccles. T. II. p. 1198. f) FABRIC. l. c. T. IV. p. 310.

ff) Conringiana p. 150.

i) MORHOF. l. c. T. III. p. 485. BOECLER. l. c.

p. 637. BVDDEVS Isag. p. 301. REIMMANN. l. c. p. 733. STOLLE Hist. lit. P. III. c. l. §. 54. p. 616.

u) Prodiit Helmstadii 1694. 4. Ex hac Biographia sua hauserunt REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. V. p. 246. IO. FABRICIVS Hist. Bibl. suae T. IV. p. 203. alii.

v) In Conringianis epistolicis, laudabili consilio a CHR. HENR. RITTMEIERO editis, p. 261.

rit, nec ad haurienda literarum rudimenta duci mature potuerit. Sexennis vero cum in ludum literarium mitteretur, paucis diebus apparuit, quam ei munifica natura indolis felicitatem tribuisset: mox enim legere didicit, et nullo fere labore doctrinae Christianae elementa percepit. Neque tamen maiores successus vrgeri poterant, cum vestigia morbi adhuc tenui corpusculo inhaerent, et exiguam spem messis facerent. Septem autem annos natus cum Latinis literis discendis destinaretur, ingenii excellentissimi praestantiam et vim animi tantam demonstravit, ut quos ante se currentes viderat, maturiori aetate et exercitatione subactos breui praeueteret. Nam quamuis valde adolescens esset, historicas tamen narrationes feliciter tenuit, et quatuordecim annos natus, ea pangendi carminis facilitate gauisus est, ut satyram conscribere posset in poetas coronatos elegantissimam. Quae cum in manus Cornelii Martini deuenisset, adeo admiratus est vir doctissimus elegantiam ingenii puerilis supra aetatis modum eminentis, ut praeclara quaeuis de Conringio sibi promitteret, parentesque eius rogaret, ut eum Helmstadium ablegatum, suae fidei crederent, sperare se, fore, ut optimam ex hoc agro messem videant, et excellentissimae eruditionis fructus ex eo redundant. Cui viri optimi desiderio cum anno MDCXX satisfecissent parentes Conringii, admodum puer in disciplinam Martini deuenit <sup>w)</sup>, et in contubernium quoque ab eo atque conuictum receptus est, et ad mortem illius in eo perstitit, summa semper praeceptorem veneratione profecutus. Post funera Martini vero ad professorem Graecae linguae Rudolphum Diepholdum concessit, et per biennium illi adhaesit, a parentibus anno MDCXXIV domum reuocatus. Bellicis tamen tumultibus Musarum silentia interstrepentibus diu in laribus paternis manere non potuit, rediitque ad Academiam Iuliam Peripateticam philosophiae et historiae diligentiam curamque suam impendit, et ut cuncta accurate teneret, operam adhibuit. Ut vero ex aliorum quoque virorum celeberrimorum doctrina thesauros suos locupletaret ad Lugdunensem Batauorum scholam anno MDCXXV abiit: in qua cum valde feruerent controuersiae theologicae, Conringius, cuius vis animi totum eruditionis campum complectebatur, ad eas cognoscendas se applicans sacrarum disciplinarum studiis se dedit: *Ἐγγεν* tamen, quod maximo ante reliqua omnia studio, vrgeri sibi constituerat, ars salutaris fuit, quod saxum per quinquennium in ea academia voluit, ita tamen, ut omnem scientiarum circulum curiosus explorator tangeret, nec ab vlla abiret, quam non accurate pernouisset. Et hoc pacto fundamenta illa felicissimo conatu posuit, quibus postea admirandae eruditionis aedificium superstructum est. Ex Batauis ad Helmstadienses reuersus est, neglecta, quae se obtulerat, occasione, Parisinam academiam inuisendi: adeo enim Brunsvicensi duci Friderico Vlrico commendata erat Conringiana eruditio, ut vacante cathedra philosophiae

w) Conringiana p. 101.

naturalis, ille posthabitis aliis isti muneri praeficeretur. Adiecerat inuito aulicus senatus eloquentiae docendae onus, quod quoniam, ut solet esse in academiis, graue nimis ipsi visum, ab eo reiectum est <sup>x</sup>. In publicas tamen calamitates haec Conringii inciderunt tempora. Adeo enim omnia bello et tumultu feruebant, ut cum aliis ad tempus Helmstadienses Musas relinquere, et Brunsvicum securitatis causa confugere coactus sit. Anno MDCXXXIV tamen summos in arte medica honores, quos dudum omnium iudicio meruerat, consecutus, connubiale foedus cum Ioannis Stuckii, celeberrimi iureconfulti filia iniit, quod multa prole foecundissimum fuit. Nec defuere summae, quam Conringius in omni eruditionis genere demonstravit, doctrinae laudes fauoresque, et iusta quoque atque commerita praemia. Et initio quidem vitae academicae non respondisse votis eius fortunam, haud obscure ipse prodidit, ad amicum scribens: *Philosophicae Laureae nullum video usum, cum ex academica vita mihi omnino videam esse discedendum. Aegre diuellor ab academia, et tamen vitae necessitas prope me compellit illam relinquere. Itaque cogor sprete illa dudum et olim minoris a me aestimata clinicorum officia subire, tantum ut indigentia quadam rudi popello exprimam, quod liberalia studia nequeunt impetrare. Si quae haec culpa est, ferant illi, quorum in manu est situm, haec mutare, meum delictum forte nullum est.* Non diu tamen duravit haec rerum Conringii angustia. Quamvis enim, improbaret officiorum publicorum nundinationes, et animo aequo specularetur ludentem fortunam aliorum, paratus ad fortunam vitramque, delecto sibi cynosurae instar illo Horatii:

*Naue ferar magna an parua, feror vnus et idem <sup>z</sup>,*

non potuit tamen diu latere, et sine mercede contemni Conringianae eruditionis praestantia. Breui enim tempore ex philosophica cathedra ad medicam, aucto quoque praeter ordinem stipendio, traductus et anno MDCXLIX, cum patrios lares inuiferet, a Frisiae orientalis principe archiatri axiomate ornatus et senatus sanctioris concilio adscriptus est. Ea autem insolitae et rarissimae eruditionis eius non modo medicae, sed politicae quoque atque historicae fama vbique increbuerat, ut ad aures quoque Christinae, quae Suecorum sceptrum gerebat, pertingeret. Quae cum viros vndique doctissimos et celeberrimos colligeret, Conringium quoque per legatum suum in illis terrarum partibus Ioannem Adlerum Saluium honestissimis titulis, ut in Sueciam veniret, inuitavit. Abiit is venia a Brunsvicensibus ducibus impetrata, cumque Holmiam peruenisset, tanta a regina clementia exceptus est, tamque carus fuit regni senatoribus, ut omnibus constaret, summo loco haberi Conringianum nomen. Noluit tamen eo in loco sedem figere, sed regia liberalitate tituloque consiliarii et archiatri regii auctus post trimestre domum reuersus est, relicto im-

x) Conringiana p. 123.

y) Ibid. p. 131.

z) Ibid. p. 105.

cto impatienti fui desiderio in animo reginae, quae hoc ornamentum regno suo maximis votis destinauerat. Oblatum itaque denuo illi est lautissimum stipendium: quod tamen magno animo accipere noluit, cum et Musae Iuliae ipsi essent dulcissimae, et serenissimorum ducum munificentia reditus eius auferent, eo quod insigni Conringianae doctrinae ornamento academiam istam carere nollent. Additum quoque munus ciuili doctrinae publice tradendae, quo vinculo omnium optime Conringium retineri posse iudicauerant. Et initio quidem quadam animi difficultate illud munus suscepisse, ex nonnullis eius verbis colligitur, ita ad amicum scribentis <sup>a</sup>: *Ciuilis philosophiae prouinciam a me suscipi, etsi non abs re forte publica, tamen sine damno familiaris rei non potest. Sero nunc intelligo, quid illud sit πῶς ἄλφρα, quamque etiam optimi conatus parum eo faciant. Scilicet laudatur virtus et alget. Praestat itaque in tempore subducere sese incertae et dubiae hominum clementiae, atque ita locare res suas, ut imperitorum auxilium haud magnopere veniat anxie expectandum.* Verum cum et hoc ei commentandi docendique argumentum obtigisset, in quo plurimum valebat, quodque maxime coluerat; et principum clementia rebus eius, teste eius biographo, multoties subuenisset, victas tandem dedit manus, et hanc quoque suscepit prouinciam. Quanquam illa istorum temporum fuit calamitas, ut conqueratur <sup>b</sup>: *Tristissimum rerum omnium statum, qui eo tempore fuit, integro biennio et amplius praeripuisse omnia stipendia, vererique se, ne et sibi tandem statio ista, ut pergrata, sit deserenda.* Immo fatetur, iam se tum circumspicere subinde, quo se debeat vertere, aulas enim fugere se cane peius. Quod ita in tanta Conringiani nominis nobilitate et existimatione, cum haud dubia esset principum clementia, euenire potuisse, nemo mirabitur, qui illorum temporum infelicitatem in Germania reputauerit. Neque tamen ita animum abiicit Conringius, ut ab officio rite explendo vel latum vnguem discederet, sed prouinciam istam sibi demandatam tanta arte et diligentia ornauit, ut non dubitemus asserere, nunquam doctiorem virum cathedrae ciuili doctrinae praefuisse. Cum enim Peripateticam philosophiam accurate teneret, et contemtis, ut ipse vocat <sup>c</sup>, quilibet Scholasticis, Aristotelem ipsum magno studio sectaretur, in cuius scriptis politicis magnam latere veteris doctrinae copiam nemini ignotum est: accederet autem in Conringio historiae lux, qua vetera, media, noua omnia complectebatur animo, et iuris omnis publici fontes et origines peruiderat, atque antiquitatis rationem habere poterat optimam; excellentissima euasit ciuili eius eruditio. Inde factum, ut in controuersis principum, multoties in partes vocaretur, et dispulsis vetustatis tenebris in apricum poneret aularum iura et praetensiones: id quod eum apud summos principes fecit gratiosissimum. Hoc pacto anno MDCLII in causa Bremensi pro Suecorum rege eruditionem suam interposuit,

<sup>a</sup>) Ibid. p. 130.<sup>b</sup>) pag. 212.<sup>c</sup>) Ibid. p. 39.

posuit, annoque sequenti Frisiae principi simili ratione inferuivit, maxime vero electori Moguntiae, ius inaugurandi coronandique imperatoris Romani pulcherrima disquisitione vindicauit; anno MDCLVIII in Holstatiam ad Carolum Gustauum Suecorum regem vocatus operam suam simili illi modo locauit. Quo studio ita admiratione eruditionis suae regis animum repleuit, vt regi a consiliis et tuenda sanitate esse iuberetur, et lautissimo stipendio augetur, inusitatae quoque liberalitatis praemium ei offerretur, si Holmiam ire, ibique cum rege viuere vellet. Eandem doctrinae suae amplissimae praestantiam probauit Carolo Ludouico, electori Palatino, cum inter aulam Palatinam et Bauaricam illustrissima de vicariatu imperii exorta esset controuersia<sup>c</sup>. Maxime vero auctoritas et eruditio eius apud serenissimam gentem Brunsvicensis valuit, et orbi quoque literato fuit exoptatissima. Nostri enim consilio vsus est immortalis nominis princeps Augustus, cui tot modis literarum gloria debetur, cum splendidissimum librorum thesaurum, quem hodie doctus quilibet admiratur, Guelpherbyti colligeret. De qua *Bibliotheca Augusta*, cum Conringius ipse eleganti tractatione<sup>d</sup> disseruerit, inspersis simul egregiis, quae ad rem bibliothecariam omnem facere possunt, obseruationibus, nos nihil hoc loco de ea monemus. Neque intra Germaniae fines Conringiani nominis fama contineri potuit: sed cum magnus ingeniorum iudex atque arbiter Colbertus, regi Galliarum Ludouico XIV magnis gratiae documentis quoscunque summae doctrinae viros complectenti Conringium commendasset, ab hoc quoque rege insigne clementiae specimen, lauto stipendio decreto accepit, eoque vsque ad belli Belgici initia fruitus est. Eandem fortunam in aula Daniae regis expertus est, a consiliis regi esse iussus; et in augustissimi quoque imperatoris aula, maxima de eo fuit opinio, cum summo Germanici imperii moderatori librum *de Finibus imperii* obtulisset. Qui fortunae fauores licet rari sint et insoliti, dicendum tamen, talem fuisse doctrinam Conringii, eamque eruditionis excellentiam, vt iure suo eos Conringio obtigisse fateri debeant, quotquot literis pretium statuere et honorem habere norunt. Polyhistoris enim nomen, veteribus summa in laude positum, et a recentiorum nonnullorum abusu vindicatum, si tribui potest vlli, certe Conringio tribuendum est. Nullum enim erat disciplinae genus, scientia nulla, in qua non regnauit Conringius. Quantus ille vir in sacris literis fuerit, libelli polemici ostendunt, fenseruntque, qui contra eum imparibus armis in arenam descenderunt velitarii milites Haunoldus, Valerianus Magnus, Vitus Ebermannus, fratres Walenburchii et Dionysius Werlenfis. In re autem medica ab innumeris praecudiciis artem laudatissimam sanauit. Qua de re cum magnam ei litem mouisset vir doctissimus, at nimio antiquitatis praecudicio impeditus Olaus Borrichius, ita *de antiqua veterum Aegyptiorum et recentiori Paracelsicorum medicina* cum eo disceptauit, vt non modo,

qui

c) *Ibid.* p. 247. 248.

d) Aucstam edidit filius HERM. IO. CONRINGIUS, Helmst. 1684. 4.

qui eodem praeiudicio occoecati Borrichio victoriae partes decernebant, Conringianam tamen eruditionem summo loco ponerent: sed et nostra aetate, qua nebulae istae discussae, mentesque ab illo iugo liberatae sunt, causa Conringiana potior fuisse recte iudicata sit. De qua controuersia cum *Tomo primo*<sup>e</sup> iam nonnulla attulerimus, ad eum locum lectorem ablegamus. Ceterum eleganti quoque *Introductione in artem medicam*<sup>f</sup> cuius auctam editionem<sup>g</sup> debemus GVNTHERO CHRISTOPHORO SCHELHAMERO, ostendit, quantus in his quoque literis vir fuerit. Iuris autem publici, praecipue, quod ad Germanicum imperium pertinet, ea viro summo inerat cognitio, vt primus dicendus sit, qui veros et finceros eius fontes detexerit, eamque sequenti aetati facem praetulerit, cuius lumine hodie in arduo argumento inoffenso progredi pede plerisque licet. Testes volumus libros eius, *de Origine iuris Germanici*, *de Imperio Germanorum Romano*, *de finibus imperii Germanici*, *de pace perpetua inter imperii Germanici ordines religione dissidentes seruanda*, qui pseudonymi prodire IRENAEI EYBVLI nomine, et ad sanandas discordias in consultationibus pacis Westphalicae plurimum profuere, itemque *Exercitationes de republica imperii Germanici*, quaeque de iuribus electorum Moguntini et Palatini commentatus est, de quibus tamen plura hoc loco dicere non licet<sup>h</sup>. In his vero tractationibus praeter antiquitatum et historiae lucem philosophia quoque ciuilis regnat, qua duce arduum argumentum aggressus est. Optimo enim et non satis laudando consilio vbique historiam philosophiae iunxit, cuius cum tot hactenus in hoc opere specimina dederimus, totiesque ad eum prouocauerimus, praesertim in historia philosophiae Aegyptiacae, et medii aevi, quam in libris *de Hermetica medicina* et in *Antiquitatibus academicis*<sup>i</sup>, bona fruge plenis luculenter illustrauit, plura otiose non addimus. Neque vero suis tantum lucubrationibus prodesse reipublicae literariae vir summus constituit, sed aliorum quoque scripta luce digna edere, augere, emendare, et sic reddere vtilissima salegit. Qua ratione praeter TACITVM *de Moribus Germanorum*, praefatione et notis eruditissimis auctum et Cassandri atque Wicelii Consultationes de concordia religionis et alia, debet ei orbis philosophicus Aristotelis *Politica* cum *Introductione*, et MACHIAVELLI *Principem*, ex Italico Latinum factum, et notis illustratum, NAUDAII *Bibliographiam politicam*, et SCIPIONIS CLARAMONTII librum *de Coniectandis moribus*, quibus omnibus additis ex suo penu plurimis fines philosophiae amplissime dilatauit. Maxime autem de ciuili doctrina meritus est, quam multis scriptis pulcherrimam eruditionem spirantibus illustrauit. Praeter *Introductionem* enim quam in *Aristotelis politicam* edidit, magno applausu exceperunt viri docti librum eius

e) p. 277. not. i.

f) Helmst. 1654.

g) Ibid. 1687.

h) Conf. RIMMANN. l. c. p. 254.

i) Diximus de iis Tom. III.

de Ciuili prudentia, quo prudentiae politicae cum vniuersalis philosophicae, tum singularis pragmaticae omnis propaedia pragmaticae traditur<sup>k</sup>; itemque Propolitica, sive Introductionem in ciuilem philosophiam cum adiectis nonnullis aliis<sup>l</sup>. In quibus lucubrationibus Aristotelis praecepta de republica ita nostris temporibus adaptauit, vt, quod ob imperii formam apud Graecos plerumque nostris hominibus inutile est, singulari historiae et conditionis imperiorum nostrae aetatis notitia, qua pollebat, ad vtilissimum scopum transtulerit. Magnopere itaque laudandus est illustris GOEBELII labor, qui dispersa Conringii opera, praeter ea, quae ad theologiam et medicinam pertinent, collegit, digessit, *ἀνεύδωρα* multa in lucem protraxit, et ex vberis eruditionis suae thesauro multa egregia adiecit<sup>m</sup>. Et ex his quidem clarissime constat, *πολυσοφίας* laudem maximo iure Conringio deberi. Cuius pars cum haud exigua philosophia sit, in ea quoque se virum magnum pro conditione aetatis suae praestitit. Et verum quidem est, ab auctoritatis et sectae praeiudicio eum se liberare non satis ausum fuisse; certe maiora, vt erat iudicio summo, et literis eleganter instructus, praestitisset, si sine duce hanc viam fuisset ingressus. Verum obstabat temporis consuetudo, et educatio in disciplina Martini, qui altissime Aristotelis amorem eius ingenerauerat animo, et veterum placitorum tenacissimum fecerat. Id quod ipse candide fatetur his verbis<sup>n</sup>: *Ex Frisia in hanc academiam admodum puer missus, statim deueni in Cornelii Martini disciplinam. Ea certe magistrorum meorum dignitas, iam ab eo usque tempore vetustiorum sententiarum tenacior me fecit, interdum fortassis plus iusto, vt fieri solet.* At cum summa tamen vteretur mentis acrimonia, tantum abest, vt coecum Aristotelis comitem se praestiterit, vt potius agnouerit et fassus sit libere, vbiunque Aristotelem peccasse nosset. Qua de re eleganter prorsus differuit in *Epistola*, quam PICCARTI *Introductioni in lectionem Aristotelis*<sup>o</sup> praemisit, quae cum erudita sit et pulcherrima, et de philosophia Conringii luculenter testetur, tota meretur legi. Hoc enim loco ob paginae angustiam apponi tota haud potest. Inter alia vero ita suam hac de re mentem explicat: „Quamuis eorum me haeresis non teneat, „qui vnum Aristotelem sapuisse, vnum nihil ignorasse, vnum nec fallere „nec falli existimant: inter sapientiae tamen magistros hunc familiam du- „cere, hunc prae aliis quam multis sapere, hunc non admodum multa „ignorare, hunc raro falli solere, omnino equidem arbitror. Quamuis „iis etiam neutiquam assentiar, quibus philosophari est nihil aliud, quam „rimari Aristotelicae doctrinae mentem, adeoque ipsa philosophia est ni- „hil aliud, nisi peritia illius, quod Aristoteles docuit, (reapse enim quic- „quid eius est notitiae, opinio siue *δόξα* est, subnixata auctoritate viri per- „quam

k) Helmst. 1662. vid. CHR. THOMASII *Orationes Acad.* p. 439. *Bvdd. Itag.* p. 319. *Stoll.* *Hist. lit. P. III. c. 5. §. 61. p. 727.*  
l) Helmst. 1663.

m) Tomis VI. in folio Brunsvigae 1730. vid. *Act. Erud.* 1732. *Oct. Act. Erud. Germ. P. CLVI. art. 1.* n) Conringiana p. 101.  
o) Extat inter eius *Epistolas* p. 323.



„quam sapientis quidem, hominis tamen, et a quo humani nihil alienum  
 „fuit: quod ipsum procul admodum abest, vt a certitudine pariter et ab  
 „ipsarummet rerum scientia, quae sola dignitatem philosophici nominis  
 „assequitur) quoniam tamen haud temere magis quo alio magistro, quam  
 „Aristotele, licet in sapientiae studiis proficere, hunc ante omnes con-  
 „sulendum, huiusque scita ediscenda esse sapientiae cultoribus censeo; vt  
 „tanto magistro instructus eo citius et certius ad veritatem et rerum scien-  
 „tiam peruenias. Qua in re sane haud forte quemquam habeo dissentien-  
 „tem, praeter eos, qui Aristotelicae doctrinae sunt imperiti. Nec ve-  
 „ro quenquam ita insanire crediderim, vt spernendos sibi omnes magi-  
 „stros, etsi illi in promptu sint, opinetur; quamuis haud ignorem, ea  
 „nonnullis, praesertim iis, qui pruritu nouandi laborant, insanae *Φιλαντίας*  
 „incitamenta ore et calamo excidere, quae in omnis magisterii aspernatio-  
 „nem tandem recidunt. Ceterum et is, qui Aristotelicae doctrinae non  
 „adeo est gnarus, vt mihi illam vsque adeo laudanti queat assentiri, sal-  
 „tim vtique haud negabit, si quidem sapit, ingentis adeo existimationis  
 „doctrinam non posse vel debere contemni, sed discendum esse atque ex-  
 „plorandum, vtrum tantis laudibus, nec ne, respondeat. Sane interest  
 „veritatis studii, neminis temere sapientiam professi sententias non expen-  
 „dere, quanto minus eius, qui tot seculis infinitorum hominum doctrinae  
 „laude florentium admirationem meruit, qualis est Aristoteles. Etiam  
 „igitur illorum, quibus forte suspecta est Aristotelis isthaec passim, quam  
 „obtinet, opinio in officio est, si veritatem seruo amant, Aristotelicam  
 „doctrinam sibi cognitam reddere, atque adeo monumenta ipsius diligen-  
 „ter euoluere, vt ex quibus philosophia isthaec maxime sincera queat peti.  
 Ex quo loco Conringii mens eius de studio Aristotelicae philosophiae fati-  
 tis elucescit, patetque eundem illum fere in modum, quemadmodum Me-  
 lanchthon statuerat, pronunciaffe: et hinc Peripateticis sinceris omnino  
 quidem adscribendum esse, sed illis tamen, quibus iudicio et delectu vti  
 placuit. Id quod virum summum praestitisse, scripta eius maxime ciuilia  
 et moralia luculenter probant. Ex iis enim discimus, multa eum in phi-  
 losophia practica Aristotelis, praecipue quae ad iuris naturalis praecepta  
 pertinent, desiderauisse. Quae ita alicubi summatim complexus est:  
*In morali Aristotelis philosophia multa desidero: Omnem enim iuris na-  
 turalis prudentiam isthuc censeo pertinere, nec ordo modusque tractan-  
 di satis placet, vis etiam argumentorum Aristotelicorum videtur debi-  
 lior, idque quoniam nec prouidentiam diuinam, nec animae immortalitatem,  
 aut vitae aliam, quam quae in hoc mundo obtingit felicitatem,  
 agnoui. Super quibus tamen tanquam fundamentis, virtus omnis su-  
 perstructa est. Nec enim virtus est nisi inanis quaedam animi generosi-  
 tas, absque illa fuerit, quae modo dixi.* Hos vero philosophiae Ari-  
 stotelicae defectus vt suppleret, aliorum modo apud veteres meditationi-  
 bus,

bus, non vero suis, usus est, sectario animi studio impeditus. Ita vero dum veteres nimio prosequitur cultu et admiratione, a pueritia a praeceptoribus ingenita, recentiores emendationes et imprimis Cartesii magnum strepitu philosophiae theatrum replentis conatus ferre non potuit. In quo licet nonnulla probaret, v. g. quod formas substantiales reiecerit, quas Latinam philosophantium scholam contra mentem Aristotelis admisisse credebatur, factus tamen amicis <sup>q</sup> est, *se prorsus nihil potuisse in eius physiologia inuenire, quod speciem habeat ἀποδείξεως, esse enim omnia Democritea, et non rationi tantum, verum etiam sensibus aduersa.* Immo tanto in eam philosophiam zelo exardescere coepit, ut illi e medio tollendae operam dari velit et vehementer indignetur <sup>r</sup>, *insanum amorem illius sophistices multa adeo florentissimarum prouinciarum ingenia pessime afflixisse.* In ea enim erat vir nimio Aristotelis amore detentus sententia, non inesse illis ingenia philosophica, qui hanc philosophiam recipiant, id quod graui ἐγκλήματι Batauis obiecit <sup>s</sup>. Immo tam amaram in eam philosophiam censuram stringit, et epitaphium Cartesio ponit bile ita tinctum <sup>t</sup>, ut omnino nollemus talia tanto viro excidisse. Verum hominem eum fuisse, cogitandum est, et a pueritia veterum admiratione nimis captum. Quae causa est, cur aliorum quoque conatus, reprobauerit, et Gassendo dicam, parum honorificam scripserit <sup>u</sup>, licet eius illum eruditio caperet. Scribit enim ad amicum: *Petri Gassendi pleraque mirifice me affecterunt, nisi quod mihi visus sit Epicuri potius, quam Christi sectator, quam laudem studiose hodie affectant, qui prae aliis philosophos se iactant, per Italiam et Galliam.* Similia passim de eo iudicat, nec Hobbesio quoque parcit <sup>v</sup>, quem dignum censet, quem odia omnium excipiant. Scholasticos tamen haud minori contemptu reiecit, eorumque nugae fastidiit <sup>w</sup>. Laudauit vero magnopere Hugonis Grotii conatus <sup>x</sup>, cuius nihil non praeclarum esse pronunciauit, et dignum laude, et excellere ait opus de I. B. et P. incomparabile, ob rationem dicendi, breuitatem et perspicuitatem. Scilicet facile ferri ab eo Grotius poterat, qui, ut supra dictum, Aristotelis auctoritatem non contempsit: praecipue cum ius naturae explicauerit, quod aegre ferebat Conringius, ab Aristotele praetermissum fuisse. Et haec sine dubio causa fuit, cur PVFENDORFII *Elementa iuris prudentiae* suam superasse expectationem pronunciauerit <sup>y</sup>. Esse enim videbat librum dictione elegantem, argumento praeclarum tractandi ratione neruofum. Ab his vero parum periculi Peripateticae doctrinae, metuebat, quam huiusmodi φιλοσοφεμένοις suppleri optabat. Ceterum pusillus fuit corpore, id quod ipse monet <sup>z</sup>, factus, qua erat modestia, *non sibi mentis adeo multum esse, ut sufficiat excusando corporis defectui, credatque imaginem hanc suam reuocaturam esse maleuolis in mentem vetustum illud:*

Per-

q) Ibid. p. 9. 10.  
v) p. 156.r) p. 49. s) p. 88.  
u) p. 48. 60. 277.\*) p. 19. 76. 262.  
x) p. 61. 347.†) p. 36.  
y) p. 69. z) p. 105.

*Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.*

Et obiecit quoque ei hanc corporis pufilli figuram Iesuita Ebermannus, qui vero suo malo expertus est, magnum in eo tuguriolo habitare spiritum. Maximus enim erat ingenio, et vastissimae lectionis copia suffultus, cui cum accederet multorum annorum experientia, dici non potest, ad quod fastigium enixa sit Coringiana eruditio. Diligentia autem, in eo tanta fuit, ut merito dici χαλκέντερος debeat; inter tot enim itinera, libros editos, curata principum negotia, in tanto commercio literario, cum totius fere Europae viris summis, partim principibus, partim doctrina claris, suffecisse vnum virum tot laboribus merito mirandum est, et non diffidente invidia pronunciandum, inter maxima seculi XVII ingenia eum enituisse. Quamvis enim aduersariis non caruerit, quos ex parte supra nominauimus, quibus addi possunt Aegidius Strauchius, Ioannes Otto Tabor, et Matthias Wasmuthus, plerorumque tamen virorum doctorum iudicio inter summa aetatis suae ornamenta relatus est. Quorum censurae ex parte praemissae sunt, *Epistolarum Conringianarum Syntagmati*, facile autem innumeris scriptorum locis possunt augeri, id quod tamen priuatae lectoris industriae relinquimus <sup>a</sup>. Occidit Germaniae hoc fidus prid. Id. Dec. anno MDCLXXXII.

§. LVII. Floruit quoque sincerum Peripateticae philosophiae studium in academia Regiomontana, cuius sub auspiciis Philippicam philosophandi secundum Aristotelem methodum obtinuisse a Sabino introductam supra diximus. Eminuit autem seculo XVII in ista schola accuratiori Aristotelicae philosophiae cognitione biga virorum doctissimorum CHRISTIANI DREIERI et MELCHIORIS ZEIDLERI. Dreierus Stettini Pomeraniae vrbe celebri natus est anno MDCXI, inque Regiomontana academia eum studiorum cursum absoluit, quem ingredi solent, quotquot ad solidam elegantioreque doctrinam adspirant. Neque defuit Dreiero aut natura benigna, egregias ei dotes ingeniumque praeclarum largita, aut pertinax studium, solidam eruditionem consecrandi. Itaque Ornatus variae doctrinae thesauris, a primis philosophiae honoribus, in ista academia ad summas ecclesiae et Scholae dignitates ascendit, cathedrae praefectus theologiae, eiusque doctor renunciatus, in qua primum tandem locum obtinuit, addito ecclesiae aulici et consistorii Sambienfis assessoris axiomate; quibus muneribus perfunctus totius academiae senior Non. Aug. anno MDCLXXXVIII, aetatis LXXVIII, rebus mortaliū ereptus est <sup>b</sup>. Laeto flore in eo vixit ingenii foecunditas, quae cum vasta veterum scriptorum ecclesiasticorum pariter atque profanorum lectione suffulta per omnem eruditionis campum, maxime philosophicum

*Christianus Dreierus.*

T t 3 et

<sup>a</sup>) Consuli tamen possunt, quae collegerunt REIMANNVS I. c. P. I. p. 51. IV. II. V. 246. 289. VI. 120. 423. Io. FABRICIUS Hist. Bibl. suae T. IV. p. 203. BAILLET.

Anti T. II. p. 124. MAGIUS Eponymol. crit. p. 655. 665. 678.

<sup>b</sup>) Vid. Io. FABRIC. Hist. Bibl. suae T. IV. p. 330. REIMANN. Hist. liter. Germ. P. IV. p. 33.

et ecclesiasticum se diffunderet, et per dimidium fere seculum in sacro atque profano argumento exerceretur, dici non potest, ad quam doctrinae elegantiam tandem euaserit. Maxime vero in veterum scriptis ita eius versata est diligentia, ut maturos ex ea fructus referret. Vnde factum, ut paucos haberet, in Aristotelica disciplina sibi pares. Dolendum autem, virum eleganter doctum cum summis votis vniendis eorum, qui in religionis argumento dissidebant, animis labores suos destinauisset, hincque nonnulla profluxissent asserta, quae rigidioribus theologis non displicere non poterant, syncretisticis controuersis ita implicitum fuisse, ut aliis, quibus ecclesiasticam et philosophicam historiam egregie iuuare potuisset, laboribus eriperetur. De quibus eius libris consulendi annales ecclesiastici sunt <sup>d</sup>; ad hunc enim locum non pertinent. Nobis eo potissimum argumento heic enarrandus est, quoniam in libro, cui *Sapientiae*, id est, *philosophiae primae* nomen praefixit, de Aristotelica philosophia eiusque historia pulcherrime meritus est. Viginti enim disertationibus, ex pralectionibus suis philosophicis congestis, primo quidem philosophiae ortum et progressum delineauit, dein omnem Aristotelicae philosophiae indolem, naturam et praecepta ex ipsius Stagiritae mente, et secundum genuinos eius apud veteres interpretes exposuit, et ubique accuratam philosophicae historiae cognitionem, sine qua vetus philosophia omnis disci nequit, prodidit <sup>e</sup>. Hunc igitur ducem cum sequeretur, mirandum haud est, Cartesii philosophiae ad Germanos tandem delatae eum se masculae opposuisse <sup>f</sup>. Eodem in loco vitalem auram primum hausit MELCHIOR ZEIDLERVS anno MDCXXX. Is cum commodum natiuitatis forte locum accepisset, quo ingenii, quod natura nactus erat optimum dotes augere, fundumque, qui in eius animo latebat excolere posset, in inferioribus scholis doctissimos praeceptores, et artium liberalium peritissimos Wicelmannum et Volbrechtum, duces nactus est. Quibus praeceptis cum humanitatis studia feliciter absoluisset, Christiani Dreieri disciplinae se tradidit. Eo vero praeceptore non in triuio haerens, sed ad ipsa veteris philosophiae Graecae et doctrinae ecclesiasticae limina progressus, quicquid in utroque genere scire licuit, didicit, et elegantissimam veteris eruditionis copiam sibi comparauit. Ita cognitionis, quam in omni fere disciplinarum parte acquisuerat praestantia commendatissimus cathedrae philosophicae in academia patria praefectus est, quam postea cum theologica commutauit, adiecto pastoris in templo cathedrali et assessoris consistorii Sambienfis munere. Valde in eo viro excellebat veteris

Melchior  
Zeidlerus.

c) Disci id potest ex CALOVII Harmonia Calixtino-Haeretica, et Syncretismo Calixtino.

d) Vid. quos laudat FABRIC. L. c. p. 355 seq. BUDD. Isag. Hist. theol. L. II. c. 3. p. 572. ARNOLD. Hist. eccl. P. II, L. XVII. c. 11. §. 14. p. 514. WEISMANN. Hist. eccl. P. II. p. 1205. HARTENOCH. Hist. eccl. Boruff. L. II. c. 10. p. 602 seqq.

e) Conf. BUDDVS Isag. L. I. p. 256. Hist. philos. c. 6. §. 5. p. 386.

f) Aggressus est principium cognoscendi Cartesianum: Ego cogito, ergo sum, peculiari diff. quae addita est Dialecticae Regiomontanae Eius; quod Compendium topicorum Aristotelis Io. EBERM. BVSMAANNVS Helmstadii edidit, laudatum MORHOFIO Polyhist. T. II, IV. c. 1. §. 3. p. 477.

ris literaturae peritia, et imprimis rerum ad philosophiam antiquam et ecclesiae fata, ritus, disciplinam et placita spectantium cognitio, quae per omnia eius scripta ita diffunditur, ut iucunda pariter atque vtilissima fit antiquitatem scrutantibus, eorum lectio. Quas suas delicias adeo dissimulare non potuit, ut aridam contra Iodocum Keddium disputationis arenam ingressus, iucundissimum tamen lectoribus campum aperuerit, in praefatione de methodo, modo et circumstantiis disputantium, siue de dialectica antiqua ex scriptis veterum, praesertim Peripateticorum praeclare differens, multamque argumento eleganti et difficili lucem accendens, quam ex libri titulo nemo sibi promiserit. Multo magis in scriptis philosophicis antiquitatis notitiam, quam pulcherrimam possidebat, eum in finem adhibuit, ut Peripateticae disciplinae, quam summopere colebat, amplissimum lumen affunderet. Cuius luculenta prorsus exempla, optimae eruditionis genere referta esse possunt, tractatus historico-philologico-philosophicus *de Genuino veterum docendi modo exoterico et acroamatico, id est dialectico et analytico, genuinae dialecticae siue encyclopaediae rationem succincte demonstrans* <sup>g</sup>, in quo historia logicae veterum, praecipue Peripateticorum mire illustratur, itemque *Introductio in Aristotelem* librique tres *de Variis differendi generibus et mediis eo perueniendi, siue Analyti posteriori*. Iunxit huic eruditioni diligentiam, pietatem pacisque studium, quod tamen eum nonnihil suspectum reddidit, et controuersis syncretisticis immiscuit, in quibus suspicacioribus nonnullis, praecipue factioni Calouianae displicuit: de qua re tamen alibi dicendum. Tanta autem contentione studiorum cursum persequutus est, ut laboris nimii assiduitate exhaustus tabem contraheret; quae cum plurimis, ut solet fieri, symptomatibus, stipata valde eum excruciaet, adeo ut vmbra hominis magis referret, quam hominem, patientiam illi Christianam et fortem animum opposuit, anima tandem creatori reddita anno MDCLXXXVI, cum quinquagesimum septimum aetatis annum nondum attigisset <sup>h</sup>. Scripsit plurima vir doctissimus et diligentissimus, ab antiquae doctrinae cultoribus summis laudibus commendata, inter quae scripta philosophica de Peripatetica historia et eius generis disciplina omni praeclare meruerunt, non negantibus hanc Zeidlero laudem viris doctissimis <sup>i</sup>, inter quos nonnemo <sup>k</sup> eum Nunnesio in Peripateticae philosophiae cognitione praeferre non dubitauit. Vbique enim lumina Aristotelica veteris literaturae radii collustrata in eius scriptis lucent.

§. LVIII. Tandem his, quos haecenus recensuimus, Peripateticae philosophiae sincerae cultoribus in coetibus Protestantium adiiciendus ex academia Lipsiensi eo magis est, IACOBVS THOMASIVS, quo magis

*Jacobus Thomasius.*

g) Regiomonti 1685.

h) Praefixa est Vita eius cum catalogo scriptorum, notis et animaduersionibus in scrutatorem post eius mortem Helmstädtii 1689. editis.

i) Vid. FABRIC. l. c. T. IV. p. 329. BVDDEVE Annot. Hist. phil. p. 205. 386. BOECLER. Bibliogr. crit. p. 854.

k) Auctor Biblioth. Schraderianae P. II. c. 3.

magis in historia philosophica multum nos illi debere multoties professum. Patre genitus Michaële Thomasio I. V. D. Lipsiae VII Cal. Sept. anno MDCXXII in lucem editus est <sup>1</sup>. Is cum ipse eruditione satis eleganter esset tinctus filium, cui naturam de praeclaris ingenii dotibus propexisse obseruabat, sollicita formare cura artibusque liberalibus instruere, et praeceptoribus quoque optimis tradere non omisit. Quem tamen fortunae cursum nonnihil retardarunt bellicae calamitates in adolescentiam Thomasi incidentes; maxime vero illius studiorum incrementa vehementer impediuit vtriusque parentis mors, quae anno MDCXXXII et sequenti contigit. Ab auia tamen in parentum locum succedente, et curarum partem subeunte cum fratre Ioanne in gymnasium, quod Gerae floret, missus est, in quo scientiarum, quae ab humanitate nomen fortuntur elementa propitia Minerua et non sine eximia ingenii felicitate didicit. Tum iudicio maturiore et encyclopaediae notitia satis instructus anno MDCXL in patriam rediit, et eodem anno in Vitebergensem academiam translatus est, in qua a praestantissimorum virorum ore pendere, veterum et recentiorum libros magna cum cura voluere, et in horrea mentis congerere, quicquid literarum suo scopo inferuire poterat, summo studio conmissus est. Idem saxum ad Lipsiensem scholam rediens diligenter voluit, tam laeto successu, vt collatis anno MDCXLIII doctoris philosophici iuribus, et humaniores disciplinas, et philosophiam docere iuuentutem cum laude posset. Qua occasione ingenii Thomasi elegancia et doctrina ita commendata est, vt anno MDCL et sequentibus scholae Nicolaitanae apud Lipsienses collega, tum Conrektor praeficeretur, quae cum tantam eruditionem non caperet, ad cathedram academicam anno MDCLIII traductus et moralem philosophiam, postea vero dialecticam quoque et eloquentiam docere iussus est. Et vt florentissima quoque, quae Lipsiae ab amplissimo senatu fouentur gymnasia ab huius viri eruditione illustrarentur, anno MDCLXX scholae S. Nicolai, et anno MDCLXXVI scholae S. Thomae regendae praefectus est. Tacemus honores academicos et dignitates alias viris literarum meritis celebribus in hac academia laudabili consilio conferri solitas, quas hoc loco enarrare nihil attinet. Quantum autem in eo virum Lipsienses Musae habuerint, quantos doctrinae omnigenae, praecipue veteris thesauros possederit, quam acuto iudicio in dignoscendis omnis aetatis sectarumque opinionibus vsus fuerit, et quam vere veteris literaturae omnis promus condus dici meruerit, nemini ignotum esse existimamus, qui acta literaria superioris seculi vel per transfennam inspexit, et obiter ingenii Thomasi foetus contemplatus est, adeo vbique summa, qua pollebat, eruditio eius enitescit. Praecipue autem in eo maxima laude prosequendum est, quod philosophiae Graecae historiam hactenus a plerisque neglectam, certe a pau-

1) Vid. Programma Acad. Lips. in eius funere editum, Conf. FR. CASP. HAGEN Memoriae philos. renouatae p. 273.

te a paucis viris doctis accurate excultam ex puluere prouocare suoque nitori restituere magnis conatibus coeperit, tanta in ea re felicitate usus, ut quis illi inter Germanos in hoc doctrinae antiquae genere praefendus sit, nobis non succurrat. Nam non Peripateticam philosophiam tantummodo secundum Aristotelis mentem accurate tenuit, sed reliquarum etiam sectarum systemata pernouit, et ex ipsis veterum fontibus cuncta hausit, infinita, quae obscura erant, eruditionis suae luce collustravit, sicque de elegantissima literaturae veteris parte immortaliter meruit. Quod eius studium eo magis summis extollendum est laudibus, quo magis ab inepto syncretismi amore, qui omnem veteris philosophiae historiam foedissime corrumpit, erat alienissimus, nec ferre eos poterat, qui inter lucem et tenebras paciscuntur<sup>m</sup>. A quo praeiudicio ut ingenia sanaret, sectarum systemata accurate exposuit, et opinionum inter se distantium sensum accurate definiuit, ad id imprimis intentus, ut dogmaticam philosophicae historiae partem exponeret. Neque ita soli curiositati inferuendum esse ratus est, sed cum nosset, innumeris modis veterem philosophiam cum dogmatibus veteris ecclesiae cohaerere, et errores plerosque ex his fontibus propullulasse, praeclaris quoque obseruationibus ostendit, quid abusus philosophiae Graecanae effecerit, cuius licet specimina plurima ediderit, luculentissimum tamen exemplum est schediasma *de definitione sapientiae*, quod *Originum historiae philosophicae et ecclesiasticae* titulo recudi fecit<sup>n</sup>, dignus tanto parente filius, illustris CHRISTIANVS THOMASIVS, quem cum fratre Godofredo, Norimbergenfi medico, et polyhistoro celeberrimo, paternae virtutis et eruditionis haeredem reliquerat. In ea enim tractatione, praecipua dogmata quatuor sectarum Graecanicarum celebriorum, item haereseon Simonis Magi, Gnosticorum, Massilianorum, et Pelagianorum, denique theologiae mysticae ac scholasticae summo iudicio enarrauit, fontes eorum detexit, errorum γενήματα notauit. In eo quoque laudandus, quod iuuentuti harum literarum amanti et historiam non tantum philosophorum, sed et philosophiae tractare cupienti impulsor fuerit, ut venas philosophorum, in agros patrum ecclesiae deriuatas persequeretur, et sententias philosophorum Graeciae et antiquae ecclesiae doctorum ex ipsis fontibus eliceret. In quo recte illi applaudebat, qui ex eius disciplina progressus his potissimum alis ad summum eruditionis apicem ascendit GODOFR. GVIL. LEIBNIZIVS<sup>o</sup>. Quod ad ipsum vero philosophiae genus attinet, quod secutus est Thomafius, fatendum quidem est, eum in via sectaria perseverauisse, et Peripateticam disciplinam ex ipsis Stagiritae, Graecorumque interpretum fontibus haustram illustrare contendisse. Cuius exemplum esse possunt, quae

m) Vid. praef. diff. de Exultatione mundi Stoicorum, et th. 19. 20. 21. p. 20.

n) Halae 1699. 8.

o) Epist. Leibniz. a Cl. KERTHOLTO editarum T. I. ep. 170. p. 270.

quae ex eius museo prodierunt, *Erotemata logica, physica, metaphysica, philosophia practica, tabulis comprehensa, et dilucidationes in partem priorem regularum philosophicarum Danielis Stablii*. Longius enim progredi, et sectarium iugum excutere, nondum in fatis erat, et munus eius postulare id modo videbatur, vt Peripateticam sapientiam perspicue solideque doceret, id quod accurate perfecit. Seruabatur vero ea gloria, eiectae ex Germania philosophiae sectariae filio Christiano, de cuius meritis in vltima tractationis nostrae parte accurate differemus. Verum et illud laudis magno acutissimoque viro non denegandum est, in his eum scriptis philosophicis cuncta historiae philosophicae attemperauisse, et referatis quae tunc plerisque abdita latebant veteris philosophiae mysteriis, occasionem exhibuisse, de errorum fontibus cogitandi, vetera inter se conferendi, et, quem maximum historiae philosophicae fructum esse praecclare vidit LEIBNIZIVS <sup>p</sup>, pondus dandi nouis veritatibus, sicque veras philosophiae origines detegendi. Vnde, quae aridam speculationum arenam exhibere videntur, *Meditationes* eius metaphysicae, iucundissimum veteris philosophiae campum variae doctrinae floribus conspersum recludunt, vt recte obseruatum filio celeberrimo <sup>q</sup>. Cuius rei exemplum vel vna metaphysicae historia, *Erotematibus metaphysicis* praeposita exhibet luculentum. Quae omnia profundo iudicio, et maxima lectionis copia ita firmavit ornauitque, vt facile intelligant omnes, qui disciplinarum catenam norunt, nihil reconditae doctrinae veteris virum ex omni parte doctissimum latuisse. Quod non negabunt, qui scripta viri celeberrimi attente legerunt, et vel solam elegantissimam diatriben *de Plagio literario* euoluerunt, vel dissertationes *de Exustione mundi Stoica* consulerunt, vel *Praefationes et Orationes* eius inspexerunt, vel elegantissimas obseruationes in partes vocarunt, quas de plurimis historiae literariae et philosophicae veteris capitibus consignauit, et ex parte edidit illustris nostri filius <sup>r</sup>. Quas cum toties in partes vocauerimus, et vbique lectorem ad eas dimiserimus, ipsi toties, quod grati fatemur, doctiores ab iis dimissi et haud leuiter in hac nostra tractatione adiuti plura addere de eius meritis nolumus. Subscribimusque sententiae LEIBNITII <sup>s</sup> de hoc praeceptore suo iudicantis, eum non minori felicitate purioris philosophiae studia promoturum fuisse, quam a filio factum, si in eius tempora incidisset. Alia virorum doctissimorum elogia, ne nimii sumus, non cumulamus <sup>t</sup>.

## §. LIX. Et

p) Epist. Tom. I. ep. 170.

q) In Praef. Orig. Hist. phil. et eccles.

r) Passim, in Obseruationibus Halensibus, in Historia sapientiae et stultitiae &amp;c. indicem harum obseruationum subiecit Originibus H. P. filius.

s) Vid. Vita Leibnitii praefixa Versioni Germanicae Theodicaeae p. 839. not. b.

t) Conf. CRENIUS Animadu. P. XVII. p. 6. 48. FABRIC. I. C. T. III. p. 211. REIMM. loc. c. P. IV. n. 107. STOLLIVS Hist. liter. P. II. c. 4. §. 5. p. 523. 599. BORCL. Bibliogr. crit. p. 63. МОРНОВ. Polyhist. T. II. L. I. c. 4. §. 3. МОНН. ad CUDWORTH. p. 959. et alii plurimi.



§. LIX. Et hi quidem philosophi nobis singulari meritorum de Peripatetica philosophia excellentissimorum enarratione prae aliis digni visi sunt. Quo tamen ipso hanc aliis gloriam non denegamus, qui haud segniter in ista palaestra se exercuerunt, et praeclaris in hoc eruditionis genere speciminibus nomen obliuioni subduxerunt; quos vero hoc loco enumerare omnes nec iuuat, nec vacat. Fuerunt quoque nonnulli, qui cum ipsos quoque Aristotelis fontes maxima diligentia consulissent, et accuratam Peripateticae doctrinae cognitionem sibi comparauissent, iudicio vti firmo, animoque instructi forti auctoritatis praeiudicium excusserunt, et naeuos Aristotelis atque philosophiae eius plurimos detexerunt. Qualis imprimis seculo XVI celebratus est, Franciscus Patricius, seculo XVII autem praeter Taurellum, Claudius Berigardus, quibus ex Germanis adiicimus Ioachimum Iungium, cuius *Observationes criticae in Aristotelem*, quae in bibliotheca Hannouerana msc. seruantur <sup>f</sup>, ea de re testantur, vt infra suo loco dicendum. Verum cum hi aut ad alias sectas declinauerint, in historia earum enarrandi, aut eclectice philosophari coeperint, merito ex Peripateticorum sincerorum numero eos excludimus. Nobis enim in hac nostra tractatione Peripateticus est, non qui Aristotelis philosophiam intelligit, sed qui vel integram, vel saltem potiore partem eius probat, ipsamque systematis Aristotelici formam recipit. Quales fuisse, quos satis prolixa dissertatione haecenus adduximus, ex dictis constat.

*Peripatetica  
doctrina  
multis aliis  
nota.*

§. LX. Descripsimus haecenus philosophos Peripateticos, qui relictis Scholasticorum quisquiliis, secundum veram puramque Aristotelis mentem philosophati sunt, et qua ratione de ea secta meruerint, exposuimus. Qui cum maximam philosophantium partem a tempore renatarum literarum ad seculi XVIII initia constituerint, magnam simul historiae philosophorum recentiorum partem eadem opera absoluimus. Restat ipsius Peripateticae philosophiae, qualis nempe post reparatam literarum gloriam pulsamque barbariem vixit, consideratio. Ea vero, quae mysteria iactauerit, quibus principiis nixa fuerit, quibus placitis constiterit, hoc loco exponere, eo minus opus esse censemus, quo minus noui quid viri cetera eruditissimi, praestiterunt, sed in explanando Aristotele detegendisque veris eius opinionibus plerique omnem philosophiam suam occupatam esse voluerunt. Quibus vero assertionibus de rationali, naturali et morali philosophiae parte Aristoteles sententiam suam pronunciauerit, *Tomo primo* <sup>t</sup>, quantum tractationis limites et scopus instituti permiserit, accurate prolixèque satis est expositum, nec, quae ibi dicta sunt, hoc loco opus est repetere. Ast eadem quoque opera ibi naturam, indolem, proprietates philosophiae Peripateticae deteximus, quas cum recentiori tem-

*Consideratio  
Peripateticae  
disciplinae  
apud recentiores.*

V v 2

pore

f) Seruauerat eas Martinus Fogelius vid. MORHOFFVS Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 12. p. 217. qui earum edendarum spem fecit.

Ea vero Bibliotheca ad serenissimam domum Hannoueranam translata est, conf. ib. p. 47. t) pag. 805 seqq.

pore non deposuerit, ea quoque huc transferenda sunt. Quae autem philosophorum Peripateticorum recentioris aetatis circumstantiae ipsum hoc philosophandi genus tetigerunt, et certum illi modum affinxerunt, plerasque iam annotauimus, eorum vitam describentes. Nihil itaque aliud superest, quam ut obseruationes quasdam momento non carentes et attentione maxime dignas addamus, ex quibus vultus Peripateticae disciplinae, qualem seculo XV, XVI et XVII effinxit accuratius possit dignosci, et verum firmari de ea iudicium.

*Observationes  
generales de  
philosophia  
Peripatetica  
recentiori.  
I. Parum  
emendata hoc  
modo philoso-  
phia.*

§. LXI. Potiora vero, quae in censum veniunt, paulo altius rem meditantibus huc redeunt:

I. Resuscitata quidem et renouata ex squalore Peripatetica philosophia, in quem inepta eam detruxit Scholasticorum subtilitas et industria, ortum suum nouamque vitam in Italia renascentibus literis debuit: illique qui laudatissimo operi manus admouerunt, et vindicare pereuntes literas sunt aggressi, praeclare meruisse de humano genere sibi visi sunt, si Aristotelicae doctrinae gloriam, quam Scholasticorum *παρεργημένειαι* adulterauerant, restituerent, rati nec prudentius et castius philosophiae genus posse eligi, nec scientiis de duce certo et securo melius prospici, quam istis Stagiritae dogmatibus puritati restitutis. Hanc primorum literarum reformatorum mentem fuisse, hanc sententiam probauisse Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam, hanc opinionem usque ad finem seculi XVII obtinuisse, tota illa, quam hucusque exhibuimus, dissertatio de fatis philosophiae Peripateticae recentioris loquitur, et certissimis monumentis testatur. Quamuis autem praeclare hoc modo consultum esse veritati inquirendae, ipsiusque philosophiae studio censerent, qui haec consilia agitauerunt, et id saxum voluerunt, fatendum tamen candide, parum salutaris effectus ex ea re vidisse philosophantium ordinem, parum veritatis cognitionem inde fuisse adiutam. Cuius causa potissimum in praeiudicia auctoritatis, sectae et antiquitatis coniicienda est, quibus nuntium illi non miserunt, qui philosophiam a barbarie vindicare ausi sunt. Illi enim et si deformem philosophiae, quae a multis seculis obtinuerat, faciem videbant, eam tamen non philosophandi generi sectario, quod vigeat, sed temporum infelicitati et paupertati ingeniorum adscribebant, rati, punctum se omne laturos, si pristinam sectariae philosophiae elegantiam restituisent. Sectae enim alicuius veteris principem ducem eligendum esse statuebant tantum non omnes, diffisi viribus suis, et nunquam ausi sine cortice nauare, et sine huiusmodi cynosura hoc tentare pelagus. Licet autem Platonem nonnulli sibi auctorem elegissent, parum tamen compta et accommodata ingeniis eius temporis illa philosophandi ratio visa est, et praelatus Aristoteles, quem accuratius et doctius philosophari plerique sibi persuadebant. Id vero magno philosophiae malo euenit. Selectus enim et philosophantibus dux ille datus est, cuius systema philosophicum innumeris

meris difficultatibus obnoxium, multisque tenebris est circumdatum. At hunc in plerisque regiam in inquirenda veritate viam tenuisse, hunc in paucis modo aberrauisse, hunc veritatibus omnibus, etiam sacris, cum fructu adplicari et cum iis conciliari posse, tantum non omnes statuebant; idque praeiudicium ex regno Scholastico ad nouas orbis philosophici ditio- nes translatum mire deperibant. Pauci itaque Peripateticam doctrinam prius examinauere, pauciores de eius veritate dubitauere, paucissimi eam relinquere ausi sunt. Ita factum, vt neglecta, quae se tanta opportunitate offerebat, occasione eclecticam philosophiam introducendi, et ad inquirendam sine duce veritatem mentem excitandi, imperium, quo per tot secula iam potita fuerat, conseruaret tuereturque Aristotelica philosophia, et philosophorum maxima pars, magis esset sollicita, quid Aristoteli de praecipuis rerum humanarum diuinarumque causis visum esset, quam quid ratio diceret, postularer rerum conditio, mensque de veritate rei ex eius natura conuicta statueret. Quo pacto ex philosophis interpretes Aristotelis facti sunt, omnisque philosophiae labor eo reductus est, vt remotis, quae scripta et philosophiam Aristotelis premunt, tenebris et difficultatibus, constaret, quid Stagiritae placuerit: ipsa autem vitia et naeui omnes, quos suo loco in Peripatetica philosophia deteximus, ad philosophantes insigni veritatis damno transiuerunt. Id quod nemo negabit, qui ea sedula attentione legerit, quae haecenus de auctoritate Aristotelis inter recentiores retulimus, qui in ea opinione fuerant, inter omnium sectarum systemata Aristotelicum proximum esse veritati, nec in vlllo, quod veritatis cardinem tangat, capite errare. Quod quam falsum et ineptum sit, ex iis, quae post multos alios strictim suo loco diximus, adeo luculenter constat, vt inutilis minimeque necessarius nobis labor videatur, ea multis verbis hoc loco repetere. Id autem verum historiae philosophicae iudicium interponere cupienti suademus, vt quos ex philosophis Peripateticis omnium doctissime philosophantes elegimus, ipse adeat, eorum *Φιλοσοφόμενα* consulat, et quid illi decreuerint, discat. Certi enim sumus, deprehensurum eum parum adesse solidi in rationali philosophiae parte, praeter paucas quasdam regulas interpretationis et methodi, et incertam dialecticae rationem confundendis magis, quam distinguendis veritatis criteriis locisque inferuire; niti naturalem philosophiae partem, principiis vagis, incertis, nihil solidi significantibus, totum vero physio- logiae Aristoteleae systema, non negantibus viris summis in Lyceo recentiori, impietatem detestabilem comprehendere, et non sine magna emendatione admitti posse; moralem partem vero falsae virtuti et felicitati ciuili vnice attemperatam vitiorum moderationem et splendida scelera pro veris virtutibus suggerere. Hos enim naeuos ipsi Aristotelicae philo- sophiae maxime sincerae inesse suo loco euictum dedimus, videruntque ex recentioribus Peripateticis illi, qui aut falsi sunt, non conspirare reuelationem cum philosophia Aristotelis, aut monuerunt, medicam huic phi-  
V v 3
loso-

lofophiae generi admoendam manum esse <sup>4</sup>. Quae cum ita se habeant, nobis non monentibus quilibet intelligit, parum ad emendam philosophiam contulisse reformatores philosophiae Peripateticae, et nec intellectum sanare magnopere, nec voluntatem emendare potuisse. Tacemus, etiamsi supponamus, parum a veritate discessisse Aristotelem, indignum tamen tantorum virorum eruditione videri, quod Aristotelis, multa libertate omnes ante se philosophos reiicientis, et nouum doctrinae aedificium construentis, exemplum sequi recusauerint, maluerintque philosophiam ponere in peritia illius, quod Aristoteli placuit. Qua de re ipsius Conringii verba supra adduximus, quae hoc loco eo magis repetenda sunt, quo magis ab eo philosopho profectae sunt, qui Aristotelem non admodum multa ignorare, hunc raro falli solere, raro falli statuebat.

*II. Causae re-  
tentae philoso-  
phiae Peri-  
pateticae.*

§. LXII. II. Mirari quis forte possit, qui euenerit, ut contempta, cuius pietas, elegantia, auctoritas, ipsis reformatarum literarum initiis valde enituit philosophia Platonica, Aristotelica sola triumphauerit, et cum vix seruitutis scholasticae vincula abieciisset orbis eruditus, in nouum Aristotelis obsequium iurauerit philosophantium natio? Curatius tamen ad circumstantias temporis istius, quo honos reddi coepit literis, et elegantius philosophari ingenia ausa sunt, attendentibus, causae erunt in propatulo, ex quibus discere licet, aliter vix euenire potuisse. Nempe altissimas radices egerat auctoritatis et antiquitatis praeiudicium, et omnem propemodum orbem inepta occupauerat opinio, Graecanicae sapientiae adiici nihil posse, eaque omnem humanae scientiae circulum absolui, omnem attingi doctrinae apicem. Inter sectas autem Graecorum philosophorum Aristotelem prae reliquis commendauerat opinio eruditionis, soliditatis et nerui demonstrandi, succinctaque philosophandi consuetudo, quam in Platonis dialogis frustra quaerebant. Hunc itaque cum ex iisdem fere causis tot secula coluissent, repudiandum esse eo minus censebant, quo minus esset melior, quem illius in locum sufficerent. Imperium itaque, quod Aristoteles obtinuerat, tot annorum ferie altissime radicatam conuellere, tam arduum opus erat, ut etiam qui Platonem Aristoteli praetulerant, illud totum reiicere eiurareque non auderent, sed diuisum inter vtrumque philosophorum Graecorum principem vellent. Nec id aliter euenire potuit, cum Aristotelem parentes, praeceptores, scholarum praesides, et tota eruditorum cohors vehementer commendasset; quae a pueritia animis impressa validissime eiici, tollique nequiere. Quamquam autem videbant, qui barbariem aggredi et purgare Augiae stabulum coeperant, quam amari fructus, inde emerissent, propagines tamen floremque barbarae philosophiae extinxisse contenti, ipsos tollere furculos, et radices succidere ausi non sunt; id est, sublato fordido philosophandi genere in sectaria tamen via haeserunt, multum se praestitisse rati, si squalorem,

u) Legenda NIC. TAVRELLI Praef. ad Alpes caesias et Conringiana p. 124. vbi multa egregie

monentur, CLAVD. BERIGARDVS Praef. Circ. Pisan. alii.

rem, quo Aristotelicae philosophiae vultus Scholastica gens obduxerat, detergerent, et pristinum illis nitorem restituerent. De qua Peripateticorum elegantiorum mente cum ipsa eorum effata supra aliquoties adduxerimus, ea heic repetere nolumus. Multum tamen Aristotelicae philosophiae auctoritatem confirmavit, magna, quam cum dogmatibus nonnullis in ecclesia receptis fouebat, consensus nexusque talis, ut arcta inter Peripatetica placita et ista ecclesiae decreta intercederet amicitia. Supra enim in historia philosophiae medii aevi demonstratum est, ex Aristotelica philosophia, praesertim ex dialectica et metaphysica parte nonnulla ecclesiae obtrusa fuisse dogmata, totumque tradendarum disciplinarum sacrarum circulum ita Peripateticis nexibus implicatum comparuisse, ut sine Aristotelis disciplina, sanctiores scientiae intelligi tradique nequiverint, nonnulla vero sequiori consilio introducta sine ea corruerent. Haec seruari reformatorum philosophiae intererat, nec licebat ea fulcra conuellere, quibus summorum in ecclesia virorum auctoritas, emolumentum et tota ratio constabat: et sine quibus ad splendorum academiarum titulos et munera ipsosque ecclesiae honores ascendere poterat nemo. Saluum igitur esse Aristotelem cum ob dictas causas oporteret, satis fecisse conatibus suis reformatores philosophiae atque literarum credebant, si Aristotelem elegantiae suae restituisent. His et tertia causa addenda est, quam conditio restorationis literarum ipsa subministrat. Eam potissimum partem a Graecis initia accepisse, hosque ingenia nonnulla elegantiora apud Italos, ad quos diuerterant, excitauisse, ut relictis fordibus, quibus docti tantum non omnes se inquinauerant, literarum decus confectarentur, libro praecedente ex instituto docuimus. Hi cum Graece docerent, non Graecam tantummodo linguam valde discipulis suis commendauerunt, sed Graecam quoque literaturam omnem, et antiquitatis Graecanicae ornamenta, quotquot in literis verfabantur, imprimis autem Graecam philosophiam, quam domo attulerant, magnis extulerunt laudibus, hisque opinionibus discipulorum animos totos nouae lucis admiratione captos occupauerunt. Qui ubi viam ostensam persequi, et ad hanc ingeniorum culturam animum adicere magno studio coeperunt, Latinas Graecasque literas, quas eo tempore, ubi honos fuit eruditioni, regnasse nouerant, summo studio excoluerunt, quaeque antiquitatis cognitio ad hunc scopum suggerebat, magna diligentia arripuerunt, et consiliis adaptauerunt suis. Quod cum suauis praceptorum philosophiae quoque Graecanicae adplicuissent, philosophi illi selecti sunt, in quorum scriptis eruditionem veterem ubique enitere ex testimonio magistrorum intelligebant. Hos Platonem et Aristotelem esse nemo ignorat, certe quo minus alii vel ex Zenonis porticu, vel ex Epicuri hortis deligerentur, multa praecipua obstabant. Et Platonem quidem valde commendabat opinio diuinius scientiae, et consensus quidam cum sacris placitis ecclesiaeque decretis, quem illi Graecorum urgebant, qui domi Alexandrinae philosophiae innutriti fuerant. Ea autem Platonis ad-

mira-

miratio effecit quidem, vt caput extollentibus literis Platonica quoque philosophia emergeret; Aristotelis fortunae tamen obstare non potuit, quae eam breui suppressit. Displicebat enim ingeniis, quandam methodi *ἀκριβειαν* sectantibus obscuritas Platonis, philosophandi modus dialogisticus, ambiguus, anfractuofus, incertus sensus systematis Platonici, et imprimis naturalis philosophia in quandam metaphysicam vel theologiam fanaticam conuersa. Ita Aristoteles facile Platoni praelatus est, quem dialectica commendabat, ornabat stricta argumentandi methodus, laudabat aliud prorsus de rebus naturalibus differendi institutum, scientiae modum aptius referens, tota vero eximie insinuabat eruditorum animis systematica philosophiae indoles, quam in Platone frustra requirebant. Qua opinione tam facili Aristotelis philosophia victoria potita est, vt ipsi Platonici, qui in theologico et morali argumento nescio quam diuinitatem Platonicae philosophiae adscribebant, hanc illi gloriam denegare non auderent. Tacemus, plerosque Graecorum, quibus praecipuus renascentium literarum honos debetur, in Peripatetica philosophia fuisse educatos, similique Lycei amori discipulos suos innutriuisse, haec enim ex dictis intelligi possunt. Addimus his causam satis singularem, sed quae plurimum Aristotelis imperium fulsisse nobis videtur, Auerroisimum intelligimus, late seculo XIV et XV in Italia regnantem, omnemque physiologiae Peripateticae impietatem fatali quadam elegantiae opinione commendantem philosophantium ingeniis. Quae cum a Christiana pietate, vt erant tum res ecclesiae et doctrina et vita corruptissimae, valde defecissent, eo promptius Aristotelicum rerum metaphysicarum et physicarum systema admiserunt, quo gratius erat negata prouidentia, immortalitate animorum aliisque, quae Peripatetica physiologia Auerroismo incrustata suppeditabat, capitibus frena laxare animi cupiditatibus, ridere efficta eo tempore miracula, triumphare de superstitione, et quod credebant supra vulgus sapere. Id quod Achillini, Pomponatii, Portii et similium consilia, placita et *Φιλοσοφώμενα* cogitantibus erit in procliui. Quo pacto dum ineptae superstitioni remedium ex philosophia parauerunt, ipsa medicina morbo fuit deterior. Luculentis nos id testimoniis cum bullae concilii Lateranensis tum Ficini supra <sup>v</sup> demonstrauius, hoc loco non repetendis, quae tamen cum iis, quae in vita Pomponatii monuimus, consulenda sunt, vt pateat, quam cara esse debuerit his hominibus philosophia Peripatetica.

III. Damna  
veritati inde  
enata.

§. LXIII. III. Ex dictis autem quilibet, qui paulo attentius Peripateticae philosophiae aedificium considerauerit, nobis non monentibus intelliget, non sine veritatis damno et dispendio hoc sectae genus, haec placita Aristotelis genuina fuisse reuocata, et a Scholasticorum *παρερμηνείαις* vindicata. Gens enim ista, vt erat acutissima, ita falsas et erroneas philosophiae Aristotelicae hypotheses probe perspexerat, eumque

Aristo-

Aristoteli homagium praestitisset, eius placita ita inflexerat emendaueratque, ut propius sacris Christianorum dogmatibus accederent, et cum illis conspirarent. Ita vero probe intelligebant, qui ex stabulo Scholastico ad ipsa Aristotelis adyta proruperant philosophiae restauratores Itali, confundi evertique omnem Lycei doctrinam, et alium nobis fingi Aristotelem, quam se ipsum in scriptis suis exhibuisset. Hunc itaque dum sincera ratione sequendum esse statuebant, pestilentissimos errores recipiebant, quos subministrabat philosophia Peripatetica: esse materiam primam aeternam, et diuinis attributis parem, Deum primum motorem immobilem, primaeque sphaerae affixum, sui tantum intellectioni intentum esse, adeoque ceterarum sphaerarum incurium esse, nec ob hanc naturam suam et necessarium, qui ex illa sequitur, motum agere aliud aut rebus sublunariibus prouidere posse: connecti vero sphaerarum motum et intelligentias ipsas quadam necessaria emanatione et influxu, et hac ratione vltimae sphaerae praesidem siue intelligentiam intellectum quendam vnum vniuersalem constituere, ita per humanum genus diffusum, ut ex eo omnes homines participant. Praeter hunc vero externum intellectus diuini appulsam animam omnino mortalem esse dicendam, nec dari praeter has intelligentias daemones alios. Quae dogmata nec Aristotelicae physiologiae a nobis assignari, nec praeter veritatem multis recentiorum Peripateticorum, maxime Italorum, tribui ipsa haec nostra tractatio et exempla allata luculentissima euincunt. Quam graues autem atque pestilentes errores velut mortiferam messem haec seges protulerit, toties monuimus, totque exempla atheismi et impietatis maxime profanae produximus, ut in his diutius morari non sit opus. Oramus modo lectorem, ut ea relegat, quae de Pomponatio, de Caesare Cremonino, de Andrea Caesalpino similibusque adduximus; facili enim labore ex iis colliget, quam pestilens sidus in isto philosophiae Peripateticae sincerioris ortu homines afflauerit, et quam periculoso ausu iugulum diuinarum veritatum, praesertim libertatis diuinae, prouidentiae, immortalitatis animorum &c. hoc telo petierit impietas. Quae eo maius portendebat periculum, quo maiori confidentia illi, qui intimos Aristotelis sensus rimari credebantur, asserebant, haec asserta, ex ratione et philosophia (istas enim voces Peripateticae doctrinae assignebant) refutari non posse, sed nuda fidei contradictione reiicienda esse. Quod idem fuit, ac si dixissent, infallibilem philosophiae omnis principem atque praesidem inuictas phalanges reuelationi fideique posse obicere.

§. LXIV. IV. Genuisse hoc malum innumera alia, et prauam hanc fementem ingentem loliorum messem produxisse, cum facili ratiocinatione colligitur, tum historia philosophica tristissimis documentis comprobatur. Nempe atheismo, profanisque et impiis opinionibus ingenia optima et maxime acuta certatim repleta sunt, et veneno hoc detestabili summorum virorum

IV. Promotus inde et atheismus.

virorum tincti sunt animi. Id quod circumstantiae temporis in ecclesia, maxime in Italia plurimum promouerunt. Nempe cum abundaret regio ingeniorum optimorum et acerrimorum ferax, viris acutis et perspicacibus, totam autem illi superstitione et falsis ineptisque placitis, et assertis quae nec ratio concoquere poterat, nec reuelatio probare, repletam viderent, et offenderet cordatum quemlibet detestabilis hypocrisis, quae inter summos ecclesiarum praefides et doctores regnabat, ipsum religionis odium et contentus indignatus est, et cum vitii hominum tacite accusata quoque religio. Quamuis autem castiora tradi viderent ab illis, qui emendare ecclesiam aggressi erant, adeo tamen odiis, fulminibus, calumniis, immo igne ferroque premi et extingui partes istae coeperunt, vt horrore tantarum inimicitarum, cum splendida munera et pingues redditus amittere nollent philosophi, ipsi magis religionis castimoniae vim inferre, quam admissa puriori doctrina solum vertere, intolerabiles persecutiones pati, et incerta fede in exilio vitam miseram agere (quod plurimis ex Italia profugis accidit) maluerint. Quod eo promptius fecerunt, et impietatis detestabilis partes eo facilius secuti sunt, vbi Peripatetica eos philosophia istis telis armauerat, quibus nudum modo pectus religionem obuertere posse credebant, et certo certius sibi persuadebant. Ita semel religionis vinculo soluto, dum cum superstitione et errore diuinae quoque fidei iugum excusserunt, egregie se in libertatem sefemet vindicauisse gloriati sunt, rati summam sapientiam errore triumphato se attigisse. Haec ipsi, Peripatetica doctrina nixi, sibi quotidie ogganniebant, haec discipulorum auribus infurrabant, haec in amicorum conuentibus disputabant, in hoc vno cauti, ne pestis huius suspicio ad aures oculosque inquisitorum fidei perueniret, illisque palpus obtruderetur. Nihil nos hic partis studio, nihil suspitioni et incertae coniecturae dare, sed indubitatis haec omnia testimoniis constare, historia Peripateticae scholae apud Italos seculo XV et XVI luculenter probat. Nos hoc loco breuitatis causa ad vnum Petrum Pomponatium iterum prouocamus, quem quam plurimos ex hac secta impietatis patronos *ἐμψύχοις* habuisse FICINVS <sup>w</sup> testis est, omni exceptione maior minimeque suspectus. Causas quoque has regnantis in Italia atheismi adeo luculenter exposcere viri docti laudati a Ven. I. FR. REIMMANNO <sup>x</sup>, qui cuncta ipse strictim persequitur, vt non opus sit, speciale hoc argumentum, quod ad singularem atheismi historiam pertinet, latius exponere. Nos ad vnum testem prouocamus NICOLAVM MACHIAVELLVM <sup>y</sup>, qui vt acutissime sui temporis et regionis mores pernoscebat, ita facile vidit, corruptissimos aulae Romanae mores et hypocrisin summorum in ecclesia virorum ad hanc pestem generandam plurimum attulisse. Idem si id ageremus, de nonnullis dogmatibus dici posset, quae philosophis Aristoteli deuotis necessario contentum religionis fug-

w) Praef. ad Plotinum.

x) In Hist. Atheismi S. III. c. 4. §. 2. p. 355 seqq.

y) Dissert. in Lium Dec. I. L. I. c. 12. p. 40.

Conf. LA. CROZE Entretien p. 394.



fuggerere debuerunt, cuius exemplum si quis cupiat, eum transubstantiationis doctrinam, miro consilio a Scholasticis rationibus philosophicis incrustatam cum genuina Aristotelis philosophia comparare iubemus, mox intellecturum, quam vehementer eorum philosophorum animos offendere, et contentum religionis ingenerare debuerit, qui Aristotelem velut Deum adorarunt, eiusque philosophiam errore carere philosophico statuerunt.

§. LXV. V. Innumera hoc modo damna animis succreuisse attendita cogitatione rem omnem complexis comprehendere est facillimum. Ex intellectu enim pestilentissimis erroribus infecto infelicissima voluntatis profluxit corruptio, animique sceleribus et moribus nefandis repleti sunt. Quae enim potuit virtutis ratio coli, vel seruari pietatis castimonia, ubi eiecta conculcataque ex animo religione timor Dei, et quae prouidentiae eius debetur, reuerentia negligitur? et ubi totum religionis negotium pro praecudio simplici plebeculae et fraude sacrificulorum ad nundinandum excogitata habetur? Quae obtinere possunt vitiorum detestandorum repagula, ubi et iudicis oculus atque cura negatur, et viae gratiaeque diuinae certitudo infringitur, et futurae vitae spesque timorque cum praemiis poenisque exhibentur, quod saluis principiis physiologiae Aristotelicae aliter fieri non potest? Annon *ἀσώτως* regnare, mores corumpi, castimoniam perdi, scandalisque repleti omnia, rebus ita stantibus oportet? Comprobauit hanc ratiocinationem euentus, teste historia Peripatetica, qua narrante nouimus, adeo turpem egisse vitam Peripateticos plerisque, summi quoque nominis et excellentissimae famae in Italia, ut in eorum vita vestigium non Christianae modo, sed et philosophicae sobrietatis virtutisque inuentum sit nullum, certumque fuerit, honestate morum philosophos ab ipsa plebe longe superari. Quod qui negat, eum non legisse oportet annales literarios, qui obscoenissimorum sermonum, et impietatis nefandae plaustra nobis suggerunt; vel oblitus est verborum *ΝΑΥΔΑΕΙ* <sup>2</sup>, in vita Niphi iam a nobis adductorum, in quibus huius philosophi Peripatetici obscoenitatum licentiam exemplo Boccatii, Poggii, Aretini, Casae, Castalionis Pacifici Asculani, Iulii Groti, Puccii, Ludouici Centhii, Philelphi, Codri, Septabinae, Mazuccii Franci et id genus aliorum excusat, et per hos impudentiam, malitiam, foeditatem, impietatem, virus suum plenis buccis aut potius pleno iure, siue in Deum, siue in eius ministros, aut publicas priuatasque personas, et in omnem denique honestatem et verecundiam effudisse, fatetur. Plura in re nota addere opus non est, dabit autem, qui industriam in his colligendis adhibuit, plura *PETRVS BAYLE* <sup>a</sup>, qui videndus.

V. Genita  
sic morum  
corruptio.

§. LVI. Non tacendum tamen, malo non tam gliscenti, quam publicis speciminibus prodeunti et late grassanti medicinam afferre voluisse

XX 2

con-

<sup>2</sup>) In Vita Aug. Niphi, praemissa eius Opusc. moralibus p. 56.

<sup>a</sup>) Dict. T. IV. Art. Vager, not. E. p. 410.

concilii Lateranenſis patres, qui anno MDX inualeſcenti huic impietati Ariſtotelicae bullam iſtam oppoſuerunt, quam ſupra integram exhibuimus. Fatendum quoque, excitatos fuiſſe et conductos nonnullos, qui virus tum ſerpens ſcriptis quoque reprimerent, et hoc pacto Auguſtinum Niphum contra Petrum Pomponatium arma philoſophica mouiſſe. Verum parum iſta medicina effecit, nec retardari imminuique multo minus tolli eradica- rique id malum potuit. Cuius cauſſae diuerſae fuere, hoc loco non plane ſilentio praetereunda. Et initio quidem veriſimillimum eſt, riſum mouiſ- ſe, et cachinnos prouocauiſſe hanc bullam Peripateticis philoſophis, in quos illa fulmen vibrabat, cum viderent, Leonem X, P. M. et Petrum Bembum cardinalem nomen illi ſubſcripiſſe, et haec auctoritate pontificia iniungi; cum ſcirent, vtrumque iuſtiſſima ſuſpicionem premi, quod in eodem luto haerent; certe illam vitam agerent, quam ad eam, qua uſi ſint, proteruiam excuſandam, nihil fere tueri poteſt, quam impietas vel Peripatetica, vel Peripateticae tamen ſimilis, omnemque Dei curam pro- uidentiam, gratiam, iram, coelum et infernum inter commenta ſacrificu- lorum et terriculamenta plebis referens. Nihil nos ſummis cetera uiris aſſingere, ex ipſo eccleſiae Romanae gremio teſtis eſt, qui *Florentinam hiſtoriam anecdotam*, id eſt arcanam, nobis dedit ANTONIVS VARIL- LANVS <sup>b</sup>, ipſe de *ἀστωρία* curiae Romanae, ſedente Leone X, legendus: vt taceamus, narratiunculas, quibus valde ſuſpectum ſe impietatis crimi- nis pontifex fecit, quas exhibet P. BAYLE <sup>c</sup>, qui videndus. Nec melior Petro Bembo mens infedit, viro cetera doctiſſimo, et de literis elegan- tioribus praeclare merito, vt vel ſola eius carmina produnt, hoc loco pluribus non tangenda <sup>d</sup>. Ignotum quoque uiris doctis iudicium eruditif- ſimi cardinalis de Philippo Melanchthone haud eſt cum ex Georgio Sabin- no, quo is familiariter utebatur, inter epulas quaefuiſſet, quanto ſtipen- dio Melanchthon doceret, quam frequenti auditorio, et denique, quid de reſurrectione mortuorum et vita aeterna ſentiret? Cum enim ad primum reſpondiſſet Sabinus, numerari Melanchthoni quotannis trecentos circi- ter florenos, tum cardinalis, o ingratham, inquit, Germaniam, quae tanti uiri tot tantosque labores non pluriſt aestimet! De auditorum nu- mero cum reſpondiſſet Sabinus, habere Melanchthonem vt plurimum mil- le quingentos auditores, cardinalis, id ſe non poſſe credere, ait, quod nullam tota in Europa academiā noſſet, vna Pariſiorum excepta, in qua vnum tot audirent. Ad tertiam quaefitionem reſpondit Sabinus, ex ſcri- ptis Melanchthonianis notam eſſe ipſius de vtroque religionis capite *πλη- ροφoρία*, tum cardinalis, haberem uirum prudentiorem, ſi hoc non cre- deret <sup>e</sup>. Tales cum fuerint, quorum auctoritate firmata illa bulla fuit, quid quaefo cogitaſſe putemus Peripateticos, cum iſta legerent, et annon bru-

b) Lib. VI. p. 292 ſeqq. conf. SECKEND. Hiſt.

Lutheraniſmi L. I. §. 117. p. 190.

c) Diſt. T. VI. Art. Leo X. not. II. p. 83.

d) Conf. IDEM, art. Bembus not. E. p. 516.

e) MELCH. ADAM. Vit. theol. p. m. 360.

Conf. BAYLE Diſt. T. III. art. Melanchthon not. P.

brutum eos fulmen in ludibrium adduxisse et secure contempsisse oporteat? Mirum itaque non est, Bembum Pomponatii patrocinium suscepisse, licet profanam is mentem clarissime demonstraerit. Deinde licet serio impietas haec constitutionibus ecclesiasticis ea de causa sancitis prohiberetur, occasionem tamen fauentissimam ea inuenit, post carecta latendi et oculatorum attentionem eludendi. Non enim radices succidebantur, sed capita tantum summa demetebantur, fomite mali relicto: nempe ignorabant, vel saltem latere se simulabant religionis publicae custodes, ex philosophiae Aristotelicae medulla hoc virus pullulasse; hinc amaros quidem istos fructus et adulterinos foetus virgula censoria notabant, truncum autem venenatae arboris non eradicabant, parentem cum sobole non interimebant, prohibita, ut tamen in medio aevo factum erat, philosophia Aristotelica. Quod auide arripientes huius disciplinae alumni, cum saluam viderent Aristotelicam sapientiam, modo aperto Marte contra veritates religionis Christianae in aciem non procederet, satis callide sibi prospexerunt, ut saluis muneribus et redditibus suis impias hypotheses fouere liceret. Dicis enim causa, et ut puluerem oculis obiicerent, religionis decretis sese totos subiicere fatebantur, tantaque humilitate se ecclesiae dogmata recipere testabantur, ut non obstante inuicta rationum philosophicarum serie, et inuincibili, ut putabant Peripateticae disciplinae acie, manus tamen, etiamsi non victos, se dare simulauerint, multisque id verbis obtestarentur. Cuius luculentissimum exemplum si quis cupit, PETRI POMPONATII peroratio libri *de Incantationibus* affatim suppeditabit, quod lucem toti obseruationi foenerabitur. His laruis indutis facile erat, quodcumque impietatis Peripateticae genus non tegere modo, sed et publice defendere, addita modo cautione, se philosophiae causa eiusmodi theses tantum proponere, esse eas secundum Aristotelem quidem veras, at falsas secundum decreta ecclesiae; his vero sese subiicere, illasque reiicere velut erroneas, eo quod tales esse ecclesia pronunciet, licet, se huius condemnationis causas non perspicere interdum improvide prodiderint. Ita quidem satisfiebat illis, qui censurae ecclesiasticae erant praefecti, eo quod hoc pacto damnum nullum ad ecclesiam redundare crederent: at vaferrimi homines, quibus Aristotelica philosophia omni veritate Christiana potior fuit, post has latebras tuto impia femina spargebant, illi enim, qui crasso sub aere nati haud erant, nullo negotio colligebant, puerilem esse hanc excusationem, et philosophis adeo indignam, ut eos ad declinandam inuidiam talia tantummodo submonere sit euentissimum. Nec hi magnopere fallebantur. Vbi enim dormiebat oculus inquisitoris, et in amicorum fidorum coronis de his doctrinae capitibus differendi occasio enascebatur, magna audacia diffeminabantur, quaecumque fuggerebat licentia, sumto quod Cremoninus dixisse fertur, simbolo: Intus ut libet, foris ut moris est.

VI. Negle-  
ctum remedi-  
um profertur  
pro Peripate-  
ricismo ad-  
hibendum.

§. LXVII. VI. Melius omnino remedium morbo aptari poterat, ostendique, quam graues errores Aristotelis philosophia sincera gigneret, praesertim cum dudum curia Romana decreuisset, lectionem scriptorum Aristotelis non nisi praeuia emendatione permitti posse. At quo minus id fieret, summa, quam vbique Stagirita obtinuerat, auctoritas obsitit, metueruntque inepti homines, immane malum disciplinis omnibus ipsique doctrinae de Deo diuinisque accidere, si Aristotelicae philosophiae dignitas imminueretur. Inde factum, vt non obstantibus tot grauissimis erroribus, (vt de aliis, quae merito in Peripatetica philosophia reiciuntur, nihil addamus,) nemo tamen mutire contra eam ausus fuerit, vel qui talia conabantur, maxima pressi sint inuidia. Vidit id vir doctissimus CLAVDI-VS BERIGARDVS, qui cum ea propter Ionicam physiologiam cum Peripatetica comparauisset, vt huius errores palpandos lectori obtruderet, prudenter monuit *f*: *Non opus fuit, vt veram vsque quaque doctrinam obicerem Aristoteli, cum et ipse in multis longe desciscat a veritate. Quamobrem clare pronuntio, tam Aristotelis, quam veterum a me propositam opinionem in iis omnibus, quae aduersantur Christianae veritati falsam esse, in aliis vero, de quibus iudicium philosophis relinqui solet, sententiam meam proferre non debeo, ne, cum Aristotelis interpretandi munere tamdiu perfunctus sim, in magistrum despuere, et apolletizare, vt ait Plautus, aut antiquorum cineribus insultare velle videar.* Multo vero magis ipsa academiarum statuta huius mali remediis obstitere. Secundum illa enim iureiurando professores obstringebantur, vt Aristotelem in philosophia duce[m] sequerentur *g*. Quo vinculo dum mentes retinentur, ora clauduntur, libertas eripitur, medicina omnis quoque praeciditur, et salua manet, magno cum veritatis detrimento Aristotelis philosophia, etiam erronea, et in haud paucis pestilens. Et hac quidem ratione in scholis ecclesiae Romanae addictis parum felicitatis verae philosophiae ex cultura sinceri Peripateticismi enatum est.

VII. Peripa-  
tetica philo-  
sophia malo  
sistere inter  
Protestantes  
retenta.

§. LXVIII. VII. Longe felicius fidus philosophiae verae in ecclesia Protestantium ortum erat, cum auctoritatis et antiquitatis praeiudicium forti impetu conculcicaretur, et quanti in philosophia Aristotelis errores laterent, ostenderetur. Verum suis bonis vt ingenii non permisit nescio quae temporis infelicitas, qua factum, vt a Melanchthone potissimum susciperetur philosophiae emendatio. Quicum doctrina et iudicio non destitueretur, vt audere quid et noua dare in philosophia posset, animi tamen fortitudine caruit, qua ad excutiendum Aristotelis iugum opus erat, vt supra fuisse demonstratum. Is itaque contentus impia dogmata physiologiae Peripateticae reliquisset, iisque saniora supposuisset, ita vt damnum inde religioni metuendum esset nullum, totam tamen sectariam Aristote-  
lis

*f*) Praef. Circul. Pisan.

*g*) Conf. Io. CASA in Dial. p. 144. H. C.

AGRIPPA Praef. ad librum de Vanit. scient.  
HORNIVS Hist. phil. VI. p. 315. LILIENTHAL  
de Machiau. literar. §. 7. p. 25.

lis philosophiam, praeter ista quae diximus retinuit, ratus egregie orbi erudito consultum esse, si eius placita perspicue exponerentur. Maxime autem vehementer Melanchthoni, cui ingenium obtigerat luculentum et perspicuitatis amans, placuit doctrina de methodo, et ipsa dialectica Aristotelis, qua iuvari commendarique posse disciplinas reliquas iudicabat. Hinc translatae dialecticae regulae ad usum scientiarum aliarum, praecipue sacrarum, quod cum luculenter et eleganter facere nosset, hancque magistri consuetudinem discipuli imitarentur, nouo argumento Aristotelis philosophia commendata est, vt pluribus supra dictum. Cum autem Philippica ista methodus ipsam Aristotelis philosophiam exhaurire omnem, et dignitati Lycei satis conuenire non videretur, iterum ad ipsum Aristotelem tota philosophia reuocata est, lecti philosophi Peripatetici Itali, et latens vlcus non expressum, sed cicatrice obductum, erroresque clandestini excusatione leuiter castigati vel tecti potius simulatique sunt. Studium metaphysicae Scholasticae autem et ipsam philosophiam veram et Peripateticam corripit, et pristinis fordibus ingenia inquinavit. Quae cum omnia late supra exposuerimus, et testimoniis inuictis corroborauerimus, ea hoc loco pluribus non tangemus.

§. LXIX. VIII. Fieri tamen non potuit, vt in moderata sentiendi et examinandi libertate, qua semper ecclesia Protestantium vsa est, ingenia acuta, iudicio pollentia, et paulo erectiora, naui Peripateticae philosophiae omnes laterent, et non passim suspecta fieret doctrina Peripatetica: ita vt inde cogitatio enasci debuerit, de melioribus dispiciendi, et hoc iugum, quod per tot secula philosophantium humeros presserat, excutiendi. Et haec quoque causa est, cur in coetibus Protestantium tanta libertate in Aristotelem inuecti fuerint, grauemque illi dicam viri eruditissimi scripserint. At parum tamen hac ratione, licet multum moueretur, promotum est. Aut enim pauci quidam Aristotelis errores, praesertim in physiologia, in qua maxime peccauit, configebantur, eaque dogmata conuellerantur, quae in veritatem religionis Christianae infurgebant, et nonnulla tantum monebantur, in quibus comitius et accuratius philosophandum esse censebatur, tota vero *παιδεία* Aristotelis salua manebat et intacta, quo pacto Taurellum se ad emendandum Aristotelem accinxisse, supra narrauimus, aut effecit quidem ista Aristotelicorum errorum detectio, vt illius partes derelinquerentur; at sine duce tamen philosophari natataeque sine cortice, nemo fere ausus est, sed defecerunt isti *μεταδέμνοι* ad alias sectas, praecipue cum Petrus Ramus et Renatus Cartesius nouum philosophiae sectariae genus orbi literato obruderent. Nemo itaque id contra Aristotelem ausus est, quod eum ipsum tanta fiducia et audacia fecisse in eius historia ostendimus, nempe vt contemptis veteribus nouum systema sibi propria meditatione, vel saltem prudenti selectu habito conderet, sed sectariam philosophiam excolebat quilibet. Et tamen his quoque conatibus se philosophi, qui in academiis Protestantibus docebant, vehe-

VIII. Emendatio a nonnullis frustra et sine susce-  
pta.

vehementer omnibusque viribus opposuerunt, adeo istis nouatoribus pro conseruando Aristotelicae philosophiae honore aduersi, vt principum et magistratum auctoritatem implorare, eorumque mandatis nouitates istas philosophicas proscribere, et constitutionibus feueris principum nomine editis confirmare imperium Aristotelis, quibuscunque possent machinis conarentur. Quas licet nonnulli satis fortiter contemnerint, bellorum tamen philosophicorum certaminibus lassati tandem conqueuerunt, nec euelli ex animis Pripatetica disciplina potuit. Id quod, Rami et Cartesii historiam exploraturi, exemplis illustrandi occasionem habebimus satis luculentam. Alii qui haec magno philosophiae dedecori fieri videbant, cum sectariam Aristotelis philosophiam detestarentur, in contraria currentes omnem philosophiam reiecerunt, et quod hominum et sectae vitium fuit, ipsi philosophiae tribuerunt, quale bellum satis ineptum apud Helmstadienses medio seculo XVII exortum esse, infra trademus. Alii rationem cum reuelatione, hancque cum interna quadam, quam iactabant illuminatione confundentes, obscuram et fanaticam philosophiam excogitarunt, et emotae imaginationis somnia pro theosophia quadam vendiderunt, sicque e Scylla in Charybdin philosophantes coniecerunt, lucem et tenebras, certa et incerta, humana et diuina inter se miscentes, et aptantes quadrata rotundis. Quorum hominum historiam cum infra tradituri simus, hoc loco nihil de iis mouemus, id modo monentes, ipsum hunc praeposterum philosophiae adiuuandae modum effecisse, vt contemptis somniis istis, quibus sacra et humana omnia facile euerti posse quilibet videbat, in pristina Aristotelis via plerique perseverarent. Patrum itaque nostrorum nostrisque temporibus ea felicitas seruata fuit, vt fracto tandem et abiecto iugo Aristotelico et contempta philosophia sectaria desineret nugari philosophorum cohors, in academiis Protestantium. Quibus cum ducem se praebuisset Sennerti schola, quae prima fere in Germania a placitis Aristotelis naturalibus recedere ausa est, viam autem strauissent certamina Cartesiana, quae naeuos Peripateticos in aperta luce collocarunt, tandem Pufendorfio et Thomasio auctoribus in alia omnia itum, et Lyceum relictum est. Quibus conatibus cum manibus pedibusque reluctarentur alumni Peripateticae philosophiae, ipsa illa bella et contentiones tantum isti doctrinae odium excitauerunt, vt tota tandem abiecta sit. Verum de his omnibus infra ex instituto tractabimus; iam satis diu in hoc campo versati Lyceum recentius relinquimus.



## CAPVT IV.